Esgerus dei gratia Ripenſis Epiſcopus vniuerſis Chriſti fidelibus, ad quos preſentes litere peruenerint, ſalutem in omnium ſaluatore. Cum ſecundum conſtitutionem felicis memorie domini Papæ *Alexandri* eccleſia viuente perſona poſſit Locis conferri religioſis, patroni aſſenſu ad hoc accedente, ſcire volumus tam poſteros quam preſentes, Nos clauſtro Loci dei eccleſiam de Brewadt, cum conſenſu domini regis *Abel*, canonice contuliſſe, iure perpetuo poſſidendam, ita quod cum dicta eccleſia primitus vacauerit Abbas prefati loci ipſam ad voluntatem ſuam ordinabit. Ne igitur ſuper hac collatione noſtra tam legitime facta, dicto loco poſſit in poſterum ſuboriri calumnia, preſens ſcriptum ſibi comiſimus ad cautelam ſigilli noſtri munimine roboratum. Preſentes fuerunt huic collationi multi nobiles, dominus videlicet rex *Abel* ſuperius memoratus: ejusdem domini regis Marſcalcus, *Iwarus* Dapifer, *Petrus Funſſen, Petrus Johannis* filius, *Johannes Frijs* frater eius. Prior *Petrus* de ordine predicatorum & frater *Aſiradus*, Magiſter *Symon* canonicus noſter, *Abſolon* & *Mauritius* clerici noſtri, multi etiam alij clerici & laici. Datum anno ab incarnatione domini MCCLII pridie Nonas Aprilis.

Jen Collatz aff Rijber Capitel Lyom Cloſter giffuen paa Brewadt Kijrcke.

Vniuerſis hoc ſcriptum cernentibus Capitulum ſancte Marie Ripenſis eccleſie ſalutem in perpetuum. Cum ſecundum conſtitutionem felicis memorie domini Papæ *Alexandri*, eccleſia viuente perſona, poſſit conferri locis religioſis patroni conſenſu ad hoc accedente, ſcire volumus tam poſteros quam preſentes, quod venerabiles fratres noſtri monachi Loci dei eccleſiam de Bredwath cum conſenſu omnium fratrum noſtrorum canonice ſunt adepti, ita quod cum primitus ipſam vacare contigerit, dominus Abbas dicti clauſtri eandem ad voluntatem ſuam libere ordinabit. In cuius collationis teſtimonium preſentem cedulam ſigillo capituli noſtri fecimus roborari. Preſentes autem fuerunt huic collationi plerique nobiles domini. Videlicet Rex *Abel*, *Iwarus* eiusdem domini regis Marſcalcus Dapifer,

piſer, *Petrus Funſſen*, *Petrus Jonneſſen*, frater eius *Johannes Frijs*, Prior *Petrus* de ordine predicatorum, & frater *Aſiradus*, *Abſolon* & *Mauritius* clerici domini Epiſcopi, multi etiam alij tam Clerici quam Laici. Actum anno ab incarnatione domini MCCLII quarto Kalendas Auguſti.

Waldemarus *Hertuch y Jutland haffuer offuergiffuen Conuentet y Lyom Cloſter ſin Tynd y Breuadt ſoghen til Kijrckens Bygning.*

Omnibus, ad quos preſentes litere peruenerint, *Waldemarus* dei gratia dux Jutiæ ſalutem in domino ſempiternam. Notum facimus vniuerſis, quod nos decimas pro fabrica eccleſiæ Bretwath deputatas ab antiquo, quas aliquot annis per noſtros officiales leuari fecimus ex nunc & deinceps pro monachis in Lugum tenore preſentium plene & integre reſignamus, prohibentes firmiter, ne quis aduocatorum noſtrorum vel officialium de dictis decimis ſe intromittat de cetero quoquo modo absque licentia dictorum monachorum in Lögum. Et rogatu ſpeciali hoc ſane adiecto, quod dictæ eccleſiæ Brethwatt in fabrica & alijs neceſſarijs per eosdem monachos in Lögum debito modo prouideatur. Ne igitur aliquis hominum prefatos monachos ſuper eisdem decimis in poſterum in aliquo audeat moleſtare, preſentes literas eisdem contulimus in teſtimonium & cautelam. Datum Synderburg in preſentia noſtra anno domini MCCCXLIIII feria VI infra octauam aſſumtionis beatæ Mariæ Virginis noſtro ſub ſecreto.

Biſcop Jacobi *breff aff Rijbe paa tynd aff Breuadt til Lyom Cloſter.*

Uniuerſis preſentes literas inſpecturis *Jacobus* dei gratia Ripenſis Epiſcopus ſalutem in omnium ſaluatore. Cum a nobis, quod iuſtum eſt & rationabile petitur, dignum eſt, vt id ipſum fauore debito proſequamur, precipue quod ad commodum eccleſie ſpectare dinoſcitur & honorem. Sane nuper illuſtris princeps dominus *Waldemarus* dei gratia dux Jutiæ, ſuam nobis petitionem porrexit, vt decimas eccleſiæ beati *Laurentij* in Bredwath, quas aliquot annis per ſuos officiales de facto leuari fecerat, Monachis Loci dei fauorabiliter ammodo dimittere dignaremur. Nos igitur tanti principis precibus inclinati, habito ſuper hoc cum noſtro capitulo tractatu, & deliberatione prehabita diligenti, predictas decimas, vt vtilitati eiusdem eccleſiæ Bredwatt, que monaſterio Loci dei perpetuo eſt annexa, ſolicicius intendatur, conſenſu noſtri capituli eidem monaſterio Loci dei exnunc perpetuo aſſignamus & annectimus pleno iure, prohibentes firmiter, ne aliquis de eisdem decimis ſe aliquatenus de cetero intromittat absque ſcitu Abbatis dicti monaſterij & conſenſu, hoc inſuper addito, quod per eundem Abbatem, qui pro tempore fuerit, ſupradictæ eccleſiæ Bredwadtt, in edifitijs, ornamentis & alijs neceſſarijs modo debito fideliter debeat prouideri. In quorum omnium noticiam pleniorem ſigillum noſtrum vna cum ſigillo noſtri Capituli preſentibus duximus apponendum. Datum Ripis anno domini MCCCXLIIII dominica infra octauam natiuitatis virginis glorioſæ.

Guido *ien Cardinal oc* Romſche *Legatt ſtadffeſter Koning* Abels *Collatz paa Suanſtorp oc Bredwatt Kijrcke.*

Frater *Guido* miſeratione diuina ſacro-ſancti *Laurentii* in Lucina presbiter, Cardinalis, apoſtolice ſedis legatus, Diſcreto viro, maiori prepoſito eccleſie Sleſuicenſis ſalutem in domino. Juſtis petentium deſiderijs dignum eſt nos facilem prebere conſenſum, & vota, que a rationis tramite non diſcedant, effectu proſequente complere. Sane dilecti filij Abbas & conuentus Monaſterij Loci dei Ciſtercienſis ordinis, Ripenſis dioceſis in noſtra propoſuerunt preſentia conſtituti, quod inclite recordationis *Abel* dei gratia Danorum Slauorumque rex, Jutiæ dux ipſis & monaſterio eorum poſſeſſiones, quas habebat in Swanſtorp cum omni iure preſentandi, quod in Eccleſia de Bredwath ratione dictarum poſſeſſionum habebat, dedit & contulit perpetuo poſſidendas, prout in literis ipſius regis plenius continetur, quarum tenor talis eſt. **Abel* dei gratia Danorum Slauorumque rex & Jutiæ dux vniuerſis hoc ſcriptum cernentibus ſalutem & gratiam. Quoniam vniuerſi progenitores noſtri ab antiquis temporibus in Eccleſia Bredewatt ius habebant preſentandi ratione poſſeſſionum noſtrarum in Suanſtorp, quas dilectis fratribus noſtris Monachis Loci dei contulimus iure perpetuo poſſidendas, conſtare volumus vniuerſis, quod ſicut eisdem fratribus dictas poſſeſſiones contulimus, Ita eis totum ius noſtrum & quicquid iuris in dicta Eccleſia habuimus in perpetuum donamus poſſidendum. Ne igitur prefatis monachis ſuper premiſſis aliqua in poſterum ſuboriri poſſit calumnia, preſentem cedulam ipſis contulimus ſigilli noſtri munimine roboratam. Datum anno ab incarnatione domini MCCLII nonis Aprilis.* Quare nobis humiliter ſupplicarunt, vt donationem ſeu collationem predictam faceremus robur debite firmitatis obtinere. Nos itaque ipſorum ſupplicationibus fauorabiliter inclinati, donationem ſeu collationem predictam, prout iuſte & rationabiliter facta fuit per predictum dominum regem *Abel*, ratam & gratam habentes auctoritate, qua fungimur, confirmamus, & tenore preſentium communimus, Diſcretioni tue predicta auctoritate mandantes, quatenus predictos, Abbatem & conuentum ſuper premiſſis non permittas ab aliquibus indebite moleſtari, moleſtatores huiusmodi, ſi qui fuerint, per cenſuram Eccleſiaſticam compeſcendo. Datum Ripis X Kal. ſeptembris, pontificatus domini *Clementis* pape quarti anno ſecundo.

Erchebiſcops y Lund ſtadfeſtielſſe paa den Collatz Rijber Capitel gaff Lyom Cloſter paa Bredewadt Kijrcke.

Iacobus dei gratia Lundenſis Archiepiſcopus Swethiæ primas omnibus preſens ſcriptum cernentibus ſalutem in omnium ſaluatore. Nouerint vniuerſi, quod nos collationem eccleſiæ de Brædewatt Ripenſis dioſecis factam per venerabilem fratrem noſtrum *Esgerum* Ripenſem Epiſcopum de conſenſu veri patroni videlicet illuſtris regis Danorum domini *Abel* bone memorie, monaſterio Loci dei Ciſtercienſis ordinis, Ripenſis dioceſis auctoritate metropolitana, prout rite & prouide facta eſt, confirmamus. Nulli igitur omnino hominum liceat hanc paginam noſtre confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare preſumpſerit, indignationem dei omnipotentis & beatorum *Petri* & *Pauli* apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Lundis anno domini MCCLVIII Kal. Martii ſexto.

Jet

Jet andet Guidonis *Cardinalis breff och Confirmatz paa Konning* Abels *Collatz paa Suanſiorp och Breduadt Kijrcke.*

Frater *Guido* miſeratione diuina ſacro-ſancti *Laurentii* in Lucina presbiter, cardinalis, Apoſtolice ſedis legatus, dilectis filijs abbati & conuentui monaſterij Loci dei Ciſtercienſis ordinis, Ripenſis dioceſis ſalutem in domino. Cum a nobis petitur, quod iuſtum eſt & honeſtum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, vt id per noſtre ſolicitudinis ſtudium ad debitum perducatur effectum. Sane in noſtra propoſuiſtis preſentia conſtituti, quod inclite recordationis *Abel* dei gratia Danorum Slauorumque rex & Jutiæ dux, vobis & monaſterio veſtro poſſeſſiones, quas habebat in Suanſtorp, cum omni iure preſentandi, quod in Eccleſia de Bredewath ratione dictarum poſſeſſionum habebat, dedit & contulit perpetuo poſſidendas, prout in literis ipſius regis plenius continetur, quarum tenor talis eſt. *Abel* dei gratia, Danorum Slauorumque rex & dux Jutiæ, vniuerſis hoc ſcriptum cernentibus ſalutem & gratiam. Quoniam vniuerſi progenitores noſtri ab antiquis temporibus in Eccleſia Bretewatt ius habebant preſentandi ratione poſſeſſionum noſtrarum in Suanſtorp, quas dilectis fratribus noſtris monachis Loci dei contulimus iure perpetuo poſſidendas, Conſtare volumus vniuerſis, quod ſicut eisdem fratribus dictas poſſeſſiones contulimus, ita eis totum ius noſtrum & quicquid iuris in dicta Eccleſia habuimus, in perpetuum donamus poſſidendum. Ne igitur prefatis monachis ſuper premiſſis aliqua in poſterum ſuboriri poſſit calumnia, preſentem cedulam ipſis contulimus ſigilli noſtri munimine roboratam. Datum anno ab incarnatione domini MCCLII nonas Aprilis. Quare ſupplicauiſtis humiliter per nos donationem ſeu conceſſionem huiusmodi confirmari, nos itaque veſtris ſupplicationibus fauorabiliter inclinati, donationem ſeu collationem predictam, prout iuſte & rationabiliter facta fuit, per predictum dominum regem *Abel* ratam & gratam habentes, auctoritate, qua fungimur, confirmamus & tenore preſentium communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtre confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare preſumpſerit, indignationem omnipotentis dei & beatorum *Petri* & *Pauli* Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Ripis X Kal. ſeptembris pontificatus domini *Clementis* papæ quarti anno ſecundo.

Gregorii *Papæ confirmatz offuer Konning* Abels *Collatz paa Bredewatt Kijrcke.*

Gregorius epiſcopus ſeruus ſeruorum dei dilectis filiis Abbati & conuentui monaſterij de Loco dei Ciſtercienſis ordinis, Ripenſis dioceſis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Juſtis petentium deſiderijs dignum eſt nos facilem prebere conſenſum, & vota, que a rationis tramite non diſcordant, effectu proſequente complere. Sane veſtra petitio nobis exhibita continebat, quod clare memorie, *Abel* rex Datiæ ius patronatus, quod in Eccleſia de Bredwath Ripenſis dioceſis habebat, vobis & monaſterio veſtro pia & prouida liberalitate donauit, prout in literis regijs inde confectis eiusdem regis ſigillo munitis plenius dicitur contineri, ad id dioceſani Epiſcopi accedente conſenſu. Nos itaque veſtris ſupplicationibus inclinati, quod ab eodem rege pie & prouide factum eſt, in hac parte ratum

ratum & gratum habentes, id auctoritate Apoſtolica confirmamus, & preſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtre confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare preſumpſerit, indignationem omnipotentis dei & beatorum *Petri* & *Pauli* Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum apud vrbem veterem XV Kal. Nouembris pontificatus noſtri anno primo.

Abbet och Conuent aff Lugum trettis med Domino Magno *Archidegen til Arhuſſ ohm Breduatth Kijrcke.*

Omnibus preſens ſcriptum cernentibus *Thuco* dei gratia Ripenſis Epiſcopus ſalutem in domino. Conſtare volumus vniuerſis, quod anno domini MCCLXXVI feria ſexta proxima poſt Dominicam Letare Iheruſalem, in cauſa, que vertitur inter Abbatem & conuentum Loci dei ex vna parte, & dominum *Magnum* Archidiaconum Arhuſienſem ex altera ſuper Eccleſia Bredwatt Ripenſis Dioceſis. Comparentibus partibus in iam dicta Eccleſia coram nobis libello oblato & lecto publice reſponſum fuit in hunc modum. Ad primum quod dicitur, quod cum Monachi eſſent in quaſi poſſeſſione Eccleſiæ Brewadt tanquam a vero patrono, rege videlicet *Abel* preſentati, & demum per dioceſanam collationem eam conſequuti, reſpondebatur, dominum regem nunquam fuiſſe verum patronum, tanquam ille, qui nec Eccleſiam ædificauit, nec fundum contulit, nec dotauit, & ſic collatio per talem preſentationem ſubſecuta penitus nulla fuit. Preterea, licet idem dominus rex verus patronus fuiſſet, tamen ſecundum quod apparet in eius preuilegio, eos nunquam ad predictam Eccleſiam preſentauerit, ſed ius patronatus, ſi quid habuit, eis contulit. Cum igitur inter preſentatum & preſentantem debeat eſſe differentia, ipſi ſe ipſos preſentare minime potuerunt, & ſic per conſequens, nec poſſeſſionem eiusdem Eccleſiæ habuerunt. Adhuc dato, quod dictus dominus rex ius verum habuiſſet patronatus, & eos tempore legitimo preſentaſſet, & collatio ante mortem perſone ſubſecuta fuiſſet, creditur predictam collationem non poſſe aufferre patrono Laico ius variandi. Cum igitur illuſtris rex danorum *Ericus* ſtatim, mortua perſona Eccleſiæ eiusdem, alium preſentauit, ad quem deuolutum fuit ius patronatus per mortem anteceſſorum ſuorum, ſi quid habuerunt, videtur priorem preſentationem non valere. Adhuc dato, quod omnia predicta rite acta fuiſſent, vnum eſt, quod Monachos prorſus ab actione excludit, eos videlicet non poſſe Eccleſias poſſidere. Et licet coram iudice ſuperfluum eſt ius allegare, qui habet iura in ſcrinio pectoris ſui omnia, allegatur tamen ad hoc ius de ſtatu monachorum & regularium, Capitulo, *Recolentes*. Adhuc dato, quod aliquo modo poſſent eccleſiam poſſidere, quia cum plures habent eccleſias ſine diſpenſatione, vt creditur, fruſtra & contra omne ius iſtam petunt. Lite igitur legitime conteſtata, ac de veritate dicenda per principales perſonas hinc inde preſtito iuramento, monachi ad fundandam intentionem ſuam, quoddam inſtrumentum ſigillo venerabilis patris domini *Esgeri* quondam Ripenſis Epiſcopi conſignatum in medium produxerunt, cuius tenor talis erat. *Esgerus* dei gratia Ripenſis Epiſcopus omnibus preſens ſcriptum cernentibus ſalutem in domino ſempiternam. Quoniam nobis clare memorie rex Dacie *Abel* clauſtrum & conuentum de loco dei Ciſtercienſis ordinis, Ripenſis dioceſis, ad Eccleſiam Bredewatt preſentauit, vt eandem predicto conuentui con-

confirmemus. Nos intelligentes eundem dictum regem esse & fuisse, sicut progenitores sui ante eum fuerunt in quasi possessione iuris patronatus predicte ecclesiæ, consensu Capituli Ripensis & consilio, eandem ecclesiam Bredewath predicto conuentui de Loco dei ante mortem & post mortem persone canonice contulimus iure perpetuo possidendam. Presentationem autem factam per regem *Abel*, Rex *Christophorus* frater suus eidem regi *Abel* in regno succedens, conuentui per suas patentes literas approbauit. In cuius rei testimonium presentes literas sigillo nostro fecimus sigillari. Datum anno domini MCCLXXII. In die sanctorum septem fratrum apud Locum dei. Quo quidem instrumento perlecto, pars aduersa nihilominus prioribus articulis insistebat. Quibus ex parte Monachorum responsum est. Quod si rex ille *Abel* ius presentandi non habuit, nec rex *Ericus*, qui modo est, Et quia nihilominus subsecuta est collatio Episcopi diocesani, cum secundum iura, pinguius ius habeat collatio quam presentatio, videntur ius habere in ipsa ecclesia monachi memorati, & per hoc ipsum videtur sufficienter responsum obiectioni secunde, que dicit, Monachos seipsos presentasse. Item ad tertiam obiectionem, per quam probabitur monachos non posse ecclesiam possidere, responsum fuit, hoc nusquam in iuribus inueniri. Ad quartam autem rationem, videlicet, Dato, quod monachi plures ecclesias possint habere, tamen non sine apostolica dispensatione, respondebatur, huiusmodi allegationem non admittendam, eoquod ipse Archidiaconus morbo consimili laborabat. His itaque responsionibus factis, protestati sunt monachi, se ius suum magis, cum necesse fuerit, fundare instrumentis & testibus fide dignis, die & loco Ripis assignatis ad interloquendum super premissis sexta feria proxima post Dominicam Trinitatis, si non sit feriata & si sit feriata continuetur in diem non feriatum proximo subsequentem. Actum & datum, anno, die & loco supra dictis.

Koning Waldemari *Breff och stadtfestelsse paa Bredewadt Kijrcke.*

Waldemarus dei gratia Danorum Slauorumque rex Jutiæ & Estoniæ Dux, omnibus presentes literas inspecturis salutem in omnium saluatore. Quoniam discrete decreuit antiquitas, vt ea, que geruntur sub tempore, ne simul labantur cum tempore, scripturarum reciperent firmamentum. Idcirco, cum illustris ac dilectus felicis memorie pater noster *Ericus* quondam dux Jutiæ, viris religiosis dilectis fratribus, Abbati & Monachis, monasterij Loci dei Ripensis dyocesis non sine ipsorum precedentibus multimodis meritis & obsequijs, totum ius patronatus, quod ei more primogenitorum suorum competebat in Ecclesia beati *Laurentij* in Bredewatth ad altare beate Marie Virginis constructum in Ecclesia Monasterij memorati, donauerit, appropriauerit, ac libere assignauerit, perpetuo annectendum, prout patentes Litere ipsius super hoc confecte insinuant euidenter, Nos recognoscentes, & ad memoriam merito reducentes eorundem deuota seruitia, & voluntarias administrationes, quas memorato patri nostro ac nobis liberaliter impenderunt, donationem huiusmodi, tam rite & rationabiliter factam monasterio memorato, in omnibus ratam & gratam habentes, ipsam presentibus confirmamus perpetuis temporibus duraturam. In cuius rei testimonium ipsis presentes literas contulimus sigilli nostri patrocinio roboratas. Actum & datum Nyburg in presentia nostra, anno domini MCCCXXVI die beati *Laurentij* martiris, tempore generalis perlamenti presentibus omnibus melioribus regni nostri.

Hertuch Erici *Breff paa Bredewadt Kijrcke.*

Omnibus presens scriptum cernentibus *Ericus* dei gratia dux Jutiæ salutem in domino sempiternam. Moris vsitati est inter sapientes, vt cum aliquid inter eos notabiliter agitur, hoc faciant literarum auctenticarum munimine & fide dignorum testimonio roborari in certitudinem presentium & memoriam futurorum. Quamobrem notum facimus vniuersis, quod nos ad altare beate Marie Virginis in Ecclesia monasterij Loci dei constructum, totum ius patronatus, quod nobis more progenitorum nostrorum competit in Ecclesia sancti *Laurentij* in Brethewatth, vacante per priuationem cuidam *Nicholao* dyacono quondam rectori eiusdem rite factam, pro eo, quod ipse *Nicholaus* infra annum a sibi commissi regiminis tempore numeratum, se non fecit ad sacerdotium promoueri, vt habetur extra de electione, Licet canon, & cum ex eo: libro sexto, in remedium anime nostre, damus, appropriamus, & libere assignamus perpetuo annectendum. Ne igitur dicto monasterio super huiusmodi annexionis seu collationis gratia sibi per nos facta, aliqua in posterum possit suboriri calumnia, vel ambiguitatis materia, sibi presentes literas contulimus in testimonium & cautelam. Actum & datum ibidem in presentia nostra, Anno domini MCCCXXIIII in octaua assumptionis beate *Marie* virginis, presentibus dominis *Gerardo* comite Holsatiæ & Stormariæ, *Gyscone* fratre suo, soceris nostris Chariſſimis, *Jacobo Roosieth* milite, *Boetio* sacerdote rectore ecclesie Byldthorp, ac domino *Petro Alsing* notario nostro predilecto, & alijs quam pluribus clericis ac Laycis fide dignis.

Prouesten aff Sleswig sin Vidimus offuer Kong Abels, *Hertog* Erichs *aff Judtland oc* Gregorij *Pawes breffue paa Breuadt Kyrcke.*

Omnibus, ad quos presens scriptum peruenerit, *Grummo* prepositus Sleswicensis, datus a sede apostolica conseruator preuilegiorum Abbatis & conuentus Loci dei Cistercienſis ordinis Ripenſis diocesis salutem in perpetuum. Ad memoriam presentium & noticiam futurorum volumus peruenire, Nos exacta diligentia & vigili circumspectione quedam preuilegia Abbatis & conuentus supradicti cenobij non cancellata, non abolita, nec in aliqua parte sui vitiata, vidisse in hec verba. **Abel* dei gratia Danorum Slauorumque rex, & dux Jutiæ, vniuersis hoc scriptum cernentibus salutem & gratiam. Quoniam vniuersi progenitores nostri ab antiquis temporibus in Ecclesia Bredewath ius habebant presentandi ratione possessionum nostrarum in Suanstorp, quas dilectis fratribus nostris Monachis Loci dei contulimus iure perpetuo possidendas, scire volumus vniuersos, quod sicut eisdem fratribus dictas possessiones contulimus, Ita eis totum ius nostrum, & quicquid iuris in dicta Ecclesia habuimus, in perpetuum donamus possidendum, Ne igitur prefatis Monachis super premissis aliqua in posterum suboriri possit calumnia, presentem cedulam ipsis contulimus sigilli nostri munimine roboratam. Datum anno ab incarnatione domini MCCLII nonas Aprilis.

Crisiophorus dei gratia Danorum Slauorumque rex omnibus presens scriptum cernentibus salutem & gratiam. Literas fratris nostri *Abel* quondam regis danorum vidimus in hec verba. *Abel* dei gratia &c. Datum &c. Nos igitur factum dicti fratris nostri in hac parte ratum & gratum habentes, volumus,

vt

vt dicti Monachi totum ius & quicquid iuris idem frater noſter habuit ratione dictarum poſſeſſionum in eccleſia Bredewath libere habeant in perpetuum poſſidendum. In cuius rei teſtimonium preſentes literas ipſis contulimus ſigilli noſtri patrocinio roboratas, Preſentes fuerunt domini *Esgerus* Ripenſis, *Nicholaus* Vibergenſis epiſcopi, *Petrus Fynſſen*, *Johannes Genwetther*, *Johannes Gunnyſſen*, *Nicholaus Hack*, *Ago* filius *Esberni* & multi alii fide digni. Datum Ripis anno domini MCCL nono. Idus Martii quinto.

Fricus dei gratia dux Jutiæ omnibus preſens ſcriptum cernentibus in perpetuum. Quoniam diſcrete decreuit antiquitas, vt ea, que geruntur ſub tempore, ne ſimul labantur cum tempore, ſcripturarum reciperent firmamentum. Idcirco cum illuſtris ac dilectus felicis memorie pater noſter *Abel* viris religioſis, dilectis fratribus monachis de Loco dei Ripenſis dyoceſis, non ſine eorum multimodis precedentibus meritis & obſequijs, bona ſua patrimonialia in Suanſtorp in parochia Bredtwadt, cum iure patronatus ad ipſum ratione ipſorum ſpectante, ibidem donauit & ſcotauit iure perpetuo poſſidenda, Nos recognoſcentes & ad memoriam merito reducentes eorumdem deuota ſeruitia & voluntarias adminiſtrationes, quas memorato patri noſtro ac nobis liberaliter impenderunt, donationem predictam tam in ipſis bonis de Suanſtorp, quam in iure patronatus Eccleſiæ Bredtwatt ratam & gratam habentes in omnibus, confirmationem ipſius donationis preſentibus perhennamus. Datum apud Locum dei anno ab incarnatione domini MCCLX. XVIII Kal. Maij.

Gregorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum dei dilectis filijs Abbati & conuentui Monaſterij de Loco dei Ciſtercienſis ordinis Ripenſis dyoceſis ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Juſtis petentium deſiderijs dignum eſt nos facilem prebere conſenſum, & vota, que a rationis tramite non diſcordant, effectu proſequente complere. Sane veſtra petitio nobis exhibita continebat, quod Clare memorie *Abel* rex Dacie ius patronatus, quod in Eccleſia de Bredtwath Ripenſis dyoceſis habebat, vobis & monaſterio veſtro pia & prouida liberalitate donauit, prout in literis regijs inde confectis eiusdem regis ſigillo munitis plenius dicitur contineri, ad id Epiſcopi dyoceſani accedente conſenſu, Nos itaque veſtris ſupplicationibus inclinati, quod ab eodem rege pie & prouide factum eſt, in hac parte ratum & gratum habentes, id auctoritate apoſtolica confirmamus & preſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtre confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare preſumpſerit indignationem omnipotentis dei & beatorum *Petri* & *Pauli* Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum apud vrbem veterem XV Kall. Nouembris pontificatus noſtri anno primo.

Gregorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum dei dilecto filio prepoſito eccleſiæ Sleſſuicenſis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Pium eſſe dinoſcitur, vt gloriantibus in malitia per nos taliter obſiſtatur, quod repreſſis eorum inſultibus, Vacantes diuino cultui liberius poſſint in obſeruantia mandatorum domini delectari. Cum itaque dilecti filij Abbas & conuentus monaſterii de Loco dei, Ciſtercienſis ordinis,

ordinis, Ripenſis dyoceſis, a nonnullis, qui letantur cum male fecerint, & in rebus peſſimis gloriantur, diuerſis, vt accepimus, perturbentur iniurijs & iacturis, Nos volentes eorundem Abbatis & conuentus prouidere quieti, & peruerſorum conatibus obuiare, diſcretioni tue per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſis Abbati & conuentui contra Raptorum, predonum & inuaſorum, audatiam efficaci preſidio defenſionis aſſiſtens, non permittas, ipſos in perſonis vel bonis eorum a talibus moleſtari. Moleſtatores huiusmodi per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo. Non obſtante, ſi aliquibus a ſede Apoſtolica ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas, que de indulto huiusmodi plenam & expreſſam non fecerint mentionem, attentius prouiſurus, vt de hijs, que cauſæ cognitionem exigunt, vel que perſonas & bona non contingunt, te nullatenus intromittas. Nos autem ſi ſecus preſumpſeris, tam preſentes literas, quam etiam proceſſum, quem per te illarum auctoritate haberi contigerit, omnino carere viribus ac nullius fore decernimus firmitatis. Huiusmodi ergo mandatum noſtrum ſic ſapienter & fideliter exequaris, vt eius ſines quomodolibet non exedas, preſentibus poſt triennium minime valituris. Datum apud vrbem veterem XV Kal. Nouembris pontificatus noſtri anno I.

Gregorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum dei dilecto filio prepoſito eccleſiæ Sleſſuicenſis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Sub religionis habitu vacantibus ſtudio pie vitæ, ita debemus eſſe propitij, quod in diuinis beneplacitis exequendis, malignorum non poſſint obſtaculis impediri. Cum itaque dilecti filij Abbas & conuentus monaſterij de Loco dei Ciſtercienſis ordinis Ripenſis dyoceſis, a nonnullis, ſicut accepimus, qui nomen domini in vacuum recipere non formidant, diuerſas patiantur iniurias & iacturas, Nos volentes eorundem Abbatis & conuentus prouideri quieti, & peruerſorum conatibus obuiare, diſcretioni tue per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſos Abbatem & conuentum fauoris oportuni preſidijs proſequens, non permittas, eos contra indulta priuilegiorum Apoſtolice ſedis ab aliquibus indebite moleſtari, Moleſtatores per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo. Non obſtante ſi aliquibus a ſede Apoſtolica ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas, que de indulto huiusmodi plenam & expreſſam non fecerint mentionem, Attentius prouiſurus, vt de hijs, que cauſæ cognitionem exigunt, & que indulta huiusmodi non contingunt, te nullatenus intromittas, Nos enim, ſi ſecus preſumpſeris, tam preſentes literas, quam proceſſum, quem per te illarum auctoritate haberi contigerit, omnino carere viribus ac nullius fore decernimus firmitatis. Huiusmodi ergo mandatum noſtrum ſic ſapienter & fideliter exequaris, vt eius ſines quomodolibet non exedas, preſentibus poſt triennium minime valituris. Datum apud vrbem veterem XV Kall. Nouembris pontificatus noſtri anno primo. Auctoritate igitur huius mandati nobis a ſede Apoſtolica commiſſi prohibemus, ne quis auſu temerario Abbatem & monachos in aliquibus, ſuper quibus a ſede Apoſtolica priuilegiati ſunt & premuniti tranſcriptis apoſtolicis moleſtare preſumat, neque in iure patronatus eccleſiæ Bredewath, neque ſuper collatione eiusdem eccleſiæ a dyoceſano facta, & poſtmodum a domino archiepiſcopo confirmata, Quod qui preſumptuoſe fecerit,

rit, ex hoc ipſo auctoritate apoſtolica ex nunc per preſentes ſit excommunicatus & ab omnibus euitandus. Datum anno domini MCCLXXIII in profeſto Apoſtolorum *Philippi* & *Jacobi*.

Jen anden Vidimus, Biſcops aff Sleſſuig paa Biſcop Esgeri *aff Rijbe, Capittels ibidem och* Jacobi *archibiſcop y Lund Collatz och ſiadtffeſtelſſe paa Breuadt Kijrcke.*

Gondo dei gratia Sleſſuicenſis Epiſcopus, prepoſitus & capitulum eiusdem Eccleſie omnibus preſens ſcriptum cernentibus ſalutem in domino Iheſu Chriſto. Noueritis, nos literas inferius annotatas ſub veris & integris ſigillis, absque omni corruptionis vitio vidiſſe in hec verba. **Esgerus*, dei gratia Ripenſis Epiſcopus, vniuerſis Chriſti fidelibus, ad quos preſentes litere peruenerint ſalutem in omnium ſaluatore. Cum ſecundum conſtitutionem felicis memorie domini *Alexandri* Papæ Eccleſia viuente perſona poſſit Locis rite conferri religioſis patroni aſſenſu ad hoc accedente, ſcire volumus tam poſteros quam preſentes, nos clauſtro Loci dei Eccleſiam de Bredwatt, cum conſenſu domini regis *Abel* canonice contuliſſe, iure perpetuo poſſidendam, ita quod, cum dicta eccleſia primitus vacauerit, Abbas prefati loci ipſam ad voluntatem ſuam ordinabit. Ne igitur ſuper hac collatione noſtra tam legitime facta dicto loco poſſit in poſterum ſuboriri calumnia, preſens ſcriptum ſibi commiſimus ad cautelam ſigilli noſtri munimine roboratam. Preſentes fuerunt huic collationi multi nobiles, videlicet Rex *Abel* ſuperius memoratus, eiusdem domini regis Marſcalcus *Iwarus* Dapifer, *Petrus Finneſſen*, *Petrus Johannis* filius, *Johannes Frijs* frater ejus, Prior *Petrus* de ordine predicatorum, & frater *Aſiradus*, Magiſter *Symon* canonicus noſter, *Abſolon* & *Mauritius* Clerici noſtri, multi etiam Clerici & Layci alij. Datum ab incarnatione domini anno MCCLII pridie Nonas Aprilis.

Esgerus, dei gratia Ripenſis Epiſcopus, omnibus preſens ſcriptum cernentibus ſalutem in domino ſempiternam, Cum nobis clare memorie rex Daciæ *Abel*, clauſtrum & conuentum de Loco dei Ciſtercienſis ordinis, Ripenſis dyoceſis ad eccleſiam Breduath preſentauit, vt eandem predicto conuentui conferremus. Nos intelligentes, eundem dominum regem eſſe & fuiſſe, ſicut progenitores ſui ante eum fuerunt, in quaſi poſſeſſione iuris patronatus eiusdem eccleſie, conſenſu capituli Ripenſis & conſilio, eandem eccleſiam de Bredtwadt, predicto conuentui de Loco dei, ante mortem & poſt mortem perſone, canonice contulimus iure perpetuo poſſidendam. Preſentationem ante factam per regem *Abel*, rex *Chriſtophorus* frater ſuus, eidem regi *Abel* in regno ſuccedens, conuentui per ſuas patentes Literas approbauit, quam & collationem noſtram, venerabilis pater, Dominus *Guido* ſacro-ſancti *Laurentij* in *Lucina* presbiter, cardinalis Apoſtolice ſedis in Daciam delegatus per ſe & ſuas literas auctoritate ſedis Apoſtolice, confirmauit. In cuius rei teſtimonium preſentes literas ſigillo noſtro fecimus ſigillari. Datum anno domini MCCLXXII in die ſanctorum ſeptem fratrum apud Locum dei.

Uniuerſis hoc ſcriptum cernentibus Capitulum ſancte *Marie* Ripenſis Eccleſie ſalutem in perpetuum. Cum ſecundum conſtitutionem felicis memorie domini Papæ *Alexandri* Eccleſia viuente perſona poſſit conferri Locis religioſis, patroni conſenſu ad hoc accedente, ſcire volumus tam preſentes quam poſteros, quod venerabiles fratres noſtri Monachi Loci dei Eccleſiam de Bredewatth, cum conſenſu omnium fratrum noſtrorum canonice ſunt adepti, Ita quod cum primitus ipſam vacare contigerit, dominus Abbas dicti clauſtri eandem eccleſiam ad voluntatem ſuam libere ordinabit. In cuius collationis teſtimonium preſentem cedulam ſigillo noſtri Capitoli fecimus roborari, preſentes autem fuerunt huic collationi plerique nobiles domini, videlicet rex *Abel*, *Jwarus* eiusdem domini Regis Marſcalcus Dapifer, *Petrus Finneſſen*, *Petrus Jonneſſen*, frater eius *Jonnes Frijs*, Prior Petrus de ordine predicatorum, frater *Aſiradus*, *Abſolon* & *Mauritius* Clerici domini Epiſcopi, & multi alij tam clerici quam Layci fide digni. Actum ab incarnatione domini anno MCCLII. Quarto Kall. Auguſti.

Jacobus, dei gratia Lundenſis archiepiſcopus, Suetiæ primas, omnibus preſens ſcriptum cernentibus ſalutem in omnium ſaluatore. Nouerint vniuerſi, quod nos collationem de Brettwadt Ripenſis dyoceſis factam per venerabilem fratrem *Esgerum* Ripenſem Epiſcopum de conſenſu veri patroni, videlicet, illuſtris regis danorum *Abel* bone memoriæ, monaſterio Loci dei Ciſtercienſis ordinis, Ripenſis dyoceſis, auctoritate Metropolitana, prout rite & prouide facta eſt, confirmamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtre confirmationis infringere, vel auſu temerario ei aliquatenus contraire, Si quis autem hoc attemptare preſumpſerit, indignationem dei omnipotentis & beatorum *Petri* & *Pauli* apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Lundis anno domini MCCLVIII. Kall. Martij ſexto.

In cuius rei teſtimonium huic cedule ſigillum noſtrum, vna cum ſigillo Capituli noſtri duximus apponendum. Datum apud Markethorp anno domini MCC ſeptuageſimo ſeptimo Pridie Nonas Junij.

Erchibiſcops aff Lunden Collatz effter biſpens aff Rijbe breff och ſiadtfeſtielſſe paa Brewadt Kijrcke.

Omnibus preſens ſcriptum cernentibus *Esgerus* miſeratione diuina Lundenſis Archiepiſcopus, Suetiæ primas, ſalutem in domino ſempiternam. Nouerint uniuerſi, nos literas reuerendi in Chriſto fratri noſtris, domini *Johannis* dei gratia Epiſcopi Ripenſis non raſas, non abolitas, nec in aliqua ſui parte vitiatas, vel ſuſpectas, ſed ſub vero ſigillo ſuo, & ſui Capituli, tenorem, qui ſequitur, de verbo ad verbum continentes.

Vniuerſis preſentes literas inſpecturis, *Johannes* dei gratia Ripenſis Epiſcopus ſalutem in domino ſempiternam. Cum a nobis, quod iuſtum eſt petitur, dignum eſt, vt idipſum fauore debito proſequamur, precipue quod ad augmentum diuini cultus ſpectat, & remedium continet animarum. Sane nuper religioſus vir & diſcretus dominus *Henricus* Abbas Loci dei ſua nobis inſinuatione patefecit, quod illuſtris princeps, dominus *Ericus* dux Jutiæ, ius patronatus, quod habuit in Eccleſia beati *Laurentij* Brethwath, ſpiritu ſancto inſpiratus

ſpiratus Abbati & monaſterio Loci dei perpetuo donauit, ad tenendum vnum altare in monaſterio ſupradicto, ad miſſam & honorem dei & beate virginis ibidem, ſingulis diebus celebrandam, petens humiliter, vt ſibi nomine monaſterij dictam Eccleſiam conferre dignaremur, Nos igitur habito ſuper hoc cum Capitulo noſtro tractatu, & deliberatione diligenti, memoratam Eccleſiam, domino Abbati & Monaſterio, de conſilio & conſenſu Capituli noſtri contulimus, iure perpetuo poſſidendam, ſaluo iure Epiſcopali & archidyaconi, quod dari vel exhiberi conſueuit, ſecundum antiquam conſuetudinem & approbatam. In cuius rei teſtimonium ſigillum noſtrum, vna cum ſigillo Capituli noſtri, preſentibus duximus apponendum. Datum Ripis anno domini MCCCXXIIII die beati *Egidii* Abbatis & confeſſoris. Nos igitur collationem de dicta Eccleſia, per dictum dominum Ripenſem & capitulum monaſterio Loci dei predicto rite & legitime factam ex certa ſcientia ratificamus, approbamus, & canonice preſentibus confirmamus. In cuius rei teſtimonium ſigillum noſtrum preſentibus eſt appenſum. Datum Lundis anno domini MCCCXXIIII die beati *Clementis* papæ & martiris.

Guidonis *Cardinalis breff, beffaling, och ſtrenge budh ad ingen ſchulle giöre Abbethen oc Conuent y Lyom nogen forhindering paa theris rettighedt y Breuadt Kijrcke.*

Frater *Guido* miſeratione diuina ſacro-ſancti *Laurentij* in Lucina presbiter, Cardinalis, Apoſtolice ſedis Legatus, dilectis in Chriſto vniuerſis parochianis Eccleſie de Bredeuath, Ripenſis dyoceſis, ſalutem in domino. Sua nobis dilecti filij, Abbas & conuentus monaſterij de Loco dei Ciſtercienſis ordinis, Ripenſis dioceſis, inſinuatione monſtrarunt, quod licet venerabilis pater Ripenſis Epiſcopus parochialem Eccleſiam de Bredteuath ad preſentationem clare memorie *Abel* Regis Daciæ, ipſius patroni Eccleſiæ exiſtentis tunc in poſſeſſione vel quaſi preſentandi de beneplacito & aſſenſu *Petri* Ripenſis Canonici tunc rectoris prefate Eccleſiæ Abbati & conuentui antedictis, contuliſſet, Ac venerabiles patres Lundenſis Archiepiſcopus, & Epiſcopus Ripenſis, collationem huiusmodi confirmarint, nosque demum collationem eandem duxerimus confirmandam, nichilominus tamen vos (ſicut accepimus) prefatos Abbatem & conuentum, quominus pacifica ipſius Eccleſiæ poſſeſſione gaudeant multipliciter impeditis. Super quo prouideri ſibi per nos, humiliter ſupplicarunt: Quapropter vniuerſitatem veſtram rogamus, monemus & hortamur attente, qua fungimur auctoritate mandantes, contra ſepedictos Abbatem & conuentum ſuper premiſſis, minime moleſtetis, Ita quidem, vt deuotionis veſtre promptitudinem, dignis poſſimus laudibus commendare, nec ſuper hoc ſcribere contra vos aliter compellamur. Literas autem, quas ſuper hijs a noſtra curia impetraſſe dicimini, velut veritate tacita impetratas decernimus non valere. Datum apud Lubeck IIII Nonas Nouembris, pontificatus domini *Clementis* papæ quarti anno ſecundo.

Biſcop aff Rijbe beſſaler Vicarijs y Breuadt ſoghen ſirengelig, adt thi aff ingen ſchal entfange Breduadt Kijrcke wden aff Abbeden och Conuent y Lyom Cloſter, oc ingen adt giffue renthen deraff wden Lyom Cloſter.

Esgerus dei gratia Ripenſis Epiſcopus vicario, qui nunc eſt inſtitutus in Eccleſia Bredeuath, & omnibus alijs vicarijs in poſterum ibidem inſtituendis ſalutem in domino ſempiternam. Auctoritate dyoceſana vobis omnibus & ſingulis mandamus, & ſub obtentu offitij veſtri precipimus diſtricte, vt a nullo locetis Eccleſiam Breduath niſi ab Abbate & conuentu Loci dei: Nec vlli redditus ex ipſa prouenientes, niſi monachis de Loco dei committatis. Si quis autem veſtrum contra hoc preceptum venerit, ipſo facto ab offitio & beneſitio per preſentes literas, ſit ſuſpenſus. Datum anno domini MCCCLXXII. In die ſeptem fratrum, Apud Locum dei.

Biſcop Esgeri *aff Rybe Vidimus paa Kong* Abels *Collatz om Bredewath Kyrcke.*

Esgerus dei gratia Ripenſis Epiſcopus omnibus preſens ſcriptum cernentibus ſalutem in domino ſempiternam. Scire volumus vniuerſos, & preſentibus literis atteſtamur, nos ſubſcriptas Literas illuſtris domini *Abel* quondam regis de verbo ad verbum vidiſſe & legiſſe, non abolitas, non cancellatas, ſub vero ſigillo ſuo nec in aliqua ſui parte vitiatas, quarum tenor eſt. **Abel* dei gratia Danorum Slauorumque rex, & dux Jutie, vniuerſis hoc ſcriptum cernentibus ſalutem & gratiam. Quoniam vniuerſi progenitores noſtri ab antiquis temporibus in Eccleſia Breuadt ius habebant preſentandi ratione poſſeſſionum noſtrarum in Suanſtorp, quas dilectis fratribus noſtris Monachis Loci dei contulimus iure perpetuo poſſidendas, conſtare volumus vniuerſis, quod ſicut eisdem fratribus dictas poſſeſſiones contulimus, ita eis totum ius noſtrum & quicquid iuris in dicta Eccleſia habuimus in perpetuum donamus poſſidendum. Ne igitur prefatis monachis ſuper premiſſis aliqua in poſterum ſuboriri poſſit calumnia, preſentem cedulam ipſis contulimus ſigilli noſtri munimine roboratam. Datum anno domini MCCLII nonas Aprilis.

Cum igitur non ſit cautum ferre preuilegia ad remota loca extra monaſterium propter viarum diſcrimina, & alios varios euentus, & ne celaretur veritas, predictas literas ſigillo noſtro ſigillauimus in teſtimonium & cautelam. Actum anno domini MCCLXXII XIII Kall. Junii.

Biſcop Johannis *y Rijbe Collatz paa Bredeuatt Kyrcke.*

Uniuerſis preſentes literas inſpecturis *Johannes* dei gratia Ripenſis Epiſcopus ſalutem in domino ſempiternam. Cum a nobis, quod iuſtum eſt petitur, dignum eſt, vt id ipſum fauore debito proſequamur, precipue quod ad augmentum diuini cultus ſpectat, & remedium continet animarum. Sane nuper religioſus vir & diſcretus, dominus *Henricus* Abbas Loci dei ſua nobis inſinuatione pateſecit, quod illuſtris princeps dominus *Ericus* dux Jutiæ ius patronatus, quod habuit in Eccleſia beati *Laurentij* Brethwath ſpiritu ſancto inſpiratus Abbati & monaſterio Loci dei perpetuo donauit, ad tenendum vnum altare in monaſterio ſupradicto,

dicto, ad miſſam & honorem dei, & beate virginis ibidem, ſingulis diebus celebrandam, petens humiliter, vt ſibi nomine monaſterij dictam Eccleſiam conferre dignaremur. Nos igitur habito ſuper hoc cum Capitulo noſtro tractatu & deliberatione diligenti, memoratam eccleſiam dicto Abbati & monaſterio de conſilio & conſenſu capituli noſtri, contulimus iure perpetuo poſſidendam, ſaluo iure Epiſcopali & archidiaconi, quod dari vel exhiberi conſueuit, ſecundum antiquam conſuetudinem & approbatam. In cuius rei teſtimonium ſigillum noſtrum vna cum ſigillo Capituli noſtri preſentibus duximus apponendum. Datum Ripis anno domini MCCCXXIIII die beati *Egidij* Abbatis & confeſſoris.

Biſcop Jacobi *y Rybe breff paa Bredeuadt Kyrcke Tynd.*

Omnibus preſens ſcriptum cernentibus *Jacobus* dei gratia Ripenſis Epiſcopus ſalutem in omnium ſaluatore. Noueritis vniuerſi, quod ad petitionem illuſtris principis domini *Waldemari* dei gratia ducis Jutiæ decimas Eccleſiæ ſancti *Laurentij* in Bredeuath pro fabrica eiusdem eccleſiæ deputatas, ad plures annos per officiales predicti domini ducis leuatas, ac ad preſens & de cetero monaſterio Loci dei per patentes Literas eiusdem ducis plene reſignatas monaſterio & monachis ibidem dimittimus & annectimus per preſentes, conſenſu dilecti Capituli noſtri ad id accedente, ſub pena excomunicationis diſtricte inhibentes, ne quis cuiuscunque conditionis aut ſtatus exiſtat, ſe de dictis decimis ſine voluntate eorundem aliqualiter intromittat, Si quis autem auſu temerario in contrarium fecerit, iram omnipotentis dei & beatorum Apoſtolorum *Petri* & *Pauli* ſe nouerit incurſurum. Datum noſtro ſub ſigillo, anno domini MCCCXLIIII octaua aſſumptionis beate Marie.

Guidonis *Cardinalis &c. Collatz och ſiadtfeſtelſſe offuer Konge* Abels *breff paa Breuadt Kyrcke.*

Frater *Guido* miſeratione diuina ſacro-ſancti *Laurentii* in Lucina presbiter, cardinalis, Apoſtolice ſedis legatus, dilectis filijs abbati & conuentui monaſterij Loci dei Ciſtercienſis ordinis, Ripenſis dyoceſis, ſalutem in domino. Cum a nobis petitur, quod iuſtum eſt & honeſtum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, vt id per noſtre ſollicitudinis ſtudium ad debitum perducatur effectum. Sane in noſtra propoſuiſtis preſentia conſtituti, quod inclite recordationis *Abel* dei gratia Danorum Slauorumque rex & Jutiæ dux, vobis & monaſterio veſtro poſſeſſiones, quas habebat in Suanſtorp, cum omni iure preſentandi, quod in Eccleſia de Brethewath ratione dictarum poſſeſſionum habebat, dedit & contulit perpetuo poſſidendas, prout in literis ipſius regis plenius continetur, quarum tenor talis eſt. **Abel* dei gratia Danorum Slauorumque rex & dux Jutiæ, vniuerſis hoc ſcriptum cernentibus ſalutem & gratiam. Quoniam vniuerſi progenitores noſtri ab antiquis temporibus in Eccleſia Bretewatt ius habebant preſentandi ratione poſſeſſionum noſtrarum in Suanſtorp, quas dilectis fratribus noſtris monachis Loci dei contulimus iure perpetuo poſſidendas, conſtare volumus vniuerſis, quod ſicut eisdem fratribus dictas poſſeſſiones contulimus, ita eis totum ius noſtrum & quicquid iuris in dicta Eccleſia habuimus, in perpetuum donamus poſſidendum. Ne igitur preſatis monachis ſuper premiſſis aliqua in poſterum ſuboriri

poſſit calumnia, preſentem cedulam ipſis contulimus ſigilli noſtri munimine roboratam. Datum anno ab incarnatione domini MCCLII nonas Aprilis. Quare ſupplicauiſtis humiliter, per nos donationem ſeu conceſſionem huiusmodi confirmari. Nos itaque veſtris ſupplicationibus fauorabiliter inclinati, donationem ſeu collationem predictam, prout iuſte & rationabiliter facta fuit, per predictum dominum regem *Abel* ratam & gratam habentes, auctoritate, qua fungimur, confirmamus & tenore preſentium communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtre confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare preſumpſerit, indignationem omnipotentis dei & beatorum *Petri* & *Pauli* Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Ripis X Kal. ſeptembris pontificatus domini *Clementis* papæ quarti anno ſecundo.

Biſcop Esgeri *y Rijbe ſupplicatz til Pauen, ad han wille confirméer Kong* Abels *Collatz pua Breuadt Kyrcke.*

Sanctiſſimo in Chriſto patri, domino dei gratia, ſacro-ſancte Romane Eccleſiæ ſummo pontifici, *Esgerus* eiusdem miſeratione Ripenſis Epiſcopus, deuota pedum oſcula beatorum. Nouerit ſanctitas veſtra, nos literas venerabilis patris domini *Guidonis* ſacro-ſancti *Laurentii* in Lucina presbiteri, Cardinalis, Apoſtolice ſedis Legati, non abolitas, non cancellatas, nec in aliqua ſui parte vitiatas, ſub vero & integro ſigillo ipſius, inſpexiſſe in hec verba: Frater *Guido* miſeratione diuina ſacro-ſancti *Laurentii* in Lucina presbiter, Cardinalis, Apoſtolice ſedis Legatus, religioſis viris Abbati & Conuentui de Loco dei Ciſtercienſis ordinis, Ripenſis dyoceſis, ſalutem in domino. Cum a nobis petitur, quod iuſtum eſt & honeſtum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, vt id per noſtre ſolicitudinis ſtudium ad debitum perducatur effectum. Sane in noſtra propoſuiſtis preſentia conſtituti, quod inclite recordationis *Abel* dei gratia Danorum Slauorumque rex, & dux Jutiæ, vobis & monaſterio veſtro poſſeſſiones, quas habebat in Suanſtorp, cum omni iure preſentandi, quod in Eccleſia de Bretheuath ratione dictarum poſſeſſionum habebat, dedit & contulit, perpetuo poſſidendas, prout in literis ipſius regis plenius continetur, quarum tenor talis eſt. **Abel* dei gratia Danorum Slauorumque rex, & dux Jutiæ, uniuerſis hoc ſcriptum cernentibus ſalutem & gratiam. Quoniam vniuerſi progenitores noſtri ab antiquis temporibus in Eccleſia Bredthuath ius habebant preſentandi ratione poſſeſſionum noſtrarum in Suanſtorp, quas dilectis fratribus noſtris monachis Loci dei contulimus, iure perpetuo poſſidendas, conſtare volumus vniuerſis, quod ſicut eisdem fratribus dictas poſſeſſiones contulimus, Ita eis totum ius noſtrum & quicquid iuris in dicta Eccleſia habuimus, in perpetuum donamus poſſidendum. Ne igitur preſatis Monachis ſuper premiſſis aliqua in poſterum poſſit calumnia ſuboriri, preſentem cedulam ipſis contulimus ſigilli noſtri munimine roboratam. Datum anno domini MCCLI II Nonas Aprilis. Quare ſupplicaſtis humiliter, per nos donationem ſeu collationem predictam, prout iuſte & rationabiliter facta fuit, confirmari. Nos igitur veſtris ſupplicationibus fauorabiliter inclinati, donationem ſeu collationem predictam per dominum regem *Abel* factam, ratam & gratam habentes, auctoritate, qua fungimur, confirmamus, & tenore preſentium communimus. Nulli igitur omnino hominum liceat hanc paginam noſtre confirma-

firmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare preſumpſerit, indignationem omnipotentis dei & beatorum *Petri* & *Pauli* Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Ripis X Kall. Septembris, pontificatus domini *Clementis* papæ quarti anno ſecundo. Sanctitati igitur paternitatis veſtre modis omnibus, quibus poſſumus & audemus humiliter ſupplicamus, quatenus prefatam donationem ſepedicti domini regis *Abel* a nobis approbatam, ac auctoritate metropolitana, necnon auctoritate venerabilis patris *Guidonis* dei gratia ſacro-ſancti *Laurentii* in Lucina presbiteri, Cardinalis, Apoſtolice ſedis Legati, confirmatam, auctoritate Apoſtolica dignemini roborare. Datum anno domini MCCLXIX. II Idus Aprilis.

Carolus *Erchibiſcop y Lunden confirmerer biſcop* Johannis *y Rybe Collatz paa Bredheuath Kyrcke.*

Omnibus preſens ſcriptum cernentibus, *Carolus* miſeratione diuina Lundenſis Archiepiſcopus, Suetiæ primas, ſalutem in domino ſempiternam. Nouerint vniuerſi, nos literas reuerendi in Chriſto fratris noſtri domini *Johannis* dei gratia Epiſcopi Ripenſis vidiſſe, non raſas, non abolitas, nec in aliqua ſui parte vitiatas vel ſuſpectas, ſed ſub vero ſigillo ſuo & ſui Capituli, tenorem qui ſequitur de verbo ad verbum continentes. Vniuerſis preſentes literas inſpecturis *Johannes dei gratia Ripenſis Epiſcopus*, ſalutem in domino ſempiternam. Cum a nobis, quod iuſtum eſt, petitur, dignum eſt, vt id ipſum fauore debito proſequamur, precipue quod ad augmentum diuini cultus ſpectat, & remedium continet animarum. Sane nuper religioſus vir & diſcretus, dominus *Hinricus* Abbas Loci dei, ſua nobis inſinuatione pateſecit, quod illuſtris princeps dominus *Ericus* dux Jutiæ ius patronatus, quod habuit in Eccleſia beati *Laurentii* Bredtuadt, ſpiritu ſancto inſpiratus, abbati & monaſterio Loci dei perpetuo donauit, ad tenendum vnum altare in monaſterio ſupradicto, ad miſſam & honorem dei & beate virginis ibidem ſingulis diebus celebrandam, petens humiliter, vt ſibi nomine monaſterij dictam Eccleſiam conferre dignaremur. Nos igitur habito ſuper hoc cum capitulo noſtro tractatu & deliberatione diligenti, memoratam Eccleſiam, dicto Abbati & Monaſterio, de conſilio & conſenſu Capituli noſtri contulimus iure perpetuo poſſidendam, ſaluo iure Epiſcopali & archidyaconi, quod dari vel exhiberi conſueuit ſecundum antiquam conſuetudinem & approbatam. In cuius rei teſtimonium, ſigillum noſtrum, vna cum ſigillo Capituli noſtri, preſentibus duximus apponendum. Datum Ripis, anno domini MCCCXXIIII, die beati *Egidii* Abbatis & confeſſoris. Nos igitur collationem de dicta Eccleſia per dictum dominum ripenſem & Capitulum Monaſterio Loci dei predicto rite & legitime factam ex certa ſcientia ratificamus, approbamus, & tenore preſentium confirmamus. In cuius rei teſtimonium ſigillum noſtrum preſentib[us] eſt appenſum. Datum Ripis anno domini MCCCXXVI in profeſto beate Marie Magdalene.

Biſcop

Tuko Esbernſſen *haffuer giffuet Lyom Cloſter alt ſytt godtz och eyendom y Welderup, Branderup, Stenderup, och Beeſiedt.*

Uniuerſis preſentes literas viſuris vel audituris *Tuko Æsbernſſen* ſalutem in domino ſempiternam. Ratione recta perpenditur, vt vſus temporalium amorem coeleſtium non excludat. Idcirco ego ſaluti meæ animæ prouidere cupiens, viris religioſis Abbati Loci dei & ſuo conuentui pro vna miſſa celebranda cottidiana in Eccleſia ipſorum ad altare beate *Marie Magdalenæ*, bona mea hic inferius exprimenda confero, & ex nunc aſſigno, iure perpetuo pacifice poſſidenda, videlicet in Nör Ranxſtrup herret omnia bona mea & ſingula mobilia & immobilia in Campo Welderup ſita, in quibus *Tucho Eeſſen* reſidet, ſex oras ſiliginis valentia in redditibus annuatim, cum comunitate pecorum & ſtath korn in eisdem. Item bona mea eodem Campo ſita, in quibus reſidet *Gothſwen Jacobſſen*, valentia oram ſiliginis annuatim. Cum duobus Colonis, qui ſoluant 24 pullos annuatim. Item bona mea in Campo Bramthorp ſita, in quibus reſidet *Thordo Jenſſen*, valentia ſex oras annonæ annuatim, cum comunitate pecorum & ſtath korn in eisdem. Item bona mea in Stendorp ſita, que de *Thormanno Ketilſſen* iuſtæ emptionis titulo obtinui, dimidiam marcam ſiliginis valentia annuatim. Item bona mea in Sunder Ranxſtrup herret, videlicet in Campo Bilſtedt ſita, in quibus *Petrus Food* reſidet, etiam dimidiam marcam ſiliginis valentia pro penſione annuali. Predicta autem bona omnia & ſingula cum omnibus & ſingulis ſuis attinentijs,

tinentijs, agris, cultis & incultis, pratis, ſiluis, paſcuis, aquis & aquarum decurſibus, ac cum iure ſummo, medio & infimo nil excepto, prout dicta bona vnquam liberius habui & poſſedi, eisdem domino Abbati in Lögum & ſuo monaſterio libere confero, lego & reſigno iure perpetuo poſſidenda. In quorum omnium euidentiam & certitudinem pleniorem ſigillum meum, vna cum ſigillis venerabilis patris domini *Petri* dei gratia Ripenſis Epiſcopi & ſui Capituli, ac *Woghen Nicleſſen* preſentibus eſt appenſum. Datum Ripis, anno domini MCCCXLV in vigilia beati Andree Apoſtoli.

Jet andet Tuko Esbernſzens *breff paa ſytt godtz y Welderup, Stenderup, Branderup, Beeſiedt och Gisdrup, ſom han haffuer giffuet Lyom Cloſter.*

Uniuerſis preſentibus & futuris literas preſentes inſpecturis vel audituris *Tuko Esbernſſen* ſalutem in domino ſempiternam. Quia labilis eſt hominis memoria, ideo facta notabilia, ne obliuio interueniat, ſolent ſcriptis & literis auctenticis ſtabeliri. Nouerint igitur vniuerſi, quod omnia bona mea infra ſcripta, que ego viris religioſis, domino Abbati in Lögum, totique conuentui ibidem, in placito iuſticiario domini ducis Juciæ preſidente *Woghen Nycleſſen*, ob remedium anime mee contuli eadem bona iterato a me & meis heredibus exnunc vt priús ſimpliciter alieno, & dictis religioſis aſſigno & approprio iure perpetuo libere poſſidenda, videlicet in Welderup ſita, cum comunitate pecorum & ſtadkorn in eisdem, in quibus *Tuko Eeſſen* nunc reſidebat. Item bona mea ibidem, cum duabus colonijs, in quibus reſidet *Gothſiven Jakobſſen*. Item bona mea in Brandrup ſita, cum comunitate pecorum & ſtadkorn in eisdem, in quibus reſidet *Thord Jönſſen*. Item bona mea in Stendrup ſita, que de *Thormanno Ketilſſen* iuſte emtionis titulo obtinui. Item bona mea in Sunder ranxſtrup herret videlicet in Bilſtedt ſita, in quibus *Petrus Food* reſidet. Item vltra hec bona mea ſupra nominata, de nouo confero eisdem religioſis bona mea in Gisdrup ſita, in quibus reſidet *Paulus Tokkyſſen*, valentia oram ſiliginis in redditibus annuatim, proteſtans, me & meos heredes in omnibus predictis bonis de cetero habere nihil iuris. In quorum omnium euidentiam pleniorem ſigillum meum preſentibus eſt appenſum. Datum anno domini MCCCXLVIII in craſtino decollationis beati Johannis babtiſtæ.

Waldemari *Hertuch y Jutland ſiadſſeſielſſe offuer* Tuko Esbernſzens *breff.*

Omnibus preſens ſcriptum cernentibus *Waldemarus* dei gratia dux Juciæ in domino ſalutem. Notum facimus vniuerſis preſentibus publice proteſtando, quod ſub anno domini MCCCXLV in die beati *Brictij* Epiſcopi & confeſſoris, conſtitutus in porta monaſterij Lögum vir diſcretus, *Tuko Esbernſſen* coram *Woghen Nycleſſen* placito noſtro iuſticiario, cum inhabitantibus Lygherret preſidente, ſcotauit preſentium exhibitori, venerabili patri domino *Thomæ* Abbati in Lugum totique conuentui ibidem ob remedium anime ſue, ac progenitorum ſuorum, omnia bona & ſingula, mobilia & immobilia in Campo Welderup ſita, in quibus *Tuko Eyſſen* reſidet, ſex oras ſiliginis valentia in redditibus annuatim,

cum

cum comunitate pecorum & ſtathkorn in eisdem. Item bona eodem campo, in quibus reſidet, *Gothſiwen Jacobſſen,* valentia oram ſiliginis annuatim, cum duobus colonis, qui ſoluant 24 pullos annuatim. Item bona ſua in Campo Branthorp ſita, in quibus reſidet *Thordo Jönſſen,* valentia ſex oras annonæ annuatim cum comunitate pecorum & ſtathkorn in eisdem bonis. Item bona in Stendorp ſita, que de *Thormanno Ketylſſen,* iuſte emptionis titulo obtinuit, dimidiam march ſiliginis valentia annuatim. Item bona ſua in Campo Bilſtedt ſita, in quibus *Petrus Food* reſidet, etiam dimidiam march ſiliginis valentia pro penſione annuali: reſignauit cum ſingulis & vniuerſis attinentijs, agris cultis & incultis, pratis, ſiluis, paſcuis, aquis & aquarum decurſibus, ac cum iure ſummo, medio & infimo nil exepto, prout dicta bona vnquam liberius habuit & poſſedit, ac dicto monaſterio contulit & legauit iure perpetuo poſſidenda: obligans ſe, & heredes ſuos, ad liberandum, appropriandum, & disbrigandum bona pretaxata ad reuolutionem trium annorum iuxta terre conſuetudinem, ab impetitione cuiuscunque. Vnde nos dictam ſcotationem rite & rationabiliter factam, ratificamus, approbamus, & preſentibus confirmamus, ipſi monaſterio bona memorata adiudicantes iure perpetuo libere poſſidenda, ac prohibentes, ne quis ſe de dictis bonis, absque conſenſu, & voluntate ſpeciali Abbatis, qui ibidem pro tempore fuerit, intromittat quoquo modo, prout gratiam noſtram diligere voluerit inoffenſam. Datum anno, die & loco ſupradictis, teſte *Wogen* antedicto.

Waldemarus *giffuer Lyom Cloſter nogen godtz y Welderup.*

Waldemarus dei gratia dux Jutiæ Nörranxſtorpherret inhabitantibus ſalutem & gratiam. Ex quo uxor cuiusdam *Nicholai Mærthſſen* in parochia Bilſtedt, inſtigante diabolo, ſeipſam ſuſpendio interfecit, & idcirco omnia bona ipſius, ſecundum leges terre, ad ius noſtrum ſunt plenarie deuoluta. Nos igitur ob remedium anime noſtre, omnia bona predicte mulieris in Welderup ſita, cum omnibus ſuis pertinentijs, viris religioſis Abbati & monachis de Lögum, tenore preſentibus perpetuo conferimus pacifice poſſidenda, prohibentes ſub obtentu gratie noſtre, ne quis eos ſuper dictis bonis preſumat aliquatenus moleſtare. Datum Apenrha in preſentia noſtra Anno domini MCCCLX in die beatorum Martirum Viti & Modeſti noſtro ſub ſecreto.

Söndher Ranxſirup Herret.
Paa Bèeſtedt Terp, Arndrop och Androp Mölle.

Vniuerſis preſentes literas inſpecturis, Capitulum ripenſis Eccleſiæ ſalutem in domino. Notum facimus vniuerſis, quod in preſentia noſtra propter hoc perſonaliter conſtitutus, *Michael* dictus *Tuly* compromiſſum per *Langſum* ſacerdotem fratrem ſuum, in cauſa, quam habuit contra Abbatem & monaſterium Loci dei, ſuper quibusdam bonis in Bilſtædt Terp, & Arndorp, cum molendino & ceteris pertinentijs, nomine ſuo factum, ratum habuit: Et ſententiam reuerendi patris, domini *Criſtierni* Ripenſis Epiſcopi & *Johannis* Archidyaconi arbitrorum in memorata cauſa electorum, acceptam habuit, & penitus approbauit, promittens, quod contra eam de cetero non veniret. In cuius rei teſtimonium ſigillum noſtrum ad rogatum prefati Abbatis, duximus preſentibus apponendum. Datum Ripis, anno domini MCCCVIII &c.

Om II Ottinge Jord paa Arndrop mark.

Uniuerſis, ad quos preſens ſcriptum peruenerit, *Johannes Acerſſen* ſalutem in domino ſempiternam. Ex quo contentio eſt inter poſſeſſores in Arndrop marck, de terris, quas ibidem vendidi, Scire volo vniuerſos, quod viris religioſis, monachis de Loco dei in dicto marck, duo Ottinge integra, & ſine diminutione qualibet vendidi & ſcotaui, que eisdem approprio vbicunque voluerint & viderint expedire: Sed *Stephano* dicto *Wrang* non plus ſcotaui nec approprio, niſi quantum curie mee, que Weſtergaard dicitur attinuiſſe dinoſcitur ab antiquo. In cuius rei teſtimonium preſens ſcriptum ſigillo meo feci roborari. Datum anno domini MCCLXIX in feſto Apoſtolorum *Petri* & *Pauli*.

Om ien Agger liggendis hoeff Arndrup mölle.

Omnibus preſens ſcriptum cernentibus *Bundo Suyr* ſalutem in vero ſalutari. Nouerint vniuerſi, me contuliſſe monaſterio Loci dei vnum agrum iuxta molendinum Arndrop ſituatum duo Nydyng continentem iure perpetuo poſſidendum. In cuius rei teſtimonium ſigillum meum appoſui preſenti cartulæ. Datum anno domini MCCCII in die beatorum Apoſtolorum *Philippi* & *Jacobi*.

Paa Beſiedt Terp oc Arndrop mölle, item Borlund oc Arndrop.

Esgerus dei gratia Ripenſis Epiſcopus omnibus preſens ſcriptum cernentibus ſalutem in domino Jeſu Chriſto. Notum ſit tam preſentibus quam poſteris, quod conſtitutus in preſentia noſtra Ripis *Nicholaus* filius *Aſceri Ingretſſen*, vendidit & ſcotauit viris religioſis dilectis nobis domino Abbati & conuentui Loci dei, Ciſtercienſis ordinis, noſtre dyoceſis, curiam ſuam, quam habuit in Bilſteterp, cum agris, pratis, ſiluis, paludibus & alijs omnibus attinentijs eiusdem curiæ, Et in Borlund marck, quod emit domina *Ingret gamblæ*, bone memorie. Et molendinum ſuum in Arndrup cum pratis, & alijs omnibus ſibi de conſuetudine pertinentibus, qualicunque nomine cenſeantur. Ac duo Otting terre in Arndrop marck ſine diminutione qualibet & defectu. Dicti vero Abbas & conuentus predicto *Nicholao Aſcerſſen* ſexcentas & quadraginta marcas denariorum vſualis monetæ Ripenſis reddere promiſerunt, Ita quod quelibet marca denariorum valeat tres ſolidos Legalium ſturlingorum. Ne igitur antedictis Abbati & conuentui ſuper ſcotatione ſupradictorum bonorum tam legitime facta ab ipſo vel aliquibus in poſterum ſuboriri poſſit calumnia vel contradictio, preſentes literas ſigillo noſtro duximus roborandas. Preſentes fuerunt huic ſcotationi Magiſter *Simon* Canonicus Ripenſis & *Magnus* filius Canuti albi Canonicus Arhuſienſis, & *Johannes Katt* frater dicti *Nicholai*, qui conſenſum adhibuit ſupradictis, & alii quam plurimi, tam Clerici quam Layci fide digni. Actum Ripis anno domini MCCLXVI proximo Sabbato ante natiuitatem beate Marie virginis.

Abbeden aff Lyom Cloſter haffuer trettet med Michael Tuli *om Beeſiedt Terp, Arndrup och Arndrup mölle, och haffuer wunden Retten.*

In nomine domini Amen. Dudum exorta materia queſtionis inter *Michaelem Tuli* Laycum actorem ex vna parte, & religioſum virum dominum *Johannem*

Abba-

Abbatem Loci dei ex altera ſuper quibusdam bonis & poſſeſſionibus in Bilſtedterp & Arndrup cum molendino & ceteris pertinentijs, & coram domino *Johanne* prepoſito in Almundſyſſel, ac magiſtro *Aſiraco* Canonico Ripenſi, a reuerendo patre domino *Iſarno* Lundenſi archiepiſcopo Suetiæ primate, iudicibus delegatis aliquandiu ventilata, tandem ex parte predicti Abbatis, & *Langſzum* ſacerdotis rectoris Eccleſiæ Hwytting, nomine fratris ſui memorati *Michaelis Tuli* comparentis, & de ratihabitione ipſius ſub pena centum marcarum vſualium, cauentis, in nos *Criſtiernum* Ripenſem Epiſcopum, & *Johannem* archidyaconum noſtrum extunc compromiſſum, fide hinc inde preſtita, quod arbitrio, ſeu dicto noſtro ſuper predictis ſtarent & omnino parerent. Nos igitur propter bonum pacis compromiſſum ſeu arbitrium predictum ſuſcipientes, viſis petitionibus & allegationibus ipſius *Michaelis*, ac reſponſionibus & defenſionibus ipſius Abbatis intellectis, inuenimus monaſterium Loci dei ſupradictas poſſeſſiones omnes & ſingulas iuſto titulo habuiſſe, & per quadraginta annos & amplius poſſediſſe, prout in inſtrumento publico expreſſe apparet, comunicato conſilio, dei nomine inuocato, arbitrando pronunciamus, ſententiamus & diffinimus, ſepedicta bona in Bilſtedterp, & Arndrop cum molendino & ceteris pertinentijs pleno iure ad prefatum monaſterium pertinere, predicto *Michaeli* ſuper hoc perpetuum ſilentium imponentes, ac ipſum Abbatem ab impeticione ipſius penitus abſoluentes. In cuius rei teſtimonium ſigilla noſtra preſentibus duximus apponenda:

Actum Ripis in curia noſtra. Anno domini MCCCVIII.

Jen ſtadffeſtielſſe paa then kiöb och ſchöde offuer det godtz y Beſied Terp, Arndrup oc Arndup mölle.

Uniuerſis Chriſti fidelibus, ad quos preſentes litere peruenerint, *Johannes* & *Petrus* filii *Aceri Ingretſſen* ſalutem in domino Jeſu Chriſto. Nouerint vniuerſi, nos conſenſum & bonam voluntatem noſtram cum conſilio cognatorum noſtrorum adhibuiſſe venditioni & ſcotationi, que eſt inter dominum Abbatem & conuentum Loci dei Ciſtercienſis ordinis Ripenſis dyoceſis, & fratris noſtri *Nicholai* de omnibus patrimonialibus ſuis in Bilſtedterp, & molendino in Arndrop, & duobis octonis integris in Arndrop marck cum omnibus ſuis attinentijs vbicunque Locorum, quoquo nomine cenſeantur a dictis Clauſtralibus ſine contradictione, vel moleſtia cuiuscunque perſone iure perpetuo poſſidendis. In cuius rei teſtimonium preſentem venditionem & ſcotationem, cum conſenſu cognatorum noſtrorum communimus, & iuſto venditionis titulo in perpetuum appropriamus. Actum anno domini MCCLXVI Ripis in preſentia domini *Esgeri* Ripenſis Epiſcopi, & canonicorum ſuorum, aliorumque fidelium, tam Laycorum quam Clericorum, in natiuitate glorioſe Virginis Mariæ.

Nicholaus Hynſſen *ſetter Abbeten och Conuent alt ſin eyendom y Arndrup och nogen jord y Heſſel tyl Wilkôer pand for XII pund grodt penninge.*

Omnibus preſens ſcriptum cernentibus *Nicholaus Hynſſen* ſalutem in domino ſempiternam. Nouerint vniuerſi, me ab exhibitoribus preſentium dominis Abbate de

de Lögum & conuentu ibidem, duodecim libras ſturlingorum integraliter recepiſſe, pro quibus omnia bona mea, que in Arndrop poſſideo, cum domibus, agris, pratis, paſcuis & vniuerſis eisdem bonis attinentibus, aridis & ſiccis, necnon quasdam terras meas in Hæſſel marck, vsque ad ſequens feſtum ſancti Martini veraciter ipſis impignoro per preſentes, tali conditione mediante, quod ſi dicte duodecim Libre in proximo placito ante feſtum beati Martini in pecunia numerata non fuerint perſolute, extunc omnia bona predicta cedent Monaſterio Lögum iure perpetuo poſſidenda absque vlla impetitione heredum meorum quorumcunque. In cuius rei teſtimonium ſigillum meum preſentibus eſt appenſum. Datum anno domini MCCCXLIX feria quinta ante natiuitatem virginis glorioſe.

Capitels breff y Ribe paa then ſorligelſſe mellom Abbeden aff Lyom Cloſter och Michael Tuly *om nogen godtz y Beeſiedt terp, Arndrup och Androp Mölle.*

Uniuerſis preſentes literas inſpecturis Capitulum ſancte Marie Ripenſis Eccleſiæ ſalutem in domino ſempiternam. Noueritis, quod in noſtra preſentia perſonaliter conſtituti, religioſus vir & diſcretus dominus *Johannes* Abbas Loci dei ex vna parte & *Langſom* dictus *Tuly* rector Eccleſiæ Hwitting nomine fratris ſui *Michaelis Tuly* ex parte altera, ſuper ea controuerſia ſeu queſtione inter eos orta, ſuper quibusdam bonis ſeu poſſeſſionibus in Bylſteterp, & Arndrop, cum molendino & ſuis pertinentijs, ac coram diſcretis viris *Johanne* prepoſito de Almundſyſſel & magiſtro *Asraco* Canonicis Ripenſibus a reuerendo patre domino *Iſarno* Lundenſi archiepiſcopo Suetiæ primate, iudicibus delegatis aliquandiu ventilata, finaliter compromiſerunt in venerabilem patrem dominum *Chryſtiernum* Epiſcopum noſtrum, & *Johannem* archidyaconum, promittentes per fidem, quod eorum dicto ſeu arbitrio ſtarent, & ratum haberent, quicquid ſuper prefatis bonis ducerent arbitrandum ſeu ordinandum. Cauit inſuper memoratus *Langſom* pro dicto *Michaele* fratre ſuo, ſub pena centum marcarum vſualium, inter ipſos arbitros, & ſupradictum dominum Abbatem æqualiter diuidendarum, quod dictus *Michael*, arbitrorum, vel ſententiam ipſorum arbitrorum ratam haberet perpetuo & nunquam contra veniret. In cuius rei teſtimonium ſigillum noſtrum preſentibus duximus apponendum. Actum Ripis anno domini MCCCVIII.

Jet ſchödebreff paa ien gaard y Beſied terp, Arndrop oc Arndrop mölle ſ.c.

Omnibus hoc ſcriptum cernentibus *Johannes* filius *Aſceri* miles ſalutem in omnium ſaluatore. Ad noticiam omnium volo peruenire, quod ego *Johannes* tutor fratris mei *Nicholai* graui infirmitate depreſſi, ipſo conſentiente, vendidi & ſcotaui monachis de Loco dei curiam, quam habuit idem *Nicholaus* in Bilſtedterp, ad quam curiam pertinent XIIII hore terrarum Repdragen & duo Otting in Arndropmark cum molendino ibidem. Et pratum vnum iuxta molendinum verſus occidentem. Et vnum agrum, cum Forthæ & Fægangh in Alſſe marck. Et quartam partem Otting in Burlund marck, cum ſuis pertinentijs preter agros & prata, pro quibus poſſeſſionibus confiteor me iuſtum pretium recepiſſe, & obligo me ad reſpondendum pro predictis monachis, & pro predictis bonis ipſos

liberos

liberos facturum me promitto ab impeticione quorumcunque. Datum Ripis anno domini MCCLXVII 3 feria proxima poſt feſtum beatorum Dyoniſij & ſociorum eius.

Dette breff indeholder hwor langt Arndrop mölle marck recker.

Alle mend thette breff ſeer eller höre læſſe, hielſſe wy Juſſuer Perſſen *tingholder paa Lyom biercke ting,* Laurs Madtſſen, Laurs Jenſſen, Marqword Höeg *ſandemend y forneſſnde bierck ewindelig med gud. Kundgiöre wy forſchreſſne mend med thette wort obne breff Aar effter gudtz byrd MDXLVI, Mondag neſt effter S. Michaelis dag, tha wor ſchicket for oſſ, och flere dannemend ſom tha til tinge wore, beſcheden dannemand,* Knudt Grymeſſen *Cloſters gaard foget, eſchet och fick iet fuld tingiswinde aff VIII dannemend, ſom wore* Jes Symenſſen, Per Söffrenſſen *y Weſtermöll,* Per Frendiſſen *y Lyom gaard,* Jeb Nielſſen *y Terp,* Madtz Eſckilsſen *y Landby,* Anders Thamſſen *y Koldkod,* Juſſuer Nyſſen *y Föerby,* Laurs Madtſſen *y Landby. Thiſſe VIII dannemend wdginge och welberadde igien komme, wonde alle med ien röſt paa ſiel oc ſande, adt thij hörde och ſoſſue ſamme dag paa forneſſnde ting inden IIII ſiocke, Adt III beſcheden dannemend, ſom wore* Benditt Nielſſen *y Beſtedtterp,* Per Anderſſen *y Mordbeck, och* Thames Perſſen *y Alſſe,* Per Anderſſen *y Mordbeck wond adt ſin fader bode y Arndrupmölle, och ſielff kunde han myndis y II ſnees Aar, och thij II dannemend* Bendit Nilſſen *y Beſtedt terp och* Thames Perſſen *y Alſſe, thennom kunde myndis y III ſnees aar, tha roth Arndrup mölle marck til den Pell ſom ſtander y den düge Ende paa och ſiden rett Nörr op adt then ſtunde ſom ehr graffuen ſadder y till möllen. Framdelis wonde ſamme III dannemend med ſammerlig ord, adt then marck ſom* Jep Möller *nhu haffuer y brugen, then haffuer werret bruget til Arndrup mölle y theris mynde. Att thet ſaa er wonden for oſſ, ſaa winde wy forſchreſſne mend med woris indſzegeler tröckendis neden for thette wort obne breff.* Datum anno, die, loco, vt ſupra.

Laffheffdt paa Grafflundt.

Alle mend thette breff ſeer eller höre læſſe, hielſſe wy Jens Bundiſſen *herritzfoget y Sönder ranxſtrup herret,* Ebbi Jenſſen, Jens Hagiſſen *oc* Bertel Polſſen *ſandemend y forneſſnde herret ewindelig med wor herre, och kundgiöre wy forſchreſſne mend med thette wortt obne breff, Adt âar effter gudtz byrdt MDXIIII, Torſſdag effter S. Petri in Cathedra, tha wor ſchicket for oſſ och flere dannemend ſom then dag til Tinge wore, regelbunden mand broder* Tuo Lagſſen *aff Lyom Cloſter, eſchet och fick iett fult tingiswinde aff VIII dannemend, ſom wore* Thames Olufffſen, Bertel Powelſſen, Michel Perſſen, Jep Terkelſſen, Raſſmus Tögeſſen, Nis Finneſſen, Anders Jenſſen, *och* Per Nielſſen *y Lyom. Thiſſe VIII dannemend wdginge oc welberadde igien komme wonde for oſſ paa theris gode tro ſiell och ſandhe, ad thij hoeff wore hörde och ſoſſue ſamme dag paa forneſſnde ting inden IIII ſiocke, II beſcheden dannemend, ſom wore Her* Mattys Iffuerſſen *ſognepreſt till Heldewadt, och Her* Jeb Mattiſſen *ſognepreſt till Beſtedt Kyrcker, wonde och ſagde paa ſiell och ſandhedt, adt thij hoeff wore mondag for S. Petri hörde och ſoſſue, adt hederlig fader broder* Hennick *Abbet y Lyom Cloſter gaff ſin*

Loff och Lageheffdt paa Grafflund marck medt ſine hederlig brödre och preſter Lagetijdt dags, och indworde til Lyom Cloſter all then eyendom inden IIII marck mode, ſom er agger och Engh, Moſce och Kiær, Forthe oc Koogang y huad ſom neffnis kand inthet wndtagen och braſt ingen wernn. Adt alle ord, ærinde och articheler ere ſaa gangen och farn y alle maade, ſom tilforne ſchreffuet ſtander, thet winde wy forſchreffne mend med wore indſzegeler hengendis neden for thette breff. Datum anno domini die loco, vt ſupra.

Per Swelund haffuer ſchödt Abbet *Claues* aff Lyom Cloſter alt fyth böndergodtz oc grund y Grafflund.

Alle mend thette breff ſzéer eller höre læſſe hielſſe wy Per Suelundt *fogit paa Sönder ranxſtrup herretz ting*, Hinrick Rantzou *Webner*, Nis Perſſen *y Hellewadt*, Morten Jenſſen *y Beſiedt*, Michel Owyſſen *oc* Nis Perſſen *y Hoſtrop ſandemend, ewindelig med wor herre. Kundgiöre wy medt thette wort obne breff, adt aar effter gudtz byrd MCDLXXVII, then torſſdag for S. Mauritii dag wor ſchickett for oſſ, oc for flere gode mend ſom then tijd nerwerendis whore paa ſönder ranxſtorp herritz ting, waar ien beſcheden mand, broder* Claues *Abbet y Lyom Cloſter, huilke ſom lydelig tiltalet och adſpurde forſchreffuen* Per Suelund, *om thet mageſchyffte ſom thennom waarymellom, om then iord ſom Cloſter haffde liggendis widt Suelund, och om all then böndher iord, ſom bönder hadde liggendis y Grafflund marck. Tha opſiod forneffnde* Per Suelund *lydelig inden IIII ſiocke, och ſchötte forneffnde Abbet* Claues *all then rettighedt, ſom bönder haffde y Grafflund marck bode y agger och Engh, y marck och y hædhe, y moeſſe och y kiær bode med herſchabs nherwerendheedt och tilladelſſe. Och ſchötte forneffnde* Per Suelund *broder* Claues *all then deel ſom bönder ther haffde y forneffnde Grafflund marck forwden alle mendtz tiltalelſſe eller gienſigelſſe, och ingen bönder ther ad haffue nogen iordt, wden then ſom Cloſter ſchött worde, oc tilhörr y noger maade. Effter thijſſe ord opſiodt forneffnde broder* Claues, *oc bad om iet fuldt tingiswinde ſom han fick och framlidde aff VIII dannemend, ſom wore* Nis Perſſen *y Hoſtrop*, Michel Lanſſen *y Kloutofft*, Jes Michelſſen *y Hellewadt*, Nis Laſſen *y Lunderup*, Nis Ogſſen *ibidem*, Töge Anderſſen *y Heynkyff*, Jes Jonſſen *y Kloutofft*, Jes Kalijſſen *y Heynkyff*, *Huilke VIII dannemend wdginge, och welberadde ind igien komme, wonde paa theris troſiel och ſande, att thij haffde hördt, oc forneffnde* Per Suelundt *haffde ſchötth broder* Claues *Abbet y Lyom Cloſter, all then iord och rettighedt ſom bönder haffde y Grafflund marck, och ingen mand ther deel y haffuer forwden Lyom Cloſter y nogher maade. Att ſaa er gangen oc farn, thet winde wij forſchreffne mend wore indſegler hengendis neden for thette breff &c.*

Abbet *Hennich* y Lyom Cloſter gaff Loff paa Lagheffdt, paa iet godtz y Öſter Lyom.

Alle mend thette breff ſeer eller höre læſſe hielſſe wy Jens Bundtſſen *herretzfoget y Sunder Ranxſtrup herret*, Eby Jenſſen, Bertel Polſſen, *oc* Nis Knudtſſen *ſandemend y ſame herret ewindelig med gud, och kundgöre wy med thette wort obne breff, att åar effter gudtz byrdt MD paa thet IX, then torſſdag neſt effter S. Erasmi dag, tha wor ſchicket for oſſ och flere dannemend, ſom tha nerwerendis*

hoeff

hoeſſ wore paa forſchreffne ting, broder Tuo Lagſſen *aff Lyom Cloſter, eſchet oc framlidde II beſcheden dannemend, ſom wore* Eby Jenſſen *och* Tomes Olufffſſen, *huilke forneffnde dannemend wonde paa theris ſiel och ſande, att thy hoeſſ wore hörde och ſoffue, adt hederlige fader broder* Hennick *abbet y Lyom Cloſter wor then fredag neſt tilforney Öſter Lyom och gaff Louff paa Lagheffdt Logtijddags med ſine hederlige brödre og preſter, paa thett godtz ſom* Hans Chryſtenſſen *bode paa, ſom er agger och Engh, fijſchwand och fægang, huſſtofft och gadiord, med alle ſine rette tiliggelſſe fyre wegne til marckmode, och déell y ſirijb, ſaa möget ſom Cloſter haffuer ther medt rette, och haffuer haffdt y brugelige heffdt wlaſt och wkerd y hundre dar och mere. Herpaa badh forneffnde broder* Tuo *om iet wwyldig tingiswinde, huilket han fich och framlidde aff VIII dannemend, ſom wore* Bertel Bruen, Jes Jepſſen *y Andholm,* Per Thamſſen *y Roubierre,* Swen Anderſſen, Mattis Nielsſen *y Höſtrup,* Per Kalijſſen *y Möls,* Mattis Nielſſen *y Jarup, och* Truls Bundsſen *y Swenlund, huilke VIII dannemend wdginge, och indkomme iendrechtelig, alle med ien röſt wonde paa theris tro ſiel och ſandhe, adt thij hörde och ſoffue ſame dag inden IIII ſtocke paa forneffnde herritz ting, alle orde, ærende, articheler oc ſtycker ſaa gick och foer y ſandhed ſom for ſtander ſchreffuet. Tyl wddermere windysbyrd, ſaa haffuer wy forneffnde mend ladet henge wore indſzegeler neden for thette breff.* Datum die loco vt ſupra.

Ratzleuus Stage *giffuer Lyom Cloſter alt ſijtt godtz y Öſter Lyom.*

Omnibus preſens ſcriptum cernentibus *Ratzleuus Staage* ſalutem in domino ſempiternam. Nouerint vniuerſi tam poſteri quam preſentes, quod omnia bona mea in Öſter Lugum ſita michi quondam per *Johannem Wge* in preſentia domini *Waldemari* illuſtris ducis Jutiæ pro VII libris ſterlingorum impignorata, ſed minime redempta, cum omnibus attinentijs ſuis, agris videlicet, pratis, ſiluis, aquis, paſcuis, & omni iure, quo mihi appropriata ſunt, ob remedium animæ meæ & vxoris meæ dilecte *Abel*, monaſterio confero Loci dei in perpetuum pacifice poſſidenda, prohibens inſuper omnibus heredibus meis, ne fratres dicti Loci ſuper predictis bonis aliqualiter debeant moleſtare. In cuius rei teſtimonium ſigillum meum preſentibus eſt appenſum. Datum anno domini MCCCLIX Dominica qua cantatur Letare Iheruſalem.

Paa ien gaard y Querſſe Sogen kallis Æbyld, ſom fru Abel Staage *haffuer ſchödt Lyom Cloſter.*

Omnibus preſens ſcriptum cernentibus conſules in Lylle Tunder ſalutem in domino ſempiternam. Nouerint vniuerſi tam preſentes quam futuri, quod domina quedam *Abel* nomine, relicta cuiusdam apud nos defuncti *Ratzleui Staken,* conſtituta in preſentia noſtra reſignauit exhibitoribus preſentium viris religioſis & dominis, Abbati & monachis de Lögum curiam quandam, Æbyld in parochia qwerſſe & Lyngtoffter ſitam, cum omnibus attinentijs ſuis videlicet, Agris, pratis, paſcuis, ſiluis, & omni iure, quo ſupradictus *Ratzleuus Staken* redemerat memoratam curiam a quodam *Hartwyco Bychel*, cuius patrueli videlicet *Hinrico Bychel* quondam impignorata fuit per *Ericum Abelſſen* pro XXI marcis Lubicenſibus,

ſibus, tali modo, quod ſex marcas memorate pecuniæ contulit monaſterio pro anima mariti sui ſepedicti. Quindecim vero reſiduas in debito remiſit, quo prius eisdem tenebatur perſoluendo. Nos igitur quod audiuimus & vidimus, in verbo veritatis proteſtamur. In cuius rei teſtimonium & certitudinem firmiorem ſigillum noſtre ciuitatis preſentibus eſt appenſum. Datum anno domini MCCCLX feria ſecunda poſt dominicam trynitatis.

Jet andet Breff paa den gaard Æbyld.

Omnibus preſens ſcriptum cernentibus *Johannes Dunck* miles dapiſer illuſtris domini, domini *Hinrici* ducis Jutiæ, ſalutem in domino ſempiternam. Tenore preſentium conſtare volo vniuerſis, virum religioſum dominum Abbatem de Loco dei Literas impignorationis ſuper curiam Æbyld in preſentia mea cuidam *Lydekyno Areſizſſen* aſſignaſſe, tali conditione media, quod idem *Lydekynus* dictum dominum Abbatem & monaſterium ſuum ab omni impetitione & damno, que ipſis ab heredibus cuiusdam *Ratzleui Staken* ratione reſignationis predictarum Literarum incurrere poterit, ſe vel ſuos heredes obligauit penitus exepturum. In cuius rei teſtimonium ſigillum meum preſentibus eſt appenſum. Datum in Lylle Tund anno domini MCCCLXVI ſabbato proximo ante feſtum beati *Martini* Epiſcopi & confeſſoris.

Jet Breff Kornetued.

Uniuerſis preſentes literas inſpecturis *Lydwardus Nanneſſen* & conſules ceterique ciues in Luttke Tunder habitantes ſalutem in domino ſempiternam. Conſtare volumus vniuerſis, quod conciuis noſter *Nicholaus Lydichſſen*, omnia bona ſua mobilia & immobilia, que habuit in Kornetwed in domibus, terris, pratis, ſiluis, aquis, & cum omnibus ſuis pertinentijs in placito Tunderherret Abbati & monaſterio Loci dei, cum omni iure ſcotauit, & eadem bona a ſe & a ſuis heredibus in perpetuum alienauit, recognoſcens, ſe in eodem placito pro dictis bonis plenum pretium habuiſſe, tali conditione inter dictum *Nicholaum* & monaſterium prius habita, quod idem *Nicholaus*, quamdiu vixerit & IIII^{or} ſot ſiliginis, IIII^{or} ſot ordei & IIII^{or} ſot auene annuatim in profeſto S. Andreæ Apoſtoli perſoluerit, in ipſis bonis libere & quiete poſſit reſidere, exeptis dimidietate pecorum, & terris, ſi que emptæ per Abbatem monaſterij ſupradicti fuerint, vel alio modo iuſte acquiſite, de quibus monaſterio quolibet anno certos redditus debeat reſpondere. Ceterum ſignificamus vniuerſis, quod dicta bona poſt mortem dicti *Nicholai* cedant Monaſterio libere in perpetuum poſſidenda. In cuius rei teſtimonium ſigillum meum & ſiggillum eiusdem ciuitatis preſentibus ſunt appenſa. Datum anno domini MCCCXIII tertio Nonas Martii.

Jep Ebbiſſen ſagde ſeg ad haffue nogen iord y Lyom Bierck, och loed ſeg indſchriffue til Brundlund for IIII ſz. til âarlig ſchyld deraff.

Alle mend thette breff ſéer eller höre læſſe hielſſe wy Jeb Madſſen *ſognepreſt tijl Beſtedt Kijrke,* Ebby Jenſſen, *och* Jens Martenſſen *ſandmend y ſame ſogen ewindelig*

delig med wor herre, och kundgiöre wy forſchreffne mend med thette wort obne breff, adt aar effter gudtz byrd MDXII Söndag effter Philippi & Jacobi, *tha wor ſchicket for off, och flere dannemend ſom then dag tilſtede wore paa forneffnde Kyrckegaard, hederlige fader broder* Hennick *Abbet y Lyom Cloſter, eſchet och fick iett fuldt ſognewynde aff XII dannemend, ſom wore* Marten Owiſſen, Anders Perſſen, Bendet Nielſſen *y Terp,* Per Laſſen, Truls Nielſſen, Thames Oluffſſen, Hans Anderſſen *y Terp,* Las *y Grafflund,* Jeeb Perſſen, Swen Erickſſen, Anders Wijffbierg, *oc* Jeeb Nielſſen. *Thiſſe XII dannemend wdginge och welberadde igen komme, wonde paa theris gode tro ſiel och ſandhen, att thennom myntes, och thij haffde hiörd och ſpurdt aff gammele folk, att thet ſchede then tijd,* Hinrick Rantzou *wor Höwidtsmand paa Brunlund, tha worde ranſſneffning kraffuet paa them ſom bruchte wdherritz iord, Tha kom* Jep Ebbyſſen *til* Per Suelund *ſom tha wor herretzfoget y ſönder ranxſtrupherret, bad hannom hielpe ſeg adt han ey kom y ſchade, Tha ginge thij til* Marthen Jenſſens *huuſſ y Beſtedt, thij ſchriffuer-en aff Brunlund, ſom hæthe* Ludolphus, *han wor y ſame hwſſ, och han ſchreff ther thij IIII ſz. ſom findes y regiſtreret til aarlig ſchyldt aff then iord ſom forneſſnde* Jep Ebbyſſen *ſagde ſeg ad haffue y Lyom bierck y Lyom ſogen, ſom* Jes Anderſſen *y Terp endnhu paa klagendis ehr y forneffnde bierck och ſogen. Att ſaa ehr gangen och farn y alle maade ſom tillforne ſchreffuet ſtander, thet windewij forſchreffne mend medt wore indſzegeler hengendis neden for thette breff.* Datum die & loco vt ſupra.

Jacobus Rooſteth *haffuer giffuet Lyom Cloſter alt ſith godtz y Brotherſtedt, Clofftofft, Beſtedt, y Bramtorp ſogen Rurop, Schoubyll &c.*

Omnibus preſens ſcriptum cernentibus *Jacobus Roſteth* miles ſalutem in domino ſempiternam. Ea, que geruntur in tempore, ne ſimul labantur cum tempore, literarum ſolent teſtimonio perhennari, hinc eſt, quod de bonis mihi a deo collatis, volens magis preuenire quam preueniri, Eccleſiæ ſancte Mariæ Loci dei ordinis Ciſtercienſis Ripenſis dyoceſis, ad quam attractione totius parentele mee, affectum cum conſorte mea, pro ipſius profectu, a primeua ætate habeo ſpetialem, in remedium animæ meæ propter ſepulturam in eadem habendam, contuli bona ſubſcripta. Videlicet in parochia Hykingh villa Brotherſtedt, omnia bona mea mobilia & immobilia, cum agris, pratis, paſcuis, ſiluis, cum omnibus æſtimationibus in eisdem bonis, per me poſitis & inuentis. Item omnia bona mea in parochia Hellewadt, villa que dicitur Kloutofft, ſita, cum omnibus redditibus pertinentibus ad eadem. Item in Bilſtedt vnam oram annonæ in redditibus annuatim. Item in parochia Bramthorp, que de heredibus *Bundonis Boſſ* in villa Schogbyll cum omnibus æſtimationibus & conditionibus per me poſitis in eisdem. Item in eadem villa bona, que habui de *Elena Magnes Kunæ* cum omnibus & ſingulis ſuis adiacentijs. Item in Campo Runtorph parochiæ eiusdem de terris meis vnius marck annonæ redditus confero predictis Monachis Loci dei iure perpetuo poſſidendos. In horum omnium euidentiam pleniorem ſigillum meum vna cum ſigillis dilecte vxoris mee, necnon cognatorum meorum *Jonæ Eſchilſſen* & *Jonæ Iwerſſen* duxi preſentibus apponendum. Datum anno domini MCCCXXX quarto die beatorum martirum Dyoniſij & ſociorum eius, preſentibus Clericis & Laycis quam pluribus fide dignis, inſuper Ego *Mathias Ny-*

cleſſen donationem ſupradictam approbo, ratifico, ac ſigilli mei appenſione comunio in teſtimonium premiſſorum.

Riber Capitels Vidimus offuer dette forſchreuen breff, og Biſpens ibidem.

Uniuerſis preſentes literas inſpecturis *Petrus* dei gratia Ripenſis Epiſcopus & Capitulum ibidem ſalutem in domino ſempiternam. Nouerint vniuerſi, nos literas domini *Jacobi Roſiath* militis ſigillo ſuo vero, & ſigillo vxoris ſue domine *Helene*, necnon ſigillis *Jone Iwerſſen* & *Mathei Nicleſſen* ſigillatas, non raſas, non abolitas, nec in aliqua parte ſui vitiatas vidiſſe, tenorem qui ſequitur continentes, Omnibus preſens ſcriptum cernentibus *Jacobus Roſieth* &c. vt ſupra.

Paa nogen godtz y Genner.

Omnibus preſens ſcriptum cernentibus *Margareta* relicta *Caroli Jacobſſen* quondam villani in Apenra ſalutem in domino ſempiternam. Nouerint vniuerſi, quod ego omnia bona mea, in villa, Campo & ſilua Genner ſita, que poſt mortem *Caroli Jacobſſen* ſupradicti habui, ob remedium anime mee confero & lego monaſterio Lugum iure perpetuo poſſidenda. Tali conditione mediante, quod ego predicta bona ſub ordinatione mea, ad tempus vitæ meæ retineam. Et ſi penuria extrema me contigerit aggrauari, quod abſit, licitum ſit mihi tantum pro victu neceſſario vendere de bonis antedictis. In cuius rei teſtimonium ſigillum meum preſentibus eſt appenſum. Datum anno MCCCLXIII vigilia beati Mathei Apoſtoli & Euangeliſte glorioſi.

Abbet *Jens* aff Lyom Cloſter haffuer giffuet Louſt paa Lagheffdt offuer dy godtz ſom *Detleff van der Wijſck* haffuer ſold Lyom Cloſter.

Witlick vnd apenbar ſy allen vnd einen iuwelicken watterleye ſtates weſendes edder condition, ſze ſynt, de deſſenn apenenn breue ſeen hören leſen edder darmede erſocht werden, dat ick Jens Erickſſen, *dingehörer vp Sloxdinge do wittlick apenbar bekennende myt deſſem mynnem apene breue, wodane wijs, dat ahm iare nha Chriſti gebort MD an dat erſte, des Midtwekens nha ſancte Luciæ dach weren geſchicket binnen des vörſchreuen herdes dinge binnen IIII dingeſtockenn, in egener perſonen II tuchwerdigen mannen, als bi namen, Her* Johannes Mowenſſen, *vnd* Nis Tordſſen *to Bulderop wondhen ſamptlickenn vor den gemeynen Herdes Luden, de do tho dinge werenn, dat de erwerdige Here Her Abbet* Jens *tho Lögum Cloſter, hefft ſin ëedt gegeuen myt erlicken preſterenn, des donerdages vör ſancte Lucien dage rechte Loghtijd dages in dem Dorpe Wolderup in dem Karſpel Byolderup vp den guderen de he hadde gekofft in vörtiden van den duchtigen* Detleff van der Wijſch *Woloffſöne, ſeliger gedechteniſſe, vnd van ſine vrouwe vrouwe* Magdalena, *mitt erem Kindere. Na vörſchreuen tucheniſſe was Her Abbet* Jens *vörbenömet myth vlyte biddende vnd begerende vmme einen dingeswinde, wes ick* Jens Ericksſen *em gudtwillich gundhe van framen tuchwerdigen Luden, des wurden dar vth vnſzen IIII dingeſtockenn genamen achte vnberuchtede mannen, als int erſte,* Jes Anderſſen *to Nolde,* Nis Chriſtenſſen *to Wolderop,* Nis Peterſſen *ibidem,* Nis Knudtſſen

Knudſſen *to Heyſſe*, Nis Bendyſſen *to Fowerdrop*, Jep Nielſſen *ibidem*, Tuche Jepſſen *to Sotterup*, *vnd* Michel Jenſſen *to Rabſiede*. *Duſſe vörſchreuen vhtgiengenn vnd ſamptlicken wedder inkuemenn myth wolbedachten moden, vnd myt ripen rade eindrechtliken vth einem munde ſprekenn vnd wundenn, dat ſze gehört haddenn alle worde vnd artichelen als vörgeſchreuen ſteit. Item wonden ock vörſchreuen achte mennen vp eren waren wörden, wo dat en wittlick were, dat Her Abbet vörbenömet vörſchreuen guderen vnbeklaget hadde gehatt van der tijdt dat ſe ehm ſchöttet weren, bett tho der tijdt, dat he ſin êedt vnd Lageheſſuet dar vp dede myt vörſcheuen heren als vorſchreuen ſteit, dat dit ſo is gegann vnd gefaren, hebbe ick* Jens Erickſſen *vaget am vorbenannten herde*, Claues van Aneſelde, Jes Ouyſſen Alſleff, *vnd* Dynes Perſſen Tingelöff *vnſen ingeſzegel wittlicken geheten drucken &c.*

Dethleff van der Wyſch ſchödebreff paa dy godtz han ſolde Lyom Cloſter.

Ick Dethleff van der Wiſch Wulffneſöne *Knape bekenne vnd betuge apenbar in duſſem minem apenenn breue vör alſweme de öne ſeen, hören edder leſzen, dat ich vnd mine huſſfrouwe* Lene, *vries vnd wolberadens modes, vnd mydt vulborde vnd willen alle der jennen, de dat mith rechte vulborden ſchoellen, vnd der ere vulbordt hier to nodt vnd behoff is, vör vns vnd vnſze eruenn recht vnd redelichen to arff egene hebben vorkofft, vörſchotet, vnde vorlatenn, iegenwardigen, in vnd myt Crafft deſſes vnſes apenen breues: Dem werdigen Heren* Johannes Arſtſone *Abbathe vnde dem gantzen Conuenthe to Lugum Cloſter Riper Stichtes vnſze vnd vnſzer eruen nhageſchreuenn Landtgudere: In Sluxherde, Riffherde vnd Sunder Ranxſtrop herde belegen, mith alle erenn thobehöringen vnd renthen, vnd vpkominghen ſzo nhageſchreuen iff. Alſze nömlicken, Söeſz gudere to Rabſiede,* Ebbe Erickſſen *III mk. II höner ein goeff,* Peter Smidt *III mk. II höner I goeff,* Michel Niſſen *III mk. II höner ein goeff,* Jon Jenſſen *III mk. II höner I goeff,* Matz Powelſſen *III mk. II höner I goeff,* Jep Tugeſſen *XVIII ſz. Knyſſſijgh IIII gudere,* Jep Frelloſſen *III mk. II höner I goeff,* Peter Nielſſen *III mk. II höner I goeff,* Pawel Madtſſen *III mk. II höner I goeff,* Jep Jenſſen *III mk. II höner I goeff. Korup IIII gudere,* Mattz Laſſen *II mk. I ortig rogg II höner I goeff,* Peter Adtzerſſen *II½ mk. II höner I goeff,* Lagi Adtzerſſen *I Rinſchen gulden II höner I goeff,* Nis Schreder *XXVII ſz. I ortig rogg II höner I godff. Fowerdrop IIII gudere,* Jens Jepſſen *III mk. II höner ein goeff,* Hans Nielſſen *XVIII ſz. I ortig rogg II höner I goeff,* Thomes Kaliſſen *III mk. II höner ein goeff,* Peter Nielſſen *XXIIII ſz. I ortig rogg II höner I goeff. Haxſiede V gudere,* Peter Nielſſen *III mk. II höner I goeff,* Las Erickſſen *III mk. II höner I goeff,* Peter Pawelſſen *III mk. II höner I goeff,* Peter Kalijſſen *III mk. II höner I goeff,* Nis Knudſſen *III mk. II höner I goeff. Huxholte I gudt,* Kally Jenſſen *III mk. II höner ein goeff. Stormesgarde ein gudt,* Mattis ½ *tonden botteren. Wullerup II gudere,* Tucke Terkelſſen ½ *tonden botteren I rinſchen gulden,* Ellen Knudsſen ½ *tonden botteren* ½ *ortig rogg. Rebbel I gudt,* Jep Marthenſſen *XVIII ſz. Toffbul I gudt,* Thomes Kalijſſen *IIII mk. Juldrup I gudt,* Andres Regerſſen *XVIII ſz. Obening I gudt,* Nis Schreder *XVIII ſz. Wraagard I gudt,* Ibi Tuckiſſen

Tuckiſſen *IIII mk. Brewadt II gudere,* Grote Peter Chriſtenſſen *III mk. II höner I goeſſ,* Luttke Peter Chriſtenſſen *III mk. II höner I goeſſ. Sollingwra I gudt,* Peter Jenſſen *VI mk. Solingwra mölen XVIII ortig rogg. Vör vüff duſſent minhundert lubſche march penninge, vnd vrouwe* Lenen *myne huſſfrouwen ein Klenodie van XX Rinſche gulden, vnd ein ewige begenckeniſſe alle iaren binnen dem erghenanten Cloſter vppe S. Georgens daghe vor wy, mine huſſvrouwen vnde kindere, vor vnd nha vnſzen dodhe vnd ock vor alle vnſze frunde in godt vörſtorbenen ſele, ewichlichen, vnde ſtedeliken, to holdende. Van welkeren vörſchreuen ſummen penninghe de genanthe Her* Johannes *Abbet ſchal* Claues Binnighe *tho Rendesborg druddehalff duſendt lubiſch mk. gudes geldes Höwidtſiols, dar denne de genanten gudere ömhe vor pandet vnd vorſettet weren van myner wegen, vullenkamen vörnöghen vnd betalen, vnd my des furder qwitteren vnd vrigh holden vör alle to ſproke dede der druddehalffduſent mk. haluen erbenomet in nhatiden mochte inrifenn edder vpſtann. So bekenne ich dorch deſſem mynem apenen breue, dat ich ſodane* 5000 *min hundert lubiſch mk. vnd klenodie ſzo vorberört, van dem werdigen Heren* Johannes *Abbet vnd gantzem Conuente to Lugum Cloſter Ryper Stichtes vorbenömt to vullenkamener nöghe, im gudem grauen pagmente ſo to Lubeke vnd Hamborg genge vnd geue is vpgebört vnd enttfangen hebbe, vnd de furdern in mine vnd myner eruen nutticheit ghekeret vnd vthgegeuen hebbe. Worumme ick* Dettleff van der Wijſck *vnd myne huſſvrouwe* Lene *vorbenömdt vor vns vnd vnſſe eruen dem werdigen Her* Johannes *Abbet ſine nhakomelingen vnd gantzen Conuenthe tho Lyom Cloſter Riper Stichtes erbenömpt, vorkopen, vörſcheten, vnd vorlathenn vullenkamen ſzo vörgeſchreuen is. Alle duſſe vorſchreuenen gudere, thobehöringe, vrijheit vnde rechtickheit, alſze ſze in erenn enden vnd endeſcheden begrepen ſynt, bewechlick vnd wnbewechlick, midt ackerenn, holtingenn, wijſchenn, weidenn, maſt, watherenn, waterſtowinghe, dickenn, dickvlotenn, vnd in aller grunde, dröghe vnd nath, mytt allem gerichte vnd rechte, in halff vnd in hande, myth denſte, denſtgelde, pacht, hure, bröcke, tuiſt, vnd in aller nutthe vnd vrijheit, nichtes dar van vthgenhamen, vns vnd vnſſen eruenn dar nichtes vrijges, edder egenes ane thobeholdende, vnd ich* Dettleff van der Wijſck Wulneſzöne *vnd mine huſſvrouwe* Lene *vorbenannten vnde vnſze eruenn ſchöllenn vnd willenn dem werdigen Heren* Johannes *Abbathe, ſynem nhakomelingenn vnd gantzem Conuenthe tho Lyom Cloſter Riper Stichtes vorbenannten: De ergenanthe gudere, mith allenn vörſchreuenn thobehöringenn, vrijheidenn, richticheidenn, ſzo wij ſze jenarle vrigeſt gehath, gebruket vnd beſeten hebbenn, qwijt vnd vrijghe waren, nemande anders vörköfft, vörſchotet, vnd vorlatenn, vnd willen ſze entfrijen, alſze im Lande to Holſten ein recht is, vor geiſtlick vnd wertlick, dede vor recht kamenn willenn anſproke, vnd ick* Dethleff van der Wijſck, *vnd mine huſſvrouwe* Lene, *vorbenömedt, vnd vnſſe eruenn vörbenannten dem werdigen Heren* Johannes *Abbathe ſynenn nhakomelingenn vnd gantzenn Conuenthe, tho Lyom Cloſter Riper Stichtes vorbenannten in Crafft duſſes breues an de ewighen bruckelicken arffkops beſittinge aller vorſchreuen gudere mytt alle erenn tobehöringenn vryheiden, vnd rechticheidenn vorbenannten, vnd in thokamenden tijdenn dar nicht wedder toſprekende, edder dar wes entiegenn to ſeggende edder to döndhe. Alle duſſe vorſchreuenn Stucken vnd artickele laue ick* Dethleff van der Wijſck *vnd myne huſſfrouwe* Lene *vorbenannte vor vns vnd vnſze eruenn, dem ergemelte Her* Johannes *Abbathe ſinenn nhakomelingenn vnd gantzenn Conuente tho Lugum Cloſter Riper*

Stichtes

Stichtes truwen handt vnd in guden truwenn myth ganzen Louenn ſtede faſt vnd vnuorbracken tho holdende, in aller wijſze alſze vorſchreuen is, vnd neynerleie inſzaghe effte argelijſte, vnd ock nene vthneminge effte behelpinge dariegen to netende edder tho donde, dar mede duſſe breff, kope vnd waringe mochte gekrenket effte gebraken werden, nha geiſtlikes effthe werltlikes rechtes eſchinge, dat godt affkere. Des to groter tucheniſſe vnd vorwaringe hebbe ick Dettleff van der Wijſck *vnd myne huſſvrouwe* Lene *erbenannte withlikenn vnd myt willen vnſer beyder ingeſzegele, mytt denn ingeſzegelenn der wolduchtigenn vnd erſzamen* Peter Rantzou *Amptman to Tunderen, vnd* Otto Rantzou *to Karlſſwhra,* Anders Smader *vnde* Marquordt Holſte *Borgemeiſter vnd Radtman der Stadt Flenſſborg, dede ſzodan vörſcreuen kopp vnd duſſen vorſcreuen breff, dorch vnſe vrundtliche bede tho der warheyt mede beſegelenn, hengenn latenn nedden an duſſem breff, dede gegeuen vnd geſchreuen is na Chriſti vnſes Heren gebordt MCDLXXXXVI iare des Mondages negeſt nha der hilligen drier köningen daghe.*

Canutus Snubbe *giffuer y ſin Teſtamente Abbeten oc Conuent y Lyom Cloſter III Otting iord y Bolderſtemarck, Item III Otting y ſamme Marck y Ætteboll medt ſin ſchou kallis Urnæ.*

Omnibus Chriſti fidelibus, ad quos preſentes litere peruenerint, *Canutus* dyaconus de Aauitth, *Nicholaus* ſacerdos de Otær, *Cryſtina* relicta *Canuti Snubbe,* & *Matheus* filius ipſius *Canuti* ſalutem in domino ſempiternam. Quicquid pie a fidelibus geritur, iuſtum eſt, vt magna diligentia confirmetur. Exinde ſciant preſentes & poſteri, quod *Canutus Snubbe* antedictus ſapiens & ſana mente, non ab aliquibus illectus, nec mentis alienatione deceptus, ſed ex bona premeditatione & ſapienti deliberatione coram nobis lecto egritudinis decumbens, ante octauum diem mortis ſue, preſentibus dominis *Johanne* quondam Abbate Loci dei, & *Gunnero* eiusdem Loci Monacho, pluribusque fide dignis, recitari fecit & ratificauit teſtamentum ſuum conditum, in hunc modum. Omnibus Chriſti fidelibus preſentes literas inſpecturis, *Canutus* dictus *Snubbe* ſalutem in eo, qui ſaluat omnes. Quoniam labilis eſt hominum memoria, & ne ea, que geruntur in tempore, ſimul labantur cum tempore, ſcripturarum ſoleant teſtimonijs perhennari. Hinc eſt, quod notum facio preſentibus & futuris, me teſtamentum meum condidiſſe & ſigilaſſe meo proprio ſiggillo cum ſigillis dominorum ſacerdotum *Suenonis* de Bulderop & *Tuchonis* de Wkæ, volens, vt idem teſtamentum inuiolabiliter obſeruetur, cuius tenor talis eſt. In nomine patris & filii & ſpiritus ſancti amen. Ego *Canutus* dictus *Snubœ*, facio teſtamentum meum in hunc modum. Primo do ad terram ſanctam XXIX mk. denariorum. Item Eccleſijs, in Sleſſuich, Önlöff, Apenra, Ænſteth, Branthorp, Akerbeck, Oten Öthejick beate *Marie* Ripis, & domui ſancti ſpiritus ibidem, cuilibet vnam marck denar. Et dominis ſacerdotibus in eisdem celebrantibus dimidiam marcham denariorum, & miniſtris cuilibet II oras denariorum. Item Eccleſijs Biuldorp & Tinglöff cuilibet II marcas, & ſacerdotibus ibidem cuilibet dimidiam marcam denar., & miniſtris cuilibet II oras. Item fratribus predicatoribus & minoribus in Sleſſuich & Ripis quibuslibet vnam marcam, & monialibus dictis Locis quibuslibet vnam marcam. Item hoſpitalibus Sleſſuich & Flenſſburg, Apenra & Ripis quibuslibet vnam marcam & fratribus in Flenſſburg vnam marcam. Item viris religioſis

monachis de Loco dei confero tria Otting terre in Bolderſle marck in Haldenſſboll viciniora ſoli, & tria Otting in eodem Campo in Ætteboll ſoli remotiora cum ſilua mea in Vrnæ tota, que me contingit, exeptis III Otting ſilue in Haldenſſboll ſoli remotioribus, que *Kettil Streng* vilicus meus habet, que *Matheo* filio meo cedant ratione hereditaria paterna. Item omnia bona mea, exeptis, que in teſtamento meo preſenti continentur, volo, quod dilecta mater mea libere diſponat, donec de redditibus eorundem bonorum predicta legata poterunt integraliter perſolui, exeptis filij mei *Mathæi* victu & veſtitu. In cuius facti memoriam ſigillum meum, cum ſigillis dominorum ſacerdotum *Suenonis* de Buderup & *Tuchonis* de Wkæ, preſentibus duxi apponendum &c.

Abbet och Conuent aff Lyom Cloſter appellerer til Pauen mod den offuer Laſt och Woldh dem ſchede aff Her Johan Urne *y Bolderſlæ Marck och Urnæ.*

In nomine Patris & filij & ſpiritus ſancti Amen. Nos Abbas & conuentus monaſterij de Loco dei ciſtercienſis ordinis Ripenſis dyoceſis ſentientes, nos & monaſterium noſtrum nimium pregrauari, a vobis dominis *Nicholao* priore Othonienſi, *Nicholao* eiusdem Eccleſiæ prepoſito, & *Rykone Toſienn* Eccleſiæ prepoſito, pro eo, quod cum per venerabilem patrem dyoceſanum noſtrum iudicem a ſede metropolytana delegatum, ad poſſeſſionem bonorum in Bollerſſlemarck & Urnæ, quibus dominus *Johannes* dictus *Urnæ* miles Sleſſuicenſis dyoceſis, monaſterium noſtrum ſpoliauit, probata legitime noſtra poſſeſſione, & deiectione nobis facta per dictum militem, fuiſſemus ſententialiter reſtituti, & dictus dominus *Johannes* emiſſa appellatione ad ſedem Apoſtolicam, vos ſuper meritis ipſius appellationis a dicta ſede apoſtolica iudices impetraſſet. In dicta cauſa appellationis ob fauorem eiusdem militis, detinentis, adhuc bona noſtra predicta violenter, & propter hoc toto conamine iudicium declinantis, adeo malitioſe procedere diſtuliſtis, quod licet iam fere per annum integrum vobis per Sindicum noſtrum fecerimus ſuplicari, vt ipſam cauſam iuris ordine tractaretis, & aliquem ſaltem expedire articulum curaretis, hoc tamen minime potuimus impetrare, etſi ad inſtantiam dicti Sindici noſtri ſexies vel circiter aduerſarium noſtrum feceritis ad iuditium euocari, nunquam tamen perſonas veſtras exhibere in iuditio, ſeu auctoritatem veſtram ſubdelegare alijs voluiſtis. Sedem apoſtolicam, ſic grauati multipliciter, tam in priuatione poſſeſſionis noſtre, & fructuum eiusdem, quam laboribus plurimis & expenſis, in hijs ſcriptis appellamus, petentes Apoſtolos inſtanter, qui ſi denegati fuerint, iterum appellamus. Nos etiam & omnia bona monaſterij noſtri eiusdem ſedis protectioni ſubijcimus & tutelæ. Acta ſunt hec coram Capitulo Othonienſi anno gratiæ MCCLXXXV, idus Septembris quinto, preſentibus clericis & Laycis quam plurimis fide dignis. In cuius rei teſtimonium vna cum ſigillo Capituli Ripenſis ſigillum noſtrum preſentibus eſt appenſum.

Jen Diſputatio mellom Abbeten aff Lyom Cloſter oc Her Johannes Urnæ *ſin Aduocate om Bolderſle marck.*

Dico & propono: Ego *Joon* Abbas Loci dei nomine meo & conuentus mei, contra dominum *Johannem de Urnæ* coram vobis venerabili patre domino *Tuchone* Ripenſi

Criſtophorus dei gratia Daciæ, Sueciæ, Norwegiæ, Slauorumque ac Gottorum rex, Comes palatinus Reni & dux Bauariæ, omnibus preſentes literas inſpecturis ſalutem in domino ſempiternam, Vniuerſa negotia mandata a literis teſtimonialibus trahunt immobile firmamentum, hinc eſt quod tenore preſentium conſtare volumus preſentibus & futuris, nos dilectos nobis Abbatem & conuentum Loci dei, cum omnibus bonis & familia eorundem ſub noſtra recepiſſe protectione ſpetiali, dimittentes ipſis omnia bona ſua tam in decimis, quam in alijs pijs Elemoſinis eisdem a ſede apoſtolica, Archiepiſcopis Lundenſis Eccleſiæ, Epiſcopis Ripenſibus & Sleſſuicenſibus, a noſtris etiam predeceſſoribus tam in ciuitatibus, quam in alijs quibuslibet locis miſericorditer indulta, per totum regnum noſtrum Daciæ & alibi ſub dominio noſtro a grauamine expeditionis, impeticione exactoria, ceterisque oneribus & ſolutionibus iuri noſtro attinentibus libera pariter & exempta. Ac hanc ſuperaddentes eis gratiam ſpecialem, quod villici eorum, coloni, inquilini, ſeu alii, eisdem in familia attinentes, de exceſſibus ſuis, pro iure noſtro quadraginta videlicet marcharum & infra, nulli reſpondeant niſi ipſi domino Abbati vel monachis ſuis ſupradictis quibus huiusmodi negotium duxerit committendum, Inſuper omnia priuilegia & gratias eisdem domino Abbati & conuentui per predeceſſores noſtros conceſſa, ratificamus & preſentibus confirmamus, prohibentes, & ſub obtentu gratiæ noſtre diſtricte precipientes, ne quis aduocatorum noſtrorum, vel alij in regno noſtro conſtituti, dictos Abbatem vel fratres ſuos, ſeu villicos, colonos, preſumat auſu temerario contra protectionis noſtre tenorem, & huiusmodi libertatis & gratiæ donationem aliquomodo moleſtare, prout indignationem noſtram velint effugere & vindictam. In cuius rei teſtimonium & firmiorem euidentiam ipſis preſentes literas contulimus ſecreti noſtri appenſione roboratas. Datum Lubech, feria tertia ante purificationis beate Marie Virginis. Anno domini, milleſimo, quadringenteſimo, quadrageſimo ſeptimo.

Konge

Konge Ericus *tager Abbet og Conuent aff Lyom Cloſter med theris godtz y ſin kongelige beſchermelſſe ſ.c.*

Ericus dei gratia Danorum Slauorumque rex omnibus preſentes literas inſpecturis in domino ſalutem. Vniuerſa negotia mandata literis & voci teſtium ab vtroque trahunt immobile firmamentum, hinc eſt, quod tenore preſentium conſtare volumus tam preſentibus quam futuris, nos dilectos nobis Abbatem & conuentum Loci dei cum omnibus bonis & familia eorum ſub noſtra protectione recepiſſe ſpetiali &c. vt ſupra:

In cuius rei teſtimonium & perpetuam memoriam preſentes ipſis literas contulimus ſigilli noſtri appenſione roboratas. Datum in conſilio apud Nyburgh Anno domini MCCLXXIX, in die commemorationis ſancti pauli preſentibus melioribus regni.

Hertuch Ericus *y Julland tager Abbeten och Conuent aff Lyom Cloſter y ſin beſchermelſſe, oc ſiadfeſter deris priuilegia.*

Ericus dei gratia dux Juciæ omnibus preſentes literas inſpecturis ſalutem in domino. Vniuerſa negotia mandata literis & voci teſtium ab vtroque trahunt immobile firmamentum, Hinc eſt, quod tenore preſentium conſtare volumus tam preſentibus quam futuris, Nos dilectos nobis Abbatem & conuentum Loci dei cum omnibus bonis & familia eorundem, ſub noſtra recepiſſe protectione ſpeciali, dimittentes ipſis omnia bona ſua, tam in decimis quam in aliis piis eleemoſinis eisdem a ſede apoſtolica, Archiepiſcopis Eccleſiæ Lundenſis, Epiſcopis Ripenſibus & Sleſſuicenſibus, a noſtris etiam progenitoribus miſericorditer indulta, per totum ducatum noſtrum, a grauamine expeditionis, Impeticione exactoria, ceterisque oneribus & ſolutionibus, iuri noſtro attinentibus, libera pariter & exempta, ac hanc ſuperaddentes eis gratiam ſpetialem, quod villici eorum & coloni, ſeu alii eisdem in familia attinentes, de exceſſibus ſuis pro iure noſtro nulli reſpondeant, niſi ipſi domino Abbati vel monachis ſuis ſupradictis, quibus huiusmodi negotium duxerit committendum. Prohibemus igitur ſub obtentu gratie noſtre, diſtricte precipientes, Ne quis dictos Abbatem & fratres ſuos contra protectionis noſtre tenorem, & huiusmodi libertatis & gratiæ donationem preſumat auſu temerario moleſtare. Quod qui fecerit indignationem noſtram non effuget & vindictam. In cuius rei teſtimonium & perpetuam memoriam preſentes ipſis contulimus literas ſigilli noſtri appenſione roboratas. Datum Norborgh Alſſe in preſentia noſtra, Anno domini MCCCXIII. In die beati Gregorii Papæ.

Jet andet breff hertuch Erici *det ſamme indholdendis.*

Ericus dei gratia dux Jutiæ omnibus preſentes literas inſpecturis ſalutem in domino. Vniuerſa negotia mandata literis & voci teſtium ab vtroque trahunt immobile firmamentum &c. vt ſupra.

Konge

Konge Erici *breff med huilke Hans Kongelige Majeſtet ſiadtffeſter Lyom Cloſters priuilegier.*

Ericus dei gratia Danorum, Slauorumque rex omnibus preſens ſcriptum cernentibus in domino ſalutem. Notum eſſe volumus preſentibus & futuris, quod nos Abbati & conuentui Ciſtercienſis ordinis de Löghum libertates & iura tam ſuper decimis, quam in alijs pijs elemoſinis, eisdem a ſede Apoſtolica, & noſtris progenitoribus miſericorditer indulta, in omnibus volumus illibata penitus obſeruari, ſub obtentu gratie noſtre diſtricte prohibentes, ne quis ipſos Abbatem & conuentum, ſuper antiquis libertatibus & elemoſinis diu poſſeſſis, attemptet impetere, vel iniuſte de premiſſis moleſtare. In cuius rei teſtimonium preſentes literas ſigilli noſtri appenſione fecimus premuniri. Datum Alſö anno domini MCCXL. VI. Idus Auguſti ſeptimo.

Konge Ericus *giſſuer Muncke aff Lyom frijhedt for Tolle.*

Ericus dei gratia Danorum, Slauorumque rex omnibus, ad quos preſens ſcriptum peruenerit in domino ſalutem. Vniverſitati veſtre ſignificamus, quod nos dilectos nobis fratres & dominos Monachos de Loco dei, ſi vnquam ad portum noſtrum in Openra cum nauibus ſuis applicuerint, ſiue ad alios quoscunque portus infra terminos regni noſtri, Ab omni ſolutione thelonei liberos dimiſerimus & exemptos. Sub obtentu gratiæ noſtre diſtrictius inhibentes, ne quis exactorum noſtrorum, vel aliquis alius dictos dominos, aut certos nuncios ſuos ſuper huiusmodi ſolutionibus, impetat aut infeſtet, ſicut noſtram euitare voluerit vltionem. Datum Ripis anno domini MCCLVII, V nonas Maij, mandante domino rege, & preſentibus dominis *Petro* Arhuſienſi & *Nicolao* Sleſſuicenſi Epiſcopis.

Adulphus *Greue y Holſten tager Abbeden oc Conuent aff Lyom Cloſter y ſin beſchermelſſe oc ſiadtffeſter deris Früheder og Priuilegia.*

Adulphus dei gratia comes Holſatiæ & Stormariæ omnibus preſens ſcriptum cernentibus ſalutem in domino ſempiternam. Nouerint vniuerſi, nos dilectos nobis Abbatem & conuentum in Clauſtro Lögum vna cum omnibus bonis ſuis & familia eorundem ſub noſtra recepiſſe protectione ſpeciali, vnde omnia priuilegia, libertates & gratias, tam a regibus Daciæ, quam etiam a ducibus Sönder Juciæ, ipſis & monaſterio ſuo, in perſonis, familia & bonis aliis quibuscunque, conceſſas ſiue indultas preſentibus literis innouamus, & ipſa priuilegia, libertates, & gratias, per ſingula & in ſingulis confirmamus. Vnde omnes & ſingulos cauſa noſtri aliquid facere vel omittere volentes in domino exoramus, firmiter precipiendo, quatenus dictos abbatem, monachos, fratres, ſeu ipſorum familiam, contra ſuas libertates, non audeant aliqualiter perturbare, prout gratiam noſtram diligere voluerint inoffenſam. Datum Tundris noſtro ſub ſigillo appendente. Anno domini MCCCLXXXIII ſecunda feria poſt Dominicam, qua cantatur Letare.

Hen-

Henricus *Hertuch y Julland ſiadſeſter alle Lyom Cloſters priuilegia &c.*

Omnibus preſens ſcriptum cernentibus, Hinricus dei gratia dux Jutiæ ſalutem in domino ſempiternam. Nouerint vniuerſi, quod nos iuſtis precibus Dominorum Abbatis & monachorum in Lögum fauorabiliter inclinati omnia priuilegia & libertates, tam de patre noſtro, & de progenitoribus noſtris quam ab aliis principibus & Eccleſiarum prelatis, ipſis & monaſterio ſuo, in perſonis, familia & bonis quibuscunque conceſſas ſiue indultas, preſentibus literis innouamus, & ipſa priuilegia & libertates per ſingula & in ſingulis confirmamus. Vnde omnes & ſingulos cauſa noſtri aliquid facere vel omittere volentes in domino exoramus, firmiter noſtris precipiendo, quatenus dictos Abbatem & monachos de Lögum, quos ſub noſtra ſpeciali protectione ſuſcipimus, ſiue aliquem de ipſorum familia, contra ſuas libertates audeat aliqualiter in aliquo iniuſte perturbare, prout gratiam noſtram diligere voluerit inoffenſam. Volumus inſuper omnes libertates & priuilegia ipſi monaſterio conceſſas hactenus, cum primo ſigillum noſtrum maius depictum fuerit renouare. Datum anno domini MCCCXV in craſtino Vndecim millium Virginum beatorum.

Hinricus *Hertuch y Julland ſiadtſeſter Cloſters rettighed paa ett godtz y Bulderup.*

Omnibus preſens ſcriptum cernentibus, *Hinricus* dei gratia dux Juciæ ſalutem in domino ſempiternam. Cum a nobis, quod iuſtum eſt & rationabile petitur, dignum eſt, vt id ipſum fauore debito proſequamur, precipue, quod ad commodum Eccleſiæ ſpectare dinoſcitur & honorem. Inde eſt, quod ſub anno domini MCCCLXVIII, Viri religioſi ac domini, videlicet Abbas & conuentus Loci dei in preſentia noſtra aſſidue conſtituti, confirmationem quorundam bonorum in Buldrup parochia, in villa Brethwadt ſitorum, que quidam *Nicholaus Tackſſen*, ſanus corpore tunc temporis exiſtens ac futurum cupiens preuidere, ob remedium anime ſue per patentes literas monaſterio legauit, nobis humiliter ſupplicarunt. Sed heredes predicti *Nicholai Tookſſen* antedicta bona monaſterio, quia mutua erant, appropriare non potuerunt. Denique ſepedicti domini Abbas & conuentus quatuor literas noſtras ad placitum Sloxherret ſuper heredibus *Nicholai* memorati de appropriatione antenominatorum bonorum detulerunt, cum litera æſtimationis, *Wyrthings breff*, dicta, preterea duodecim viri per exactorem noſtrum in placito ſecundum leges terre nominati, Alia bona in Villa Bylderup ſita in recompenſatione dictorum bonorum, vna cum exactore noſtro legaliter æſtimauerunt. Nos igitur precibus antedictorum dominorum ſcilicet Abbatis & conuentus fauorabiliter inclinati, æſtimationem ſepedictorum bonorum in parochia Byldrup, ac etiam in villa Byldrup ſitorum, rite & rationabiliter factam, Ratificamus, Approbamus, & preſentibus confirmamus, ipſi monaſterio bona memorata adiudicantes iure perpetuo poſſidenda. Ac prohibentes, ne quis ſe de dictis bonis absque conſenſu & voluntate dominorum Abbatis & conuentus ſpeciali, qui ibidem pro tempore fuerint, intromittat quoquomodo, prout gratiam noſtram diligere voluerit inoffenſam. Datum Tundris in preſentia noſtra, anno ſupradicto die Tyburtii & Valeriani martirum beatorum.

Waldemarus *Hertuch y Julland giffuer Abbeden oc Conuent y Lyom Cloſter frühedt for ſchatt och tributth.*

Omnibus preſens ſcriptum cernentibus *Waldemarus* dei gratia Dux Juciæ in domino ſalutem ſempiternam. Nouerint vniuerſi, quod exigentibus meritis beneſitiorum ſedulis & deuotis Latoris preſentium domini Abbatis de monaſterio Loci dei, Nos ſibi & conuentui ſuo gratiam volentes facere ſpecialem, eis omnia bona ſua in dominio & ducatu noſtro ſita, familias, villicos & colonos ſuos vniuerſos, ab omnibus & ſingulis precariis vel tributis, de cetero per nos, vel nomine noſtro petendis ſeu imponendis, ad dies noſtros libera & liberos, exempta pariter & exemptos, damus & dimittimus per preſentes. Vnde per gratiam noſtram firmiter prohibemus, ne quis aduocatorum noſtrorum, eorundem officiales, ſeu quisquam alius cuiuscunque conditionis aut ſtatus exiſtat, ipſum vel ipſos in poſterum contra tenorem preſentium, infeſtare vel aggrauare audeat vel attemptet quoquomodo, ſicuti vltionem noſtram duxerit euitandam. Datum Apenra in preſentia noſtra anno domini MCCCLX, die beati Mathei Apoſtoli & Euangeliſtæ.

Waldemarus *Hertuch y Julland tager Abbethen oc Conuent aff Lyom Cloſter y ſin beſchermelſſe och giffuer dennom frühedt oc* 40 *marchs ſager.*

Waldemarus dei gratia dux Juciæ omnibus preſentes literas inſpecturis ſalutem in domino. Vniuerſa negotia mandata literis & voci teſtium ab vtroque trahunt immobile firmamentum. Hinc eſt, quod tenore preſentium conſtare volumus vniuerſis tam preſentibus quam futuris, Nos dilectos nobis Abbatem & conuentum Loci dei, cum omnibus bonis & familia eorundem ſub noſtra recepiſſe protectione ſpetiali, dimittentes ipſis omnia bona ſua, tam in decimis quam in aliis piis elemoſinis, eisdem a ſede Apoſtolica, Archiepiſcopis Eccleſie Lundenſis Epiſcopis Ripenſibus, & Sleſſuicenſibus, a noſtris etiam progenitoribus, miſericorditer indulta, per totum ducatum noſtrum, a grauamine expeditionis, impetitione exactorea, ceterisque oneribus & ſolutionibus iuri noſtro attinentibus, libera pariter & exempta. Ac hanc ſuperaddentes eis gratiam ſpecialem, quod villici eorum & coloni, inquilini, ſeu alii eisdem in familia attinentes, de exceſſibus ſuis pro iure noſtro nulli reſpondeant, niſi ipſi domino Abbati, vel monachis ſuis ſupradictis, quibus huiusmodi negotium duxerit committendum. Prohibemus igitur ſub obtentu gratie noſtre, diſtricte precipientes, ne quis aduocatorum noſtrorum, vel alii in noſtro ducatu conſtituti, dictos Abbatem vel fratres ſuos, ſeu villicos, colonos, inquilinos, vel alios eisdem in familia attinentes, coram ſe in placitis, pro aliquibus eorum exceſſibus preſumat auſu temerario conuenire, vel contra protectionis noſtre tenorem, & huiusmodi libertatis & gratiæ donationem moleſtare, ſed coram Abbate prefati monaſterii, ſi in aliquibus exceſſerint, conquerantur, plenam iuſticiam ab eodem domino percepturi. Quod qui aliter fecerit, indignationem noſtram non effugiet & vindictam. In cuius rei teſtimonium & perpetuam memoriam, ipſis preſentes literas contulimus, ſigilli noſtri appenſione roboratas. Datum Thyrning in preſentia noſtra anno domini MCCCXXXIIII, die beati Marci Euangeliſtæ.

Jet

Jet andet Waldemari *&c. breff faſt paa den ſamme mening.*

Waldemarus dei gratia dux Jutiæ omnibus preſens ſcriptum cernentibus ſalutem in domino ſempiternam. Nouerint vniuerſi tam poſteri quam preſentes, quod progenitorum noſtrorum, qui dilectos fratres noſtros Monachos de Loco dei, exigentibus eorum meritis, ſpecialiter in omnibus defenſabant, exemplo inducti, ipſorumque etiam continua ſeruitia tam nobis, quam progenitoribus noſtris exhibita, ad memoriam reducentes, eosdem ſub noſtre protectionis ſpeciali gratia recipimus defenſandos. Recognoſcentes nos eorundem principalem & vnicum defenſorem, Ac etiam aliquem loco noſtro ſubſtituere cupientes, qui in ſingulis placitationibus ſuis (ſi opus fuerit) pro ipſis in abſentia noſtra reſpondeat & cetera faciat, que nos facere poſſemus, ſi perſonaliter adeſſemus, ſub obtentu gratie noſtre diſtrictius inhibendo, ne quis aduocatorum noſtrorum, eorundem officialium, ſeu quisquam alius ipſos monachos, vel aliquos de familia ſua, contra rigorem iuſticie & tenorem preſentium in aliquibus impetere preſumat, vel indebite moleſtare. Quod ſi quisquam auſu temerario attemptauerit, noſtram ſe nouerit indignationem incurſurum, & procul dubio non effugere vltionem. In cuius facti memoriam, preſentes literas ſigillo noſtro fecimus communiri. Datum Hathærſſleff anno domini MCCLXXXVIII in die purificationis beate Virginis, preſentibus multis fide dignis.

Gerardus *Greffue y Holſten &c, beffaler alle ſine embetzmend oc fogder icke ad giöre Abbeden och Conuent aff Lyom Cloſter nogen wrett mod deris priuilegia.*

Gerardus dei gratia comes Holſatiæ & Stormarie omnibus aduocatis & exactoribus in Hwittingherret, Fröſſherret, Sluxherret & Lögumherret ſalutem in domino. Quoniam nos dilectos nobis in Chriſto, Abbatem, monachos & familiam monaſterii Lugum recepimus ſub noſtra protectione ſpeciali defendendos, mandamus vobis omnibus & ſingulis, vt eos & familiam eorundem in omnibus promoueatis in placitis & in locis aliis quibuscunque, permittentes, eos vti omnibus priuilegiis, libertatibus, & gratiis, eis indultis a principibus noſtris predeceſſoribus, & a nobis, non moleſtando eos in aliquo negotio contra libertates & priuilegia ſupra dicta, ſicut indignationem & vindictam noſtram duxeritis euitandam. Datum ſub ſigillo noſtro anno domini MCCCXVII in profeſto S. Agnetis.

Abel *Hertuch y Julland forbiuder nogen ad beſwere oc forwrette Abbeten oc Conuente aff Lyom Cloſter.*

Abel dei gratia dux Jutiæ omnibus preſens ſcriptum cernentibus in domino ſalutem. Notum facimus tam preſentibus quam futuris, quod venerabiles & religioſos viros, monachos de Loco dei, quos affectu ſincero diligimus, vt tenemur, cum vniuerſis bonis eorum ſub noſtra protectione ſuſcepimus & tutela, prohibentes per gratiam noſtram, ne quis ipſos in perſonis eorum aut bonis preſumat auſu temerario moleſtare, quod qui fecerit noſtram procul dubio ſentiet ingratitudinem & vindictam, precipue cum militantes ſub iugo religionis tenemur dili

diligere, & ipſos in cauſa eorum efficaciter conſouere, Ne igitur eis ſuper premiſſis poſſit obiici calumnia preſentes eis literas in teſtimonium contulimus & cautelam. Datum apud Flensborg anno ab incarnatione domini MCCXL, ſeptimo Kall. Septembris.

Abel *Hertuch y Julland giffuer muncke aff Lyom Cloſter frühedt.*

Abel dei gratia Dux Jutiæ omnibus hoc ſcriptum cernentibus in domino ſalutem. Quoniam viuax eſt literarum memoria in factis ſtabilibus earum neceſſario ſubſidium impetratur. Vt ergo pateat etati poſtere & preſenti, notificandum decreuimus vniuerſis, quod pietatis intuitu, & ſpe remunerationis eterne, viris religioſis & fratribus noſtris monachis Loci dei, colonos ſuos & villicos in ducatu noſtro exiſtentes, dimiſimus ab omni iure noſtro & ſeruitio. Prohibentes diſtrictius per gratiam dei & noſtram, quatenus ſuper hac immunitate a nemine moleſtentur, ſicut dei omnipotentis & noſtre maieſtatis offenſam & reuerentiam quisque deuitare voluerit & ſeruare. Datum anno domini MCCXLIX Ripis XIIII Kall. Martii.

Konge Abel *annammer Abbetten och Conuent aff Lyom Cloſter vnder ſin Kongelige Majeſtets beſchermelſſe ſ.c.*

Abel dei gratia Danorum, Slauorumque rex, dux Jucie, omnibus hoc ſcriptum cernentibus in domino ſalutem. Vniuerſa negotia mandata literis & voci teſtium, ab vtroque trahunt immobile firmamentum. Hinc eſt, quod preſentibus & futuris conſtare volumus, tenore preſentium, quod dilectos nobis Abbatem & conuentum Loci dei, vna cum omnibus bonis & familia eorundem, ſub noſtra protectione recepimus ſpetiali, dimittentes eisdem vniuerſa bona ſua tam in decimis, quam in aliis piis elemoſinis, eisdem a ſede Apoſtolica, Archiepiſcopis Eccleſiæ Lundenſis, Epiſcopis Ripenſibus & Sleſſuicenſibus, a noſtris & progenitoribus, & a nobis antequam regni gubernacula ſuſcepimus, miſericorditer indulta, tam in Ducatu noſtro, quam in regno, libera penitus & exempta a grauamine expeditionis, impetitione exactorea, ceterisque oneribus & ſolutionibus attinentibus iuri noſtro, Mandantes per gratiam noſtram diſtricte, ne quis preſumat dictos fratres contra protectionis noſtre tenorem, & huius libertatis donationem auſu temerario moleſtare, Quod qui fecerit vltionem non effugiet regie maieſtatis. Datum Ripis anno domini MCCLI Idus Aprilis IIII.

Innocentius Papa *ſtadtfeſter Lyom Cloſters priuilegia och Regell.*

Innocentius Epiſcopus ſeruus ſeruorum dei dilectis filiis Abbati monaſterii Loci dei eiusque fratribus tam preſentibus quam futuris regularem Vitam profeſſis &c. Religioſam vitam eligentibus, apoſtolicum conuenit adeſſe preſidium, ne forte cuiuslibet temeritatis incurſus, aut eos a propoſito reuocet, aut robur (quod abſit) ſacre religionis infringat. Ea propter dilecti in domino filii, veſtris iuſtis poſtulationibus clementer annuimus, & preſatum monaſterium Loci dei, in quo diuino mancipati eſtis obſequio, ſub beati Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus, & preſentis ſcripti priuilegio communimus. In primis ſiquidem ſtatuentes,

entes, vt ordo monaſticus, qui ſecundum deum, & beati Benedicti regulam atque inſtitutionem Ciſtercienſium fratrum in eodem monaſterio inſtitutus eſſe dinoſcitur, perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obſeruetur. Preterea quascunque poſſeſſiones, quecunque bona idem monaſterium in preſentiarum iuſte ac canonice poſſidet, aut in futurum conceſſione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, ſeu aliis iuſtis modis preſtante domino, poterit adipiſci, firma vobis veſtrisque ſucceſſoribus, & illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus vocabulis exprimenda. Locum ipſum, in quo preſatum monaſterium ſitum eſt cum omnibus pertinentiis ſuis. Eccleſiam de Lögum cum omnibus pertinentiis ſuis, quam idem monaſterium antequam ciſtercienſium fratrum inſtituta ſuſciperet, poſſidebat. Donationes factas vobis a *Radulpho* Ripenſi Epiſcopo fundatore loci eiusdem, *Stephano* & *Omero* ſucceſſoribus eius. Quicquid videlicet pertinebat in poſſeſſionibus ad Epiſcopatum Ripenſem in parochia Lögum & Seem. Poſſeſſiones etiam, quas Omerus Ripenſis Epiſcopus in Ginnegardth monaſterio veſtro conceſſit, cum terris, nemoribus, pratis, aquis, molendinis, paſcuis & aliis libertatibus & immunitatibus ſuis. Decimas de Lögum herret. Conceſſionem factam vobis a Ripenſi Epiſcopo quicquid pertinebat ad eum in decimis in Gramherret, & de Rauenſtorpherret: Decimas quoque de Buldorp vobis a *Waldemaro* Sleſwicenſi Epiſcopo aſſignatas. Et tres manſos terre in Harghby. Sane laborum veſtrorum, quos propriis manibus & ſumptibus colitis, tam de terris cultis, quam incultis, ſiue de hortis & virgultis, & piſcationibus veſtris, vel de nutrimentis animalium veſtrorum, nullus a vobis decimas exigere vel extorquere preſumat. Liceat quoque vobis Clericos vel Laycos liberos & abſolutos e ſeculo fugientes ad conuerſionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus inſuper, vt nulli fratrum veſtrorum poſt factam in monaſterio veſtro proffeſſionem fas ſit ſine ſui Abbatis licentia de eodem loco diſcedere. Diſcedentem vero absque communium literarum veſtrarum cautione, nullus audeat retinere. Quod ſi quis forte retinere preſumpſerit, licitum vobis ſit in ipſos monachos vel conuerſos regularem ſententiam promulgare. Illud diſtrictius inhibentes, ne terras, ſeu quodlibet beneficium Eccleſiæ veſtre collatum liceat alicui perſonaliter dari, ſiue alio modo alienari absque conſenſu totius Capituli, vel maioris aut ſanioris partis ipſius. Si que vero donationes aut alienationes, aliter quam dictum eſt, facte fuerint, eas irritas eſſe cenſemus. Ad hec etiam prohibemus, ne aliquis monachus ſiue conuerſus ſub profeſſione veſtre domus aſſtrictus, ſine conſenſu & licentia Abbatis & maioris partis Capituli veſtri pro aliquo fideiubeat, vel ab aliquo pecuniam accipiat mutuo, vltra pretium Capituli veſtri prouidentia conſtitutum, niſi propter manifeſtam domus veſtre vtilitatem. Quod ſi facere forte preſumpſerit, non teneatur conuentus pro hiis aliquatenus reſpondere. Licitum preterea ſit vobis in cauſis propriis, ſiue ciuilem, ſiue criminalem contineant queſtionem, fratrum veſtrorum teſtimoniis vti, ne pro defectu teſtium ius veſtrum in aliquo valeat deperire. Inſuper auctoritate Apoſtolica inhibemus, ne vllus Epiſcopus vel alia quelibet perſona, ad ſinodos, vel conuentus forenſes vos ire, vel iuditio ſeculari de veſtra propria ſubſtantia, vel poſſeſſionibus veſtris ſubiacere compellat, nec ad domos veſtras cauſa ordines celebrandi, cauſas tractandi, vel conuentus aliquos publicos conuocandi, venire preſumat, nec regularem electionem veſtri Abbatis impediat, aut de inſtituendo vel remouendo eo, qui pro tempore fuerit,

contra ſtatuta Ciſtercienſis ordinis, ſe aliquatenus intromittat. Si vero Epiſcopus, in cuius parochia domus veſtra fundata eſt, cum humilitate ac deuotione, qua convenit requiſitus, ſubſtitutum Abbatem benedicere, & alia que ad offitium Epiſcopale pertinent vobis conferre renuerit, licitum ſit eidem Abbati, ſi tamen ſacerdos fuerit, proprios nouitios benedicere, & alia que ad offitium pertinent exercere, & vobis omnia ab alio Epiſcopo percipere, que a veſtro fuerint indebite denegata. Illud adiacentes, vt in recipiendis profeſſionibus, que a benedictis vel benedicendis Abbatibus exhibentur, ea ſint Epiſcopi forma & expreſſione contenti, que ab origine ordinis noſcitur inſtituta, vt ſcilicet Abbates ipſi, ſaluo ordine ſuo profiteri debeant, & contra ſtatuta ordinis ſui nullam profeſſionem facere compellantur. Pro conſecrationibus vero altarium, vel eccleſiarum, ſiue pro oleo ſancto, vel quolibet eccleſiaſtico ſacramento, nullus a vobis ſub obtentu conſuetudinis, vel alio modo quicquam audeat extorquere, ſed hec omnia gratis vobis Epiſcopus dioceſanus impendat. Alioquin liceat vobis quemcunque malueritis catholicum adire antiſtitem, communionem & gratiam Apoſtolice ſedis habentem, qui noſtra fretus auctoritate, vobis quod poſtulatur impendat. Quod ſi ſedes dioceſani Epiſcopi forte vacauerit, interim omnia eccleſiaſtica ſacramenta a vicinis Epiſcopis accipere, libere & absque contradictione poſſitis, ſic tamen, vt ex hoc in poſterum propriis Epiſcopis nullum preiuditium generetur. Quia vero interdum propriorum Epiſcoporum copiam non habetis, ſi quem epiſcopum Romane ſedis (vt diximus) communionem habentem, & de quo plenam noticiam habeatis, per vos tranſire contigerit, ab eo benedictiones vaſorum & veſtium, conſecrationes Altarium, ordinationis Monachorum auctoritate Apoſtolice ſedis recipere valeatis. Porro ſi Epiſcopi, vel alii Eccleſiarum rectores in monaſterium veſtrum, vel perſonas inibi conſtitutas ſuſpenſionis, excommunicationis, vel interdicti ſententiam promulgauerint, ſiue etiam in mercenarios veſtros, pro eo quod decimas non ſoluitis, ſiue aliqua occaſione eorum, que ab Apoſtolica benignitate ſunt vobis indulta, ſeu benefactores veſtros, pro eo, quod vobis aliqua beneficia vel obſequia ex charitate preſtiterint, vel ad laborandum adiuuerint, in illis diebus in quibus vos laboratis & alii feriantur, eandem ſententiam protulerint, ipſam tanquam contra Apoſtolice ſedis indulta prolatam duximus irritandam, nec litere ille firmitatem habeant, quas tacito nomine Ciſtercienſis ordinis, & contra tenorem Apoſtolicorum priuilegiorum conſteterit impetrari. Preterea cum commune terre interdictum fuerit, liceat vobis nichilominus in veſtro monaſterio, excluſis excommunicatis & interdictis, diuina offitia celebrare. Paci quoque ac tranquillitati veſtre paterna in poſterum ſollicitudine prouidere valentes, auctoritate Apoſtolica prohibemus, vt infra clauſuras locorum, ſeu grangiarum veſtrarum, nullus rapinam, ſeu furtum facere, ignem apponere, ſanguinem fundere, hominem temere capere, vel interficere, ſeu violentiam audeat exercere. Preterea omnes libertates & immunitates a predeceſſoribus noſtris Romanis pontificibus ordini veſtro conceſſas, necnon & libertates & exemptiones ſecularium exactionum, a regibus & principibus, vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas, auctoritate Apoſtolica confirmamus & preſentis ſcripti priuilegio communimus: Decernimus ergo, vt nulli omnino hominum liceat prefatum Monaſterium temere perturbare, aut eius poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuslibet vexationibus fatigare, ſed omnia integra conſeruentur, eorum, pro quorum gubernatione ac ſuſtentatione

conceſſa

conceſſa ſunt vſibus omnimodis profutura. Salua ſedis Apoſtolice auctoritate, & in predicta Eccleſia dioceſani Epiſcopi canonica iuſticia. Si qua igitur in futurum, Eccleſiaſtica, ſecularisve perſona hanc noſtre conſtitutionis paginam ſciens contra eam temere venire temptauerit, ſecundo, tertiove commonita, niſi reatum ſuum congrua ſatisfactione correxerit, poteſtatis, honorisque ſui careat dignitate, reamque ſe diuino iuditio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo corpore ac ſanguine dei, & domini redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtricte ſubiaceat vltioni. Cunctis autem eidem loco ſua iura ſeruantibus, ſit pax domini noſtri Jeſu Chriſti quatenus & hic fructum bone actionis percipiant, & apud diſtrictum iudicem premia eterne pacis inueniat. Amen. Datum Rome apud S. Petrum per manum Johannis ſancte Marie in Coſinidyn diaconi Cardinalis, S. Romane Eccleſie cancellarii XII Kall. Februarii. Indictione VIII incarnationis dominice anno MCCV, pontificatus vero domini Innocentii pape tertii anno octauo. Subſcripſit papa cum Epiſcopis ſuis & cardinalibus.

Johannes Papa *beſſaler priori til Ottenſe oc proueſten aff Arhuſſe ad hielpe Abbeden oc Conuent till Lyom Cloſter mod wretth.*

Johannes Epiſcopus ſeruus ſeruorum dei dilectis ſiliis priori Ottonienſis, & prepoſito ac cantori Aruhuſienſis Eccleſiarum ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Ad hoc nos deus pretulit familiæ domus ſue, ut oportuna ſingulis prouiſionis auxilia fidelis ſeruitutis iniuncte prudentia pro tempore diſpenſantes, eorum preſertim vtilitatibus intendamus, occurramus diſpendiis, ipſosque ab oppreſſionibus releuemus, qui ſub religionis habitu ſtudio pie vitæ vacantes, in diuinis beneplacitis exequendis, eo deuotius, quo quietius valeant gloriari. Sane dilectorum filiorum Abbatis & Conuentus monaſterii de Loco dei Ciſtercienſis ordinis, Ripenſis dioceſis conqueſtione percepimus, quod nonnulli Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, & alii Clerici, eccleſiaſticeque perſone tam religioſe quam ſeculares, necnon duces, Marchiones, Comites, Barones, Nobiles, milites, vniuerſitates, & alii ſeculares, ciuitatis & dioceſis Ripenſis, ac partium vicinarum, in quibus dictum monaſterium necnon alia loca & membra eidem monaſterio immediate ſubiecta, conſiſtere dinoſcuntur, occuparunt & occupari fecerunt Eccleſias, Capellas, Grangias, obedientias, terras, villicos, colonos, poſſeſſiones, cenſus redditus & prouentus, iura, iurisdictiones, & nonnulla alia bona mobilia & immobilia, ad dictum monaſterium, & alia prelibata eius loca & membra ſpectantia, ſeu eadem detinentibus preſtant auxilium & fauorem, nonnulli etiam ciuitatis & dioceſis ac partium predictarum, qui nomen domini in vanum recipere, non formidant, dictis Abbati & conuentui, in Eccleſiis, Capellis, Grangiis, terris, iurisdictionibus, iuribus, bonis & rebus aliis ad monaſterium ipſum ſpectantibus, multiplices moleſtias ac iniurias inferunt & iacturas. Quare dicti Abbas & conuentus nobis humiliter ſupplicarunt, vt cum valde difficile reddatur eisdem pro ſingulis querelis, ad Apoſtolicam ſedem habere recurſum, prouidere eis ſuper hoc paterna diligentia curaremus. Nos igitur aduerſus occupatores, detentores, preſumptores, moleſtatores & iniuriatores huiusmodi, illo volentes eis remedio ſubuenire, per quod ipſorum compeſcatur temeritas

ritas & aliis aditus committendi ſimilia precludatur, diſcretioni veſtre per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo aut vnus veſtrum, per vos vel alium ſeu alios, etiamſi ſint extra loca, in quibus deputati eſtis conſeruatores & iudices, Abbati & conuentui predictis efficacis defenſionis preſidio aſſiſtentes, non permittatis eosdem ſuper hiis & quibuslibet aliis bonis & iuribus ad ipſos ſpectantibus, ad eisdem ſeu quibuscunque aliis indebite moleſtari, vel ſibi grauamina ſeu damna, vel iniurias irrogari, facturi ipſis cum ab eis, vel eorum aliquo, ſeu procuratore vel procuratoribus eorundem, vel alicuius eorum fueritis requiſiti, de predictis & aliis perſonis quibuslibet, ſuper reſtitutione eccleſiarum, Capellarum, Grangiarum, terrarum, poſſeſſionum, iurisdictionum, iurium, & bonorum immobilium & mobilium, reddituum quoque & prouentuum & aliorum quorumcunque bonorum, Necnon & de quibuslibet iniuriis & moleſtiis atque damnis preſentibus & futuris, in illis videlicet, que iudicialem requirunt indaginem de plano ſine ſtrepitu & figura iuditii. In aliis vero, prout qualitas eorum exegerit iuſtitiæ complementum occupatores ſeu detentores, moleſtatores, preſumptores, & iniuriatores huiusmodi, necnon contradictores quoslibet & rebelles cuiuscunque ſtatus, ordinis vel conditionis, etiamſi Archiepiſcopalis vel Epiſcopalis dignitatis, extiterint, quandocunque & quotienſcunque expedierit auctoritate noſtra, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, inuocato ad hoc (ſi opus fuerit) auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus felicis recordationis *Bonifatii* papæ octaui predeceſſoris noſtri, in quibus cauetur, ne aliquis extra ſuam ciuitatem & dioceſin, niſi certis exeptis caſibus, & in illis vltra vnam dietam a fine ſue dioceſis ad iuditium euocetur. Seu ne iudices & conſeruatores a ſede deputati predicta, extra ciuitates & dioceſin, in quibus deputati fuerint contra quoscunque procedere, ſiue alii vel aliis vices ſuas committere, aut aliquos vltra vnam dietam a fine dioceſis eorundem trahere preſumant, ſeu quod de aliis quam de manifeſtis iniuriis & violentiis, que iudicialem indaginem exigunt, penis in eos, ſe ſecus egerint, & in id procurantes, adiectis, ſe nullatenus intromittant, & tam de duabus dietis in concilio generali dummodo vltra tertiam vel quartam dietam aliquis extra ſuam ciuitatem & dioceſin auctoritate preſentium ad iuditium non trahatur, quam aliis quibuscunque conſtitutionibus a predeceſſoribus noſtris Romanis pontificibus, tam de iudicibus delegatis, & conſeruatoribus, quam perſonis vltra certum numerum ad iuditium non vocandis, aut aliis edictis, que veſtre poſſent in hac parte iurisdictioni aut poteſtati, eiusque libero exercitio quomodolibet obuiare. Seu ſi aliquibus comuniter vel diuiſim a predicta ſit ſede indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excomunicari, seu extra vel vltra certa loca ad iuditium euocari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi & eorum perſonis, Locis, ordinibus & nominibus propriis mentionem, & qualibet alia dicte ſedis indulgentia generali vel ſpeciali, cuiuscunque tenoris exiſtat, per quam preſentibus non expreſſam, vel totaliter non inſertam veſtre iurisdictionis explicatio valeat quomodolibet impediri, & de qua cuiusque toto tenore, de verbo ad verbum in noſtris literis habenda ſit mentio ſpecialis. Ceterum volumus & auctoritate Apoſtolica decernimus, quod quilibet veſtrum proſequi valeat articulum etiam per alium inchoatum, quamuis idem inchoans nullo fuerit impedimento canonico impeditus, quodque a Dato preſentium ſit vobis & unicuique veſtrum in premiſſis omnibus, & eorum ſingulis ceptis & non ceptis, preſentibus & futuris,

turis, perpetua poteſtas & iurisdictio attributa, vt eo vigore, & ea firmitate poſitis in premiſſis omnibus ceptis & non ceptis, preſentibus & futuris, & pro prodictis procedere, ac ſi predicta omnia & ſingula coram nobis cepta fuiſſent, & iurisdictio veſtra & cuiuslibet veſtrum in predictis omnibus, & ſingulis, per citationem vel modum alium perpetuata legitimum extitiſſet conſtitutione predicta ſuper conſeruatoribus, & alia qualibet in contrarium edita non obſtante. Datum Avinion X Kall. Maij pontificatus noſtri anno quarto.

Jet andet Johannis Papæ *breff ad Cloſter brödre maa arffue.*

Johannes Epiſcopus ſeruus ſeruorum dei, Dilectis filiis Abbati & conuentui monaſterii Loci dei Ciſtercienſis ordinis Ripenſis dioceſis ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Deuotionis veſtre precibus benignum impertientes aſſenſum, auctoritate vobis preſentium indulgemus, vt poſſeſſiones & bona alia mobilia & immobilia, que liberas perſonas fratrum veſtrum ad monaſterium veſtrum, mundi vanitate relicta, conuolantium, & profeſſionem facientium, in eodem iure ſucceſſionis, vel alio iuſto titulo, ſi remanſiſſent in ſeculo, contigiſſent, & que ipſi exiſtentes in ſeculo potuiſſent vobis libere erogare, petere, recipere, ac etiam retinere, licite valeatis, ſine iuris preiuditio alieni. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtre conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare preſumpſerit, indignationem omnipotentis dei, & beatorum Petri ac Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Avinion Kall. Julii, pontificatus noſtri anno quarto.

Johannes Papa *ſtadffeſter Hertuch* Erici *&c. Collatz paa Breuadt Kijrckis rettighedt Lyom Cloſter giffuen.*

Johannes Epiſcopus ſeruus ſeruorum dei Dilectis filiis Abbati & conuentui monaſterii Loci dei Ciſtercienſis ordinis Ripenſis dioceſis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum a nobis petitur, quod iuſtum eſt & honeſtum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, vt id per ſolicitudinem offitii noſtri ad debitum perducatur effectum. Sane petitio veſtra nobis exhibita continebat, quod dilectus filius nobilis vir *Ericus* dux Juciæ Ripenſis dioceſis olim patronus parochialis Eccleſiæ S. Laurentii in Bredtwatth eiusdem diocæſis, de propria ſalute cogitans, & cupiens terrena in coeleſtia, & tranſitoria in eterna foelici cummertio commutare, ius patronatus eiusdem Eccleſiæ tunc ad ipſum ducem pertinens, vobis & per vos monaſterio veſtro in perpetuum pro ſue & parentum ſuorum animarum remedio, pia & prouida deliberatione, donauit, ad id Loci Dioceſani accedente conſenſu, prout in patentibus literis inde confectis dictorum Dioceſani & Ducis ſigillis munitis plenius dicitur contineri. Nos itaque veſtris ſupplicationibus inclinati, quod ſuper hoc pie ac prouide factum eſt ratum & gratum habentes, id auctoritate Apoſtolica confirmamus, & preſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtre confirmationis infringere vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare preſumpſerit, indignationem omnipotentis dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Avinion IIII Kall. Octobris pontificatus noſtri anno XII.

Johannes Papa *ſtadfeſter alle Lyom Cloſters priuilegia aff Paver, Konger, och Furſterne giffuen.*

Johannes Epiſcopus ſeruus ſeruorum dei, Dilectis filiis Abbati & conuentui monaſterii Loci dei Ciſtercienſis ordinis, Ripenſis diocæſis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum a nobis petitur, quod iuſtum eſt & honeſtum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, vt id per ſolicitudinem offitii noſtri ad debitum perducatur effectum. Eapropter dilecti in domino filii, veſtris iuſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, omnes libertates & immunitates a predeceſſoribus noſtris Romanis pontificibus, ſiue per priuilegia vel alias indulgentias, vobis & monaſterio veſtro conceſſas, Necnon libertates & exemptiones ſecularium exactionum, a Regibus & principibus, & aliis Chriſti fidelibus rationabiliter vobis & monaſterio predicto indultas, ſicut eas iuſte & pacifice obtinetis, vobis & per vos, eidem monaſterio auctoritate Apoſtolica confirmamus & preſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtre confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare preſumpſerit, indignationem omnipotentis dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Avinion V Nonas Nouembris pontificatus noſtri anno quarto.

Johannes Papa *tager Lyom Cloſters perſoner oc godtz y ſin beſchermelſſe &c.*

Johannes Epiſcopus ſeruus ſeruorum dei dilectis filiis Abbati & conuentui monaſterii Loci dei Ciſtercienſis ordinis Ripenſis dioceſis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum a nobis petitur, quod iuſtum eſt & honeſtum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, vt id per ſolicitudinem offitii noſtri ad debitum perducatur effectum. Ea propter dilecti in domino filii, veſtris iuſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, Perſonas veſtras, & Locum, in quo diuino eſtis obſequio mancipati, cum omnibus bonis, que in preſentiarum rationabiliter poſſidetis, aut in futurum iuſtis modis preſtante domino poteritis adipiſci, ſub beati Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus, ſpetialiter autem decimas, terras, domos, Grangias, Caſtra, Caſalia, prata, nemora, Lacus, ſtagna, molendina, & alia bona veſtra, ſicut ea omnia iuſte & rationabiliter obtinetis, vobis & per vos eidem monaſterio auctoritate Apoſtolica confirmamus, & preſentis ſcripti patrocinio communimus. Salua in predictis decimis moderatione conſilii generalis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtre protectionis & confirmationis infringere vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare preſumpſerit, omnipotentis dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum, Datum Avinion X Kall. Decembris pontificatus noſtri anno quarto.

Leo Papa *annammer Lyom Cloſters perſoner oc godtz vnder ſin beſchermelſſe, och ſtadtffeſter alle theris egendomme och rettigheder.*

LEO Epiſcopus ſeruus ſeruorum dei Dilectis filiis Abbati & conuentui Monaſterii Loci dei Ciſtercienſis ordinis Sleſſuicenſis vel Ripenſis diocæſis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum a nobis petitur, quod iuſtum eſt & honeſtum,

tam

tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, vt id per ſolicitudinem offitii noſtri ad debitum perducatur effectum. Eapropter dilecti filii in domino, veſtris iuſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, perſonas veſtras & locum in quo diuino eſtis obſequio mancipati, cum omnibus bonis que in preſentiarum rationabiliter poſſidetis, aut in futurum iuſtis modis, preſtante domino, poteritis adipiſci, ſub beati Petri protectione ſuſcipimus atque noſtra, omnes quoque libertates & immunitates a Romanis pontificibus predeceſſoribus noſtris, ſiue per priuilegia vel alia indulta, vobis, & eidem monaſterio veſtro conceſſas, necnon libertates & exemptiones ſecularium exactionum, a Regibus & principibus, ac aliis Chriſti fidelibus vobis & eidem monaſterio veſtro rationabiliter indultas ſpetialiter autem, decimas, primitias, cenſus, fructus, redditus, prouentus, terras, domos, poſſeſſiones, hortos, vineas, prata, paſcua, nemora, ſiluas, venationes, grangias, molendina, piſcarias, aquarum decurſus, iura, iurisdictiones, & alia bona ad dictum Monaſterium legitime ſpectantia, ſicuti ea omnia iuſte & pacifice poſſidetis, vobis & per vos eidem monaſterio veſtro auctoritate Apoſtolica confirmamus & preſentis ſcripti patrocinio communimus. Salua in predictis decimis moderatione concilii generalis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtre confirmationis & communitionis infringere vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare preſumpſerit indignationem omnipotentis dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum Anno incarnationis dominice MDXVII XXX Junii, pontificatus noſtri anno quinto.

Celeſtinus *Papa annammer Lyom Cloſters perſoner oc godtz y ſin beſchermelſe, och confirmerer alle theris egendom oc godtz.*

Celeſtinus Epiſcopus ſeruus ſeruorum dei dilectis filiis Abbati & Conuentui de Loco dei ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum a nobis petitur, quod juſtum eſt & honeſtum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, vt id per ſolicitudinem offitii noſtri ad debitum perducatur effectum. Eapropter dilecti in domino filii, veſtris iuſtis precibus gratum impertientes aſſenſum, perſonas veſtras cum omnibus bonis, que in preſentiarum rationabiliter poſſidetis, aut in futurum iuſtis modis, deo propitio, poteritis adipiſci, ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus. Specialiter autem illa bona, que venerabilis frater noſter *Omerus* Ripenſis Epiſcopus ad exemplar predeceſſorum ſuorum, pia deliberatione vobis noſcitur contuliſſe, ſicut ea iuſte ac ſine controuerſia poſſidetis, & in eiusdem Epiſcopi, & venerabilis fratris noſtri *Abſolonis* Lundenſis Archiepiſcopi Apoſtolice ſedis legati, & bone memorie *Eſcheli* anteceſſoris ſui ſcriptis autenticis continetur, vobis & per vos monaſterio veſtro auctoritate Apoſtolica confirmamus, & preſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum fas ſit perſonas ſeu bona veſtra temere perturbare, aut hanc paginam noſtre protectionis & confirmationis infringere &c. Vt ſupra.

Innocentii *papæ breff ad cloſter brödre maa oſſaa erffue.*

Innocentius Epiſcopus ſeruus ſeruorum dei dilectis filiis Abbati & conuentui Monaſterii de Loco dei, Ciſtercienſis ordinis, Ripenſis dioceſis ſalutem & Apoſtolicam

ſtolicam benedictionem. Deuotionis veſtre ſupplicationibus inclinati auctoritate preſentium vobis indulgemus, vt poſſeſſiones & alia bona mobilia vel immobilia, exeptis feudalibus, que perſonas liberas fratum ad Monaſterium veſtrum a ſeculo fugientium & profeſſionem facientium in eodem ſi remanſiſſent in ſeculo ratione ſucceſſionis, vel quocunque alio iuſto titulo, contigiſſent, petere, percipere, ac retinere libere valeatis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtre conceſſionis infringere &c. Vt ſupra.

Gregorius *Papa befaler Archibiſcop y Lunden ſ.c. ad bandſette alle thennom ſom Abbeden och Conuente offuer velder ſ.c.*

Gregorius epiſcopus ſeruus ſeruorum dei, venerabilibus fratribus Lundenſi Archiepiſcopo & ſuffraganeis eius, Et dilectis filiis Abbatibus, prioribus, Decanis, prepoſitis, Archidiaconis, & aliis Eccleſiarum prelatis per Lundenſem prouinciam conſtitutis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem: Non absque dolore cordis & plurima perturbatione didicimus, quod ita in plerisque partibus eccleſiaſtica cenſura diſſoluitur, & canonice ſententie ſeueritas eneruatur, vt viri religioſi, & hii maxime qui per ſedis Apoſtolice priuilegia maiori donati ſunt libertate, paſſim a maleſactoribus ſuis iniurias ſuſtineant & rapinas, dum vix inuenitur, qui congrua illis protectione ſubueniat, & pro fouenda pauperum innocentia ſe murum defenſionis opponat. Specialiter autem dilecti filii Abbas & conuentus de Loco dei Ciſtercienſis ordinis, Ripenſis dioceſis tam de frequentibus injuriis, quam de ipſo cotidiano defectu iuſticie conquerentes, vniuerſitatem veſtram literis petierunt Apoſtolicis exitari, vt ita videlicet eis in tribulationibus ſuis contra maleſactores eorum prompta debeatis magnanimitate conſurgere, quod ab anguſtiis, quas ſuſtinent & preſſuris, veſtro poſſint preſidio reſpirare. Ideoque vniuerſitati veſtre per Apoſtolica ſcripta mandamus atque precipimus, quatenus illos, qui poſſeſſiones, vel res, ſeu domos, predictorum fratrum irreuerenter inuaſerunt, aut ea iniuſte detinuerunt, que predictis fratribus ex teſtamento decedentium relinquuntur, ſeu in ipſos fratres vel eorum aliquem contra Apoſtolice ſedis indulta, ſententiam excommunicationis, aut interdicti preſumpſerunt promulgare, vel decimas laborum de poſſeſſionibus habitis, ante concilium generale, Ante quod ſuſceperunt eiusdem ordinis inſtituta, quas propriis manibus aut ſumptibus excolunt, ſeu nutrimentis animalium ipſorum, ſpretis Apoſtolice ſedis priuilegiis, extorquere, monitione premiſſa, ſi Layci fuerint, publice candelis accenſis, ſinguli veſtrum, in dioceſibus & Eccleſiis veſtris, excommunicationis ſententia percellatis. Si vero Clerici vel Canonici regulares, ſeu monachi fuerint, eos Appellatione remota, ab offitio & beneſitio ſuſpendatis, neutram relaxaturi ſententiam, donec predictis fratribus plenarie ſatisfaciant. Et tam Layci quam Clerici ſeculares, qui pro violenta manuum iniectione in dictos fratres, vel eorum aliquem anathematis vinculo fuerint innodati, cum dioceſani epiſcopi literis ad ſedem Apoſtolicam venientes, ab eodem vinculo mereantur abſolui. Datum Peruſii II Kal. Nouembris pontificatus noſtri anno octauo.

Gre-

Gregorius *Papa tager Lyom Cloſters perſoner oc godtz wnder ſin beſchermelſe oc ſtadtfeſter theris rettigheder.*

Gregorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum dei dilectis filiis Abbati & conuentui monaſterii de Loco dei Ciſtercienſis ordinis, Ripenſis dioceſis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum a nobis petitur, quod iuſtum eſt & honeſtum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, vt id per ſolicitudinem offitii noſtri ad debitum perducatur effectum. Eapropter dilecti in domino filii veſtris iuſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, perſonas veſtras & monaſterium veſtrum, in quo diuino eſtis obſequio mancipati, cum omnibus bonis, que in preſentiarum rationabiliter poſſidet, aut in futurum iuſtis modis, preſtante domino, poterit adipiſci, ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, ſpecialiter autem, terras, poſſeſſiones, redditus, ac alia bona veſtra, ſicut ea omnia iuſte & pacifice poſſidetis, vobis & per vos eidem monaſterio auctoritate Apoſtolica confirmamus, & preſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum: at cetera vt ſupra.

Nicolaus *Papa ſtadfeſter alle Lyom Cloſters priuilegia.*

Nicolaus Epiſcopus ſeruus ſeruorum dei dilectis filiis Abbati & Conuentui monaſterii Loci dei, Ciſtercienſis ordinis Ripenſis dioceſis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum a nobis petitur, quod iuſtum eſt & honeſtum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, vt id per ſolicitudinem offitii noſtri ad debitum perducatur effectum. Eapropter dilecti in domino filii, veſtris iuſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, omnes libertates & immunitates a predeceſſoribus noſtris Romanis pontificibus, ſiue per priuilegia, vel alias indulgentias, vobis & monaſterio veſtro, ac parochiali Eccleſiæ de Spandwid Ripenſis dioceſis, que eidem monaſterio canonice vnita & incorporata exiſtit, Conceſſas necnon libertates & exemptiones ſecularium exactionum a Regibus & principibus, aut aliis Chriſti fidelibus, vobis, monaſterio & Eccleſiæ prefatis, indultas, ſicut eas iuſte & pacifice poſſidetis, vobis & per vos eisdem Monaſterio & Eccleſiæ auctoritate Apoſtolica confirmamus & preſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtre confirmationis & communitionis infringere vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare preſumpſerit indignationem omnipotentis dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Rome apud S. Petrum. Anno incarnationis dominice milleſimo quadringenteſimo, quadrageſimo ſeptimo XV Kall. Januarii pontificatus noſtri anno I.

Bonifatius *Papa ſtadfeſter Lyom Cloſters priuilegia.*

Bonifatius Epiſcopus ſeruus ſeruorum dei dilectis filiis Abbati & Conuentui Monaſterii Loci dei Ciſtercienſis ordinis, Ripenſis Dioceſis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Solet annuere ſedes Apoſtolica piis votis, & honeſtis petentium precibus ſauorem beneuolum impartiri. Eapropter dilecti in domino filii, veſtris iuſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, omnes libertates & immunitates a predeceſſoribus noſtris Romanis pontificibus, ſiue per priuilegia, vel alias indulgentias, preterquam per nos XI Kall. Januarii, pontificatus noſtri

anno quartodecimo reuocatas, vobis & monaſterio veſtro predicto conceſſas, necnon libertates & exemptiones ſecularium exactionum a Regibus, principibus, & aliis Chriſti fidelibus rationabiliter vobis & eidem veſtro monaſterio indultas, ſicut ea iuſte & pacifice obtinetis, vobis per vos eidem monaſterio veſtro, auctoritate Apoſtolica confirmamus, & preſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtre confirmationis infringere: Cetera vt ſupra.

Pius *Papa beffaler nogen prelater y Riibe ad hielpe Abbeden oc conuent y Lyom Cloſter til rette mod theris modſiandere om ett Huſſ y Riibe.*

Pius Epiſcopus ſeruus ſeruorum dei dilectis filiis Decano & cantori, ac *Tuconi Torkilli* canonico Eccleſiæ Ripenſis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Conqueſti ſunt nobis Abbas & Conuentus Monaſterii Loci dei Ciſtercienſis ordinis, Ripenſis Dioceſis, quod *Ericus Joſeph, Ericus Rechals, Kunno Wilhadi,* & quidam alii Layci Ciuitatis Ripenſis & dicte dioceſis, ſuper quadam domo in dicta ciuitate conſiſtente, & rebus aliis ad dictum Monaſterium ſpectantibus, iniuriantur eisdem. Ideoque diſcretioni veſtre per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint vocandi, & auditis hinc inde propoſitis, quod iuſtum fuerit, appellatione remota, decernatis, facientes, quod decreueritis per cenſuram Eccleſiaſticam firmiter obſeruari. Teſtes autem, qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio, vel timore, ſubtraxerint, cenſura ſimili, appellatione ceſſante, compellatis veritati teſtimonium perhibere. Quod ſi non omnes hiis exequendis potueritis intereſſe, duo aut vnus veſtrum ea exequantur. Datum Romæ apud S. Petrum anno incarnationis dominice MCDLXII. X Kall. Januarii pontificatus noſtri anno quinto.

Abbethe aff ciſterz. &c. giffuer ien wdſchrifft aff pawe Vrbani *priuilegio Orden aff Ciſtertz giffuen.*

Uniuerſis Chriſti fidelibus preſens ſcriptum cernentibus, frater *Johannes* dictus Abbas Ciſtercienſis in vero ſaluatore ſalutem. Deuotioni veſtre cupimus eſſe notum, nos obtinuiſſe & habere priuilegium domini *Vrbani* papæ quarti, non abraſum, non cancellatum, non abolitum, nec in aliqua ſui parte vitiatum, bullatum cum ſerico, cuius tenor talis eſt: *Vrbanus* Epiſcopus ſeruus ſeruorum dei, dilecto filio Abbati Ciſtercienſi, eiusque coabbatibus & conuentibus vniuerſis Ciſtercienſis ordinis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum a nobis petitur, quod iuſtum eſt & honeſtum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, vt id per ſolicitudinem offitii noſtri ad debitum perducatur effectum. Eapropter dilecti in domino veſtris iuſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu omnes libertates & immunitates a predeceſſoribus noſtris Romanis pontificibus, ſiue priuilegia, ſiue alias indulgentias monaſteriis veſtris conceſſas, Necnon & libertates & exemptiones ſecularium exactionum, a Regibus, & principibus, vel aliis Chriſti fidelibus rationabiliter vobis indultas, auctoritate Apoſtolica confirmamus & preſentis ſcripti patrocinio communimus, Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtre confirmationis infringere, vel ei auſu temerario con-

contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem dei omnipotentis, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Viturbii Kall. Decembris pontificatus nostri anno primo. Nos igitur in robur huius veritatis, presenti scripto sigillum nostrum duximus apponendum. Datum apud Cistercienses anno domini MCCLX. tempore Capituli generalis.

Omerus *Biscop y Rübe siadfesier oc samtöcker alt det som Bisperne aff Rübe for hans tüd hadde giffuen til Lyom Closter.*

In nomine patris & filii & spiritus sancti. Ego *Omerus* Ripensis Episcopus Ecclesiæ Vniuersis Christi fidelibus tam presentibus quam futuris in perpetuum: Antiquorum industris solertia posteris studiosa sedulitate in plurimis adinuentionibus prudenter prouidit, potissimum in hiis, que ad communem utilitatem plurimum valerent, videlicet ad roborandam amicabilis societatis concordiam, ad stabiliendum iusticie publice & priuate vigorem, Ad remouendas & precauendas rixarum & odiorum perturbationes & importunitates, quibus hominum temporis presentis innata malicia, & fraudulenta versutia insidiatur bonorum & pie viuentium paci & quieti, ad quarum rerum abundantissimam cautelam industrie satis excogitatum est, & adinuentum, vt quod in maximis negotiis iusta & benigna ordinatione constituitur, ipsa rei series lucide, & vt veritati subnititur diligenti literarum attestatione perpetuitati commendetur, ne facile benignorum contractus aut constituta, malignantium peruertat astutia, & ne temporum annosa successio in obliuionem adducat earum rerum veritatem, & gestorum seriem, que viuaci mandata sunt scripto. Eapropter presenti pagina declarare dignum duximus noticie omnium tam presentium quam futurorum, de quibusdam possessionibus Ripensis Episcopatus, quas dominus *Radulphus* Episcopus ordini Cistercienſi, Monasterio de Loco dei, benigna liberalitate, habito consilio metropolitani sui domini *Eschilli* Lundensis Archiepiscopi, deuote contulit, & in perpetuum, & inconcusse possidendas, suique sigilli subnotatione confirmatas omni iuris perfectione contradidit, scilicet, quicquid attinebat Episcopatui in parochia Lugum, & Seem, vbi primum conuentus de Heriuado transmissus aduenit, Nam & ibidem aliquantis temporibus, tam nigrorum Monachorum quam sanctimonialium cenobium fuerat institutum. Cuius Loci & ordinis commutatio & pretaxatarum possessionum prelibata collatio, a prefato Episcopo rationabiliter facta & communita, & sanctione Apostolica & sui priuilegii auctoritate solidissima prefato Claustro de Loco dei fuit in perpetuum confirmata. Dominus quoque *Stephanus* Episcopus felicis memoriæ noster predecessor, & domini *Radulphi* Episcopi successor, eo benignius hoc approbauit factum, quod & ipse monachus ordinis Cistercienſis, & patri (præterea) abbas claustri iam sepius memorati fuerat, suique sigilli impressione collatas possessiones communiuit. Ipso quoque viam vniuerse carnis ingresso, nos in Locum ipsius diuina clementia subrogati sumus, & vt speramus, aspirante nobis spiritus sancti gratia, monachos de Loco dei cordi nostro conglutinauimus, & licet pre anguſtia facultatum voluntate minus, tamen vt eis benefaceremus operam dedimus, cupientes eorum orationibus a deo recuperare impensam, vt cum forte post villicationem nostram fodere non valeamus, & mendicare erubescamus, in eterna tabernacula recipiamur. Huius spei

ſpei gratia religioſos omnes intima cordis deuotione veneramur, prelibatos tamen quaſi magis domeſticos & proprios toto affectu ſpecialius amplectimur. Quapropter collatas eis a predeceſſoribus noſtris poſſeſſiones predictas & beneficia, ſcilicet, redemptionem decimarum a prenominatis quoque Epiſcopis eis donatam in Lögumherret, & quantum Epiſcopatui noſtro attinet de Ranxſtropherret, & de Grameherret, benigno aſſenſu eis annuimus, literisque noſtris ſiggillatis confirmauimus. Eccleſiam quoque de Lögum & Ginnegarth, ſimili auctoritatis firmitate ſuperaddidimus. Deus autem, cuius iuditia ſunt occulta & abyſſus multa, illi Loco immiſit tribulationes multas & malas fortaſſis vt conuerſus conſoletur eos reuertentes ad ſe, quos fere exinaniuit morticinio fratrum, peſtilentia pecorum, internitione ouium, duarum exuſtione grangiarum, demum deuaſtante incendio totius ambitus monaſterii ipſius, & deuorante pene omnia intro contenta, in libris, in veſtimentis, iu ſuppellectilibus, & vtenſilibus totius domus & poſt paucos dies piſtrinum, in quod congeſta erant, ſi qua fuiſſent igni priſtino reſidua, voracibus quoque flammis abſumptum eſt. Sed & priuilegia & confirmationes omnes, quarum memoriam iam fecimus, vaſtitas incendii deuorauit. Benedictus autem deus, qui conſolatur eorum puſillanimitatem in hiis tribulationibus, vt non deſiciant, ſed reuertantur ad eum attentius, qui multus eſt ad ignoſcendum, & pius ad miſerendum, Et qui poſt tumultus flagellorum & iracundie ſuſtinentibus ſe mitigationem adducit, Nam flagellat omnem filium, quem recipit, adeo vt nec vnigenito incarnato parceret. Vnde & iſti poſt flagella ſe recipiendos certius ſperant, & nos eorum compatientes afflictioni, & congratulantes viſitationi diuine & correctioni, longam iam contexuimus narrationem de modo conquiſitionis poſſeſſionum eorum, & de perditione inſtrumentorum, quibus aduerſus malignantes inniti forte poterat eis fore quandoque neceſſarium. Cuius malignitatis, vt omnis prorſus abſumatur occaſio, ad efficatiorem totius cautelæ abundantiam, omnes illas poſſeſſiones Epiſcopatui noſtro pridem attinentes, quas ipſi predeceſſorum noſtrorum conſenſu adepti ſunt, iam ſatis prememoratas, dilecto filio noſtro Abbati *Wageno* in Loco dei, in preſentia domini *Abſolonis* Lundenſis Archiepiſcopi, Apoſtolicæ Legati ſedis, Suethiæ primatis. Et preſente domino *Erico* Nidroſienſi Archiepiſcopo, aſſiſtentibus quoque multis tam Clericis quam Laycis, iure quod dicitur Schotning, appropriamus, & preſentis pagine atteſtatione, ſigillique noſtri impreſſione, ſimul cum beneſitiis prelibatis, ſcilicet redemptione decimarum, & Eccleſia de Lögum in perpetuum, inconcuſſe poſſidendas, communimus & confirmamus, & ſub anathematis comminatione, quantulamcunque ſuper hiis moueri queſtionem prohibemus. Si qua igitur eccleſiaſtica ſecularisve perſona predicti cenobii fratres ſuper hiis vexare attemptauerit, a communione corporis & ſanguinis domini noſtri Iheſu Chriſti alienus exiſtat, & in extremo examine diuine vltioni ſubiaceat, ſeruantibus autem ad eos pacem & concordiam, pax vera & lux eterna in vitam ſempiternam Chriſtus illuceſcat.

Abſalon *archibiſcop y Lunden confirmerer Lyom Cloſters priuilegia oc Biſcops gaffuer.*

Abſalon dei gratia Lundenſis Archiepiſcopus, Apoſtolice ſedis Legatus, Suethiæ primas, dilecto filio ſuo *Wageno* eadem gratia Abbati in Loco dei, & ſucceſſori-

ceſſoribus ſuis in perpetuum. Cum in eo Loco & offitio nos conſtituerit diuina miſeratio, vt omnium Eccleſiarum, & eccleſiaſticarum perſonarum per prouinciam noſtram ſtudioſe curam gerere & eorum paci & quieti proſpicere teneamur, quodam tamen ſpeciali iure illis debitores ſumus, quos religioſioris vitæ commendat habitus & profeſſio, ne in pacis aut quietis eorum turbationem, attemptatio malitioſa preualeat. Eapropter dilecte in Chriſto fili, iuſtis peticionibus tuis facilem annuimus aſſenſum, quibus poſtulaſti confirmari tibi & ſucceſſoribus tuis collatas cenobio veſtro poſſeſſiones a domino *Radulpho* Ripenſi Epiſcopo, fundatore Loci veſtri, & a ſucceſſoribus eius videlicet domino *Stephano*, & domino *Omero*, qui poſt incendium Clauſtri veſtri, & exuſtionem priuilegiorum domini Apoſtolici, & confirmationum predeceſſoris noſtri domini *Eſchilli* Lundenſis Archiepiſcopi, vt omnino perfectas & ratas faceret predeceſſorum ſuorum donationes, omnes poſſeſſiones ab eis collatas ſecundum ius & conſuetudinem Danorum in preſentia noſtra ſcotauit. Nos quoque quieti tue, ſucceſſorumque tuorum conſulere & prouidere attentius cupientes, cenobium veſtrum, & omnes ei attinentes poſſeſſiones, ſub patrocinio beati *Petri* Apoſtolorum principis, & ſedis Apoſtolicæ, cuius legatione fungimur, ſuſcipimus, confirmantes & communientes, literis preſentis ſigilli noſtri impreſſione ſubnotatis, Clauſtro veſtro omnes donationes epiſcoporum predictorum, ſcilicet, quicquid pertinebat Epiſcopatui Ripenſi in parochia de Lögum, & Seem, quo primum conuentus de *Heriuado* aduenit, cuius Loci donationem rationabiliter factam vobis quoque multis priuilegiis ante incendium Clauſtri veſtri confirmatam, auctoritate nobis collata, confirmamus. Sed & omnes alias poſſeſſiones monaſterio veſtro pertinentes, quascunque in preſentiarum poſſidetis, vel iuſto titulo denuo poſſeſſuri eſtis, ſiue largitione principum, ſiue donatione aliorum fidelium, aut coemptione, ſeu quocunque iuſto titulo, in villis, in prediis, in ſiluis, in pratis, in molendinis, in piſcaturis, & quod habetis in Ginniggarth ex donatione venerandi fratris domini *Omeri* Ripenſis Epiſcopi, Eccleſiam quoque de Lögum & redemptionem decimarum de Lögumherret, & quantum Epiſcopatui Ripenſi de Grammeherret, & de Raffnſtorpherret, qua a prenominatis Epiſcopis condonati eſtis, vobis inconcuſſe poſſidendas in perpetuum corroboramus. Statuentes quoque, vt intra clauſtrum veſtrum & grangias, & curtes, pacis ſumma tranquillitas ab omnibus inuiolabiliter obſeruetur. Vt nullus infra terminos predictorum Locorum ditionis veſtre, in alium inſurgere, aut manus violentas in quempiam iniicere, aut aliquid inde iniuſte ſiue per violentiam detrahere, quacunque occaſſione preſumat. Si qua igitur eccleſiaſtica ſecularisue perſona hanc noſtre confirmationis ſententiam violare vel temerare attemptauerit, & ſi non ſecundo tertioue commonita condigna ſatisfactione reſipuerit, auctoritate dei omnipotentis, & beate genitricis dei Marie, & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, omniumque ſanctorum, ſedis quoque Romane, cuius legatione fungimur, & noſtra, anathemati & damnationi perpetue ſubiaceat & a perceptione corporis & ſanguinis domini noſtri Jeſu Chriſti, & ab omnium fidelium communione, alienus exiſtat. Seruantibus autem ad vos, & veſtros, & Loca veſtra pacem & concordiam, & cuſtodientibus confirmationis huius contenta, pax vera Chriſtus Iheſus in requie ſempiterna donetur & conſeruetur. Amen.

Andreas *archibiſcop y Lunden confirmerer alle Lyom Cloſters priuilegia, oc Biſcopers aff Riibe gaffuer.*

Andreas dei gratia Lundenſis Archiepiſcopus, Suethie primas, Dilecto filio ſuo *Paulo* eadem gratia Abbati in Loco dei & ſucceſſoribus ſuis in perpetuum. Cum in eo Loco & offitio nos conſtituerit diuina miſeratio, vt omnium eccleſiarum & eccleſiaſticarum perſonarum per prouintiam noſtram ſtudioſe curam gerere, & eorum paci & quieti proſpicere teneamur, quodam tamen ſpetiali iure illis debitores ſumus, quos religioſioris vite commendat habitus & profeſſio, ne in pacis aut quietis: Cetera omnia vt ſupra.

Capitels y Sleſſuich vidimus offuer Konge Waldemari *ſ.c. breff med huilke Hans Hongl. Majeſtet ſtadfeſter Lyom Cloſters priuilegia.*

Uniuerſis preſentes literas inſpecturis Capitulum Eccleſiæ Sleſſuicenſis ſalutem in domino. Noueritis, nos literas domini *Waldemari* quondam illuſtris regis Danorum ſub tali tenore inſpexiſſe. *Waldemarus* dei gratia Danorum, Slauorumque rex, Dux Jutiæ, Dominus *Northalbingiæ*, Dilecto fratri domino *Paulo* eadem gratia Abbati in Loco Dei ſuisque ſucceſſoribus in perpetuum. Conſiderantes id ſolum homini de vniuerſo labore ſuo, quo laborat ſub huius carnis ergaſtulo poſitus, in fructum verum cedere, & in poſterum utiliter reſeruari, quod diuini amoris intuitu, & pro regni coeleſtis deſiderio ſtuduerit erogare. Igitur ſtabiliuimus domino propoſitum confirmante, eccleſiæ dei facultates pro poſſe noſtro ab iniuriis alienas manutegere & defenſare, & prout nobis dominus inſpirare dignatur facultate ſuppetente, religioſorum libertates ampliare celeſtem nobis poſt huius vitæ compendia preparare cupientes manſionem. Scimus namque, & pia veneratione recolimus, venerabilis memoriæ, dominum regem *Waldemarum*, patrem noſtrum, & dominum regem *Canutum*, fratrem noſtrum, ordinem Ciſtercienſem pre omni religione, que ſub coelo eſt, amandum & honorandum elegiſſe, quorum vtique neceſſe eſt, aut degenerem, quod abſit, nos inueniri ſucceſſorem, aut hereditario iure poſt optimos parentes, optimum hunc emulari ſpiritum. Eapropter reuerende pater, diuine retributionis intuitu, & vt ſperamus, aſpirante nobis ſpiritus ſancti gratia, uniuerſas monaſterii veſtri poſſeſſiones, olim ab Epiſcopis ſancte Ripenſis Eccleſiæ, Loci veſtri fundatoribus videlicet, domino *Radulpho*, Domino *Stephano*, & domino *Omero*, qui poſt incendium clauſtri veſtri, & exuſtionem priuilegiorum domini Apoſtolici, & confirmationum domini *Eſchilli* Lundenſis Archiepiſcopi, vt omnino ratas & perfectas faceret predeceſſorum ſuorum donationes, omnes poſſeſſiones, ab eis collatas in preſentia domini *Abſalonis* Archiepiſcopi Lundenſis, Suethie primatis, ſecundum ius & conſuetudinem Danorum dilecto filio ſuo domino *Wageno*, eiusdem Monaſterii veſtri Abbati, cum ſincera deuotione ſcotauit, aliorumque priuilegiorum atteſtatione confirmauit. Inſuper & vniuerſas poſſeſſiones, quas in Harebui poſſidebamus, cum omnibus attinentiis ſuis, vobis veſtrisque ſucceſſoribus a nobis collatas & ſigilli noſtri teſtimonio confirmatas, ac reliquas quascunque in preſentiarum poſſidetis, ſeu iuſto titulo denuo poſſeſſuri eſtis, vel ex donatione fidelium, aut largitione principum vel coemptione rerum in villis, in prediis, in ſiluis, in pratis, in molendinis, in piſcaturis, vt eſt Ginnegærth, quod habetis ex donatione domini *Omeri* Epiſcopi,

Eccle-

Eccleſiam quoque de Lögum, & redemptionem decimarum de Lögumherret, & quantum attinet Epiſcopatui Ripenſi de Gramherret, & de Rauenſtorpherret, qua a prenominatis Epiſcopis condonati eſtis, & decimas parochianorum Eccleſiæ de Bullerup, quas cognatus noſter *Wilhelmus* (*Waldemarus?*) Sleſſuicenſis Epiſcopus monaſterio veſtro celebri donatione contulit, & dominus *Abſalon* Lundenſis Archiepiſcopus poſtea ſue auctoritatis iuditio confirmauit, ſub protectione & manutectione noſtre auctoritatis ab omni incurſu malignantium, in nomine domini tuenda ſuſcipimus, vobisque perpetuo inconcuſſe poſſidenda, preſenti priuilegio noſtro appropriamus, precipientes per gratiam dei & noſtram, ne quis vobis vel veſtris negotiis iniuriam aliquam inferre preſumat, niſi grauem mali retributionem hic & in futuro, & a deo & a nobis ſubire maluerit, ſed ſicut vobis, qui ſub iugo regulæ ſtabili propoſito nocte ac die diuinis obſequiis venerandis inſiſtitis, omnem pacem & dilectionem exhibendam ſpondemus, ita illis quoque qui poſt monachii profeſſionem retro reſpicientes maligna ſuaſione hoſtis antiqui a religione monaſtica apoſtatauerint, omnem perſecutionem intentauolam deuouemus. Et quia ſummi pontificis excommunicationi eos ſubiacere cognouimus, nos quoque (ſicut phas eſt) legibus noſtris eos inbannimus, & vbique Matban inponimus, cunctisque officialibus noſtris precipimus, vt vbicunque inuenti fuerint, manus eis iniciantur & teneantur, & deſpontientur rebus, quas habuerint, niſi certa fide reuerti voluerint vnde ceciderant. Hec igitur preſentis cedulæ contenta, que ad tranquillitatem & pacem veſtram ſcripta ſunt & exarata in perpetuum firma fore cenſemus & rata monentes & exhortantes quatinus pro pactis noſtris ſuperne pietatis clementiam iugiter exoretis, vt cum poſt villicationem noſtram fodere non valeamus, & mendicare erubeſcamus, media nocte, cum clamor factus fuerit, oleo interceſſionis veſtre accenſis lampadibus ſponſi celeſtis thalamum vna vobiſcum mereamur intrare gaudentes. In cuius rei teſtimonium ſigillum noſtrum preſentibus eſt appenſum.

Biſcop Bonauenturæ vidiſſe offuer papæ Innocentii priuilegio, Orden aff Ciſiertz giſſuen.

Uniuerſis preſentes literas inſpecturis, frater Bonauentura miſeratione diuina Lucenſis Epiſcopus ſalutem in domino ſempiternam. Noueritis nos literas ſanctiſſimi patris ſoelicis recordationis domini Innocentii papæ quarti non abolitas, non cancellatas, non raſas, nec in aliqua ſui parte viciatas, cum veris bulla & filo apud ciſtertium vidiſſe & de verbo ad verbum diligenter inſpexiſſe in hec verba: *Innocentius* Epiſcopus ſeruus ſeruorum dei dilectis filiis Abbati Ciſterti, eiusque coabbatibus & conuentibus ciſtercienſis ordinis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum nuper duxerimus ſtatuendum, vt exempti quantumcunque gaudeant libertate, nihilominus tamen ratione delicti, ſeu contractus, aut rei, de qua contra ipſos agitur, rite poſſint coram Locorum ordinariis conueniri, & illi quo ad hec ſuam in ipſos iurisdictionem, prout ius exigit exercere. Nos dubitantes, ne per conſtitutionem huiusmodi, libertatibus & immunitatibus vobis & ordini veſtro per priuilegia & indulgentias ab Apoſtolica ſede conceſſis preiudicari valeat, nobis humiliter ſupplicaſtis, vt prouidere ſuper hoc indemnitati veſtre paterna ſolicitudine curaremus. Quia vero eiusdem ordinis ſacra religio

religio ſic vos apud nos dignos fauore conſtituit, vt nobis nociuum exiſtat, vos ab omnibus, per que vobis poſſent prouenire diſpendia, immunes libenti animo preſeruare, auctoritate vobis preſentium indulgemus, vt occaſſione conſtitutionis huiusmodi, nullum eisdem libertatibus & immunitatibus in poſterum preiuditium generetur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtre conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare preſumpſerit, indignationem omnipotentis dei & beatorum *Petri* & *Pauli* Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Januæ XII Kall. Julii pontificatus noſtri anno octauo. In cuius rei teſtimonium ſigillum noſtrum preſenti transſcripto duximus apponendum. Datum Loco ſupradicto anno domini MCCXCIII in exaltatione ſancte crucis.

Biſcop Esgerus *aff Rübe forbuder ad ingen ſchall beſwere Munche aff ciſtercii orden mod deris priuilegia oc frühedher.*

Omnibus, ad quos preſens ſcriptum peruenerit, *Esgerus* dei gratia Ripenſis Epiſcopus ſalutem in omnium ſaluatore. Volentes, ſicut decet, quod dilecti nobis monachi de portu ſancte Mariæ ordinis Ciſtercienſis gaudeant omnibus eisdem libertatibus, que ceteris religioſis eiusdem ordinis in regno Dacie tam a domino papa, quam a domino rege Dacie ſunt conceſſe, diſtrictius inhibemus, ne quis ſupradictos monachos, ſeu eorum villicos & colonos ſuper aliquibus ſolutionibus, aut aliis grauaminibus, a quibus alii ciſtercienſes per priuilegia ſunt exempti, preſumat aliquatenus impetere ſeu quoquomodo moleſtare. Quod qui temere contra prohibitiones noſtras attemptauerit, indignationem dei omnipotentis, & inſuper excommunicationis Vinculum ipſo facto ſe non dubitet incurriſſe. Datum Ripis anno domini MCCLVI.

Biſcop Eſchillus *aff Rübe ſtadfeſter alle Lyom Cloſters früheder.*

Eſchillus dei & Apoſtolice ſedis gratia Epiſcopus Eccleſiæ Ripenſis, Vniuerſis Chriſti fidelibus per ſuam Ripenſem dioceſin conſtitutis, ſalutem in eo, qui eſt omnium vera ſalus. Quia labilis eſt mortalium memoria, Ideo prouida cautione adinuentum eſt, quod rationabilia bonorum hominum opera debent viuaci literarum teſtimonio perhennari. Inde eſt, quod nos petitionibus chariſſimorum filiorum noſtrorum, Abbatis & conuentus Monaſterii Loci dei, benigno ac ſpetiali fauore annuere cupientes, ipſis omnes & ſingulas immunitates & libertates, iura & iurisdictiones ſuper totam familiam eorum, vbicunque in noſtra dioceſi exiſtentem, eis a venerabilibus patribus anteceſſoribus noſtris, Epiſcopis videlicet & prelatis Eccleſiæ Ripenſis, pie donatas, conceſſas ac indultas, per preſentes damus, concedimus, ac indulgemus, necnon tenore preſentium, ex certa ſcientia, innouamus, confirmamus, & approbamus, per dei gratiam, & noſtram vltionem diſtrictius prohibentes, Ne quis eos ſuper huiusmodi libertatibus & gratiis conturbet quomodolibet, ſeu moleſtet, cupientesque, vt nihil minus gratie, libertatis & commodi, idem Abbas & conuentus ſe a nobis, quam ab aliquo anteceſſorum noſtrorum gaudeant recepiſſe. Datum Ripis anno domini MCCCXCIX die beate priſce Virginis, noſtro ſub ſigillo impendenti.

Biſcop

Biſcop Johannes *y Rübe confirmerer oc bewilliger y lige maade Lyom Cloſters friiheder.*

Johannes dei & Apoſtolice ſedis gratia Epiſcopus Eccleſiæ Ripenſis Vniuerſis Chriſti fidelibus per ſuam dioceſim Ripenſem conſtitutis ſalutem in eo, qui eſt omnium vera ſalus. Quia labilis eſt: Cetera omnia vt ſupra &c.

Biſcop Magnus *y Rübe ſtadfeſter ocſſaa Lyom Cloſters früheder.*

Magnus dei & Apoſtolice ſedis gratia Epiſcopus Ripenſis Vniuerſis Chriſti fidelibus per ſuam dioceſim conſtitutis ſalutem in eo, qui eſt omnium vera ſalus. Quoniam labilis eſt mortalium memoria, prouida cautione adinuentum eſt, quod rationabilia bonorum opera debeant viuaci literarum teſtimonio perhennari. Inde eſt, quod ad petitionem chariſſimorum filiorum noſtrorum Abbatis & conuentus Monaſterii Loci dei benigno fauore inclinati, ipſis omnes & ſingulas immunitates & libertates, iura & iurisdictiones, ſuper totam familiam eorum, vbicunque in noſtra dioceſi exiſtentem, eis a venerabilibus patribus anteceſſoribus noſtris, Epiſcopis videlicet & prelatis Eccleſiæ Ripenſis pie donatas & conceſſas per preſentes damus, & concedimus, ac tenore preſentium confirmamus. Per gratiam dei & noſtram diſtricte prohibentes, ne quis eos ſuper huiusmodi libertatibus & gratiis conturbet quomodolibet vel moleſtet. Datum Ripis ſub noſtro maiori ſigillo in teſtimonium premiſſorum anno domini MCCCLXVII in die beati Calixti papæ & martiris.

Biſcop Petrus *y Rübe ſtadfeſter Lyom Cloſters früheder.*

Nos *Petrus* dei & Apoſtolice ſedis gratia Epiſcopus Ripenſis: Peticionibus filiorum noſtrorum chariſſimorum Abbatis & conuentus Loci dei benigno fauore annuere cupientes, ipſis omnes & ſingulas immunitates & libertates, iura & iurisdictiones ſuper totam familiam eorum, vbicunque in noſtra dioceſi Ripenſi exiſtentem, eis a venerabilibus patribus anteceſſoribus noſtris, Epiſcopis videlicet & prelatis Eccleſiæ Ripenſis, pie donatas, per preſentes damus, concedimus & confirmamus, per dei gratiam & noſtram vltionem diſtrictius prohibentes, ne quis eos ſuper huiusmodi libertatibus & gratiis conturbet quomodolibet vel moleſtet. Datum Ripis anno a natiuitate domini MCCCCXIIII, ipſo die beati *Johannis* Apoſtoli & Euangeliſtæ noſtro ſub ſecreto preſentibus appenſo in teſtimonium premiſſorum.

Capitels y Rybe Jom ſtadffeſter Lyom Cloſters früheder. Vidimus:

Omnibus preſens ſcriptum cernentibus Capitolum Ripenſe ſalutem in domino. Noueritis, nos literas ſanctiſſimi patris, domini *Clementis* papæ, ſub vera bulla & filo integro, non raſas, non abolitas, non cancellatas nec in aliqua parte ſui viciatas, vidiſſe in hec verba: *Clemens* Epiſcopus ſeruus ſeruorum dei, dilectis filiis Abbati Ciſtertii, eiusque coabbatibus & conuentibus vniuerſis ciſtercienſis ordinis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem, Cum a nobis petitur, quod iuſtum eſt & honeſtum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, vt id per ſolicitudinem offitii noſtri ad debitum perducatur effectum. Eapropter in domino fili

veſtris iuſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, omnes libertates & immunitates a predeceſſoribus noſtris, Romanis pontificibus, ſiue per priuilegia, ſiue alias indulgentias vobis, monaſteriis, & ordini veſtro, conceſſas, necnon libertates & exemptiones ſecularium exactionum, a regibus, principibus & aliis Chriſti fidelibus rationabiliter vobis, monaſteriis & ordini predictis, indultas, ſicut eas iuſte obtinere noſcimini, vobis & per vos eisdem Monaſteriis & ordini auctoritate Apoſtolica ex certa ſcientia confirmamus, & preſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli igitur omnino hominum liceat hanc paginam noſtre confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare preſumpſerit, indignationem omnipotentis dei & beatorum *Petri* & *Pauli* Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Auinon quarto Nonas ſeptembris, pontificatus noſtri anno quarto. In cuius rei memoriam ſigillum noſtrum preſentibus eſt appenſum. Datum Ripis Anno Domini MCCCXI XV Kall. Januarii.

Guidonis *Cardinalis breff ad dy Brödre aff Ciſtercii orden ſchulle inthet werre ſchuldig ad giffue pawens Legater eller Budh.*

Frater *Guido* miſeratione diuina ſacroſancti *Laurentii* in Lucina presbiter, Cardinalis, Apoſtolice ſedis Legatus, dilectis in Chriſto filiis Abbati & conuentui de Loco dei Ciſtercienſis ordinis Ripenſis diocefis ſalutem, & concinnos in ſancta religione profectus. Cum olim foelicis recordationis *Alexander* papa quartus, vobis ac toti ordini Ciſtercienſi duxerit indulgendum, Vt legatis ac nuntiis Apoſtolice ſedis procurationes pecuniarias minime ſoluere teneamini, per literas Apoſtolicas, etiamſi in ipſis habeatur de dicto ordine mentio ſpecialis, ſicut in priuilegio, ſuper hoc vobis conceſſo vidimus contineri. Nos hoc & alia priuilegia ipſius ordinis cupientes illibata ſeruari, tenore preſentium declaramus, vos ad ſoluendum, ſiue contribuendum pro expenſis ſeu procurationibus noſtris cum aliis perſonis eccleſiaſticis non teneri. Necnon & ſententias, ſi quas in vos, vel aliquos veſtrum, occaſione huiusmodi expenſarum, ſeu procurationum noſtrarum, ferri contigerit, decreuimus irritas & inanes. Datum Ripis XVI Kall. ſeptembris, pontificatus domini *Clementis* papæ quarti anno ſecundo.

Alexandri *Papæ breffuis wdſchrifft paa den ſamme früehedt Ciſtercii orden giffuen.*

Vniuerſis preſentes literas inſpecturis, Vniuerſitas Abbatum Dacie, Ciſtercienſis ordinis ſalutem in domino ſempiternam. Vniuerſitati veſtre conſtare volumus manifeſte, Nos apud Soram vidiſſe priuilegium domini papæ *Alexandri* inferius annotatum, & illud de verbo ad verbum diligentius inſpexiſſe, in nullo penitus viciatum, literis non cancellatis, non abolitis, nec in parte aliqua viciatis, ſub vera bulla, filo integro exiſtente, cujus tenor talis habetur. *Alexander* Epiſcopus ſeruus ſeruorum dei, dilectis filiis Abbati Ciſtercienſi, eiusque coabbatibus & conuentibus vniuerſis Ciſtercienſis ordinis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Religionis veſtre meretur honeſtas, vt vos ſpeciali diligentes in domino charitate, proſequamur gratia ſedis Apoſtolice & fauore, Sane tenuitatem veſtrorum reddituum & prouentuum ſollicite attendentes, ac propter hoc volen-

tes

tes alicuius releuationis ſolatio vos gaudere, vobis auctoritate preſentium indulgemus, vt ad preſtationem aliquarum collectarum, & aliarum exactionum imponendarum, vobis & domibus veſtris a ſede Apoſtolica, ſeu Legatis eiusdem, aut ipſorum auctoritate, ac mandato non teneamini per literas ipſius ſedis, ſeu Legatorum, que plenam & expreſſam de indulgentia huiusmodi, & ordine veſtro non fecerint mentionem. Nos enim excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti ſententiam, ſi quis occaſione prædictorum in vos communiter, vel aliquos veſtrum, ab aliquo promulgari contigerit, decernimus non tenere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtre conceſſionis & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare preſumpſerit, indignationem omnipotentis dei, & beatorum *Petri* & *Pauli* Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Viterbii VI Kall. Julii, pontificatus noſtri anno tertio. Quoniam igitur hoc ipſum priuilegium bullatum adhuc in cunctis ordinis noſtri domibus non habetur, propterea ſub noſtrorum illud ſigillorum teſtimonio preſenti ſcedulæ ſeriatim fecimus ex integro annotari, vt de ipſo dubitantibus fides certior generetur. In cuius rei euidentiam & cautelam ſigilla noſtra preſentibus duximus apponenda. Actum anno domini MCCLXVI menſe Martio, apud Soram, in craſtino dominice Letare Iheruſalem.

Jen Vidimus nogen Dome herrers aff Riibe offuer Konge *Erichs* &c. priuilegium Lyom Cloſter giſſuen.

Alle mend thette breff ſeer eller höre læſſe hielſſe wy Hans Jenſſen *Vicarius, oc biſpens officialis y Riibe,* Nils Marquardſſen, Jens Chriſtenſſen, Niels Ebbiſſen, oc Hans Söffrenſſen *Canicker, oc* Hans Ruſck *prior y Corſſbröder gaard y Riibe, ewindelig med gud. Oc kundgiöre wy med thette wort obne breff, Atth aar effter gudtz byrd MDXVII, Then Othenſdag neſt effter alle Helgendag y Riiber Dommekürcke for oſſ wor ſchicket Hederlig oc Regelbunden Her Abbet* Hennickis *wiſſe bud, Meſter* Niels Perſſen, *framkallet oſſ och loed læſſe for oſſ ett breff ſom ſchreffuet wor paa pergament, welbeſeglet, wſiungen, oc wforderſſuet y alle maade, oc lyder ord fra ord fra thet förſte och til det ſiiſte, ſom her effter ſchreffuen ſtaaer, huilke forneſſnde breff waar paa Latiin dictet, oc lyder ſaa paa Danſche.* Erich *medt gudtz naade Dannemarck og Slauer Konge, Alle thette nerwerendis breff ſzee ſchulde medt wor herre hielſſen, Alle ærinde y ſchryfft ſaatt oc windisbyrds röſt aff begge diele drawer thii wbrödelig ſtadtfeſtelſſe. Ther for wille wy medt thette wort obne breff obnebare ad were alle ſom nhu erhe eller komme ſchulle, At wy haffuer annammet wthiwore ſynderlige beſchermelſſe, oſſ elſchelige Abbet oc Conuenth y Lyom Cloſter, med alle theris godtz, och theris tienere, oc wnde wy och thennom alle theris godtz, bodhe ſom thii haffue till tynde, oc annett aff miſchundelighetz oc gudtz Almuſſ forhuerſſue haffue, oc thennom tilladet er aff pawens macht, oc Archibiſper aff Lunden, Biſper aff Riibe oc Sleſſuich, oc aff wore foreldre miſchundelige tilladet, bode y wore hertuchdom och Rüget, Adt Abbet y Lyom Cloſter, och Conuents brödre medt theris godtz, ſchulle werre wden alle tyngſſel, ſom er wdboedh oc ſchattinge, frii och wndertagen wth aff all wdgifft, ſom wor kongelig rett tilhörer. Ther wdoffuer beſynderlig aff naade wnde wii thennom, ath there tienere och gaarde aff theris brödre till komelige rett ſchal ingen ſware, wthen Abbeden*

beden eller Conuent, eller huem han eller thii thet beſſale. Forbudendes therfor wnder wor naadis ſtörſt heſſn, ad ingen ſchal dierffuis til ad giöre her emodh forneſſnde beſchermelſſe breff, friihedt, och gunſt, ſom wy thennom haffue wndhet, ſaa framtt, ſom thii wille wndgaa wor wreede och heſſn, Till huis windisbyrd, oc ewige huſkommelſſe, haffue wy giffuet thennem ſamme breff ſtadtfeſt oc forwaredt med wore indſzegel hengendis neden for. Giffuet paa wort raadt Nyborg Aar effter gudts byrd MCCLXIX paa S. Pauli commemorationis dag, Neruerendis wore gode mend y Riige &c., Atth thet howidt breff ſaa lydher paa Latiin, ſom thenne Danſche breff er wdſchreffuet och indholder y alle Maade, ſom forſchreuen ſtander, Til windisbyrd och wthermere bewiſſning henge wy wore indſzegler neden for thette breff, med wore Notarii Meſſer Hans Seffrenſſens *wnderſchriffuelſſe.* Datum anno, die, & Loco quibus ſupra.

Et ego *Johannes Seuerini* publicus Apoſtolica auctoritate Notarius, quia huiusmodi lectioni, literarumque oſtentationi, omnibusque aliis & ſingulis premiſſis, dum ſic, vt premittitur, agerentur & fierent, vna cum prenominatis teſtibus preſens interfui, Eaque omnia & ſingula, ſic fieri vidi & audiui, ac in notam ſumpſi, Ideoque hoc preſens publicum inſtrumentum manu alterius ſcriptum, exinde confeci & de mandatis dicti domini officialis ſubſcripſi & publicaui, in fidem & euidens teſtimonium omnium & ſingulorum premiſſorum rogatus & requiſitus.

Jen vidimus och fordanſchelſſe Konge *Frederichs* &c. breffs paa Lyom Cloſters priuilegia och friihedher.

Alle mend thette breff ſeer eller höre læſſe hielſſe wy Hartuick Chreſtenſſen *Vice-officiall och Cannich y Riibe,* Lambertt Cordtſſen, Nils Marquordtſſen, Nils Ebbitſſen *Canicher y ſameſtedt,* Hans Ruſck *pryor til Korſſbröder y Rybe och* Nils Anderſſen *Radmand y ſameſtedt ewindelig med gud, och kundgiöre wy medt thette wort obne breff, Adt Aar effter gudts byrd MDIIII, paa fredag neſt effter St. Marthens dag ſiddendis paa doem y Ryber Dommekürcke omgaang, wor ſchicket Hederlig och Regelbunden Her Abbet* Hennichs *aff Lyom Cloſter wiſſe budh, Her* Nils Jeppſſen *framkallet oſſ, oc lodh læſſe for oſſ ett breff, ſom ſchreuett wor paa pergament, wel beſeglet, wſiungen, oc wforderſſuet y alle maade, oc lyder ord fra ordt fraa thet förſte och til det ſiiſte, ſom her effter ſchreſſuet ſtaaer. Huilke forneſſnde breff waar paa Latin dicht, oc lyder ſaa paa danſche.*

Vy Frederick *medt gudts naade arffuinge till Norwige, Hertuch till Sleſſwich och Holſtein, Stormarn och Dythmarſchen, Grewe till Oldenborg och Delmenhorſt, alle ſom theſſe nerwerendis breff ſee ſchulde, helſen ewindelig med wor rhere. Alle ærinde, mandatt elle herrebudelſſe tager ſin ſtadtfeſtielſſe wdaff myndige breſſue. Ther wdoffuer wille och wy medt thette wortt obne breff obenbare ath were, alle ſom nhu ærhe eller homme ſculle. Ath wy haffuer annammet wthi wore ſynderlige beſchermelſſe, oſſ elſchelig Abbet oc Conuent y Lyom Cloſter med alt theris godtz oc folk, ſom thennom tillhörer. Oc wnde wy oc thennom alt theris godtz, bodhe ſom thii haffue till thinde, ocſſaa thett godtz aff miſchundelighet och gudtz almeſſe forhuerffuet haffue, och thennom tilladhet er aff pawens macht, och aff erchibiſper aff Lundh, och Biſper aff Riibe, och Sleſſuich, wthi wort Hertuch-*

doem,

doem, eller oc andre ſiedhe, ther ſom wy haffuer macht och weldhe offuer. Att Abbeden y Lyom Cloſter oc Conuentz bröder medt theris godtz ſchulle werre wden alle tyngſſel ſom er wdbodh och ſchatting, frii och wndertagen wdaff alle wdgifft oc tönghe. Ther wdoffuer wnde wy och thennom, adt forneſſnde Hr Abbet och Conuent y forneſſnde Lyom Cloſter ſchulle haffue XL marchs ſagher med theris tienere oc wordinge, och ingen ad ſware til XL marchs ſagher wden Abbeden Conuent, eller hwem han eller thii thet beffaler. Ther wdoffuer ſiadfeſtere och mödige giöre wy alle thii priuilegia, ſom thii haffue fangeth aff wore forfœdre. Och ſtrengelig forbiude, vnder wor naadis ſtörſte heſſnæ, adt ingen aff wore fougder, Lenſſmend, eller oc ander, ſom ere wthi wort Land, ſchal dierffuis till, ad giöre her wdhi modh forneſſnde beſchermelſſe, breffue, frihedt och gunſt, ſom wy thennom haffue wndhet, ſaa ſramth thii wille wndgaae wor wrede oc heſſn. Til huis windisbyrdt oc wddermere ſiadtfeſtelſſe lade wy henge wort Secrett neden for thette breff. Giffuet paa wortt Slott Lylle Tunder paa Sancti Clementis Dag papæ och martiris anno domini MCCCCXCIIII. Att thet hoffuit breff ſaa lydher paa Latin ſom thette danſche breff erwdſchreffuen oc indholder y alle maade ſom forſchreffuen ſtander. Till windisbyrd och wddermere bewiſſning henge wy wore indſegle neden for thette breff. Item haffde forneſſnde Her Nils Jepſſen, *forneſſnde Her Abbetz bud, Konning* Creſtenſſen, *huis ſiæl gud naade, breff welbeſeglet, oc wforderffuet y alle maadhe ſom lydde ligerwiiſſ paa Latin paa forneſſnde priuilegia ſaa ſom Hertuch* Frederichs *breff paa lyder ſom ſor er rördt,* Datum anno, die & Loco ut ſupra.

Et ego *Nicolaus Ebbonis* Clericus Sleſſuicenſis Dioceſis publicus ſacra Apoſtolica auctoritate Notarius: Quia huiusmodi literarum regalium & ducalium productioni, exhibitioni, preſentationi, inſpectioni, examinationi, exerptioni & requiſitioni, omnibusque aliis & ſingulis, dum ſic, vt premittitur, agerentur & fierent, vna cum prenominatis teſtibus preſens interfui, eaque omnia & ſingula ſic fieri vidi & audiui, ac in notam ſumpſi, ex qua preſentis ſubſcriptionis mee decretum confeci, & ſubſcribendo in hanc publicam formam redegi ſignoque & nomine meis ſolitis & conſuetis, vna cum honorabilium dominorum premiſſorum ſigillorum appenſione, ſignaui rogatus & requiſitus in fidem, robur & teſtimonium omnium premiſſorum.

Jen wdſchrifft paa Danſche aff pawis Innocentii preuilegii breff, den Orden aff Ciſtertz giffuen.

Alle mend thette breff oc effterſchreffne inſtrumentum ſee eller höre læſſe, kielſſe wy Broder Jeip *Abbet y Ebbildholtz Cloſter liggendis y Roſchylde ſticht, ewindelig med wor herre, oc giöre witterligt, adt Aar effter gudtz byrd MCDXCIIII, then Tüſſdag neſt for Faſtelauen wor ſchicket for oſſ y wort Abbetzcie oc for flere gode mend, reenliſſuet oc regelbunden mand, Her* Madts Jeipſſen *aff Eſrom, huilke ſom bedis aff oſſ paa theris ordens wegne ien wtſchrifft paa Danſche aff thed priuilegio, ſom helgeſte fader Pawen* Innocentius *then ottende aff thet naffn haffuer giffuet offuer alt wor Frues oc Sancti* Bernardi *ordhen Ciſtertz orden kallendis bode bröedre Cloſter, och Söſter Cloſtre oc alle forneſſnde Cloſters thienere och godtz, ind-*

wortis og wdwortis, huilket ſom ſaa er y ſin lydelſſe. Innocentius *Biſcop gudtz tieneris tiæner til ewig mynnelſſe. Thet tilhörer pawens embede, the ſtycke ſom hans forfædre haffue höytidlige oc forſynlige giört regelbundne perſoner, ath thi ſchulle for theris roo och fredſchyld bliffue thes ſtadeligere oc faſtere, ath thü offte och ydeligen ſtadtfæſti mœlis och fornyes, ſom thett behouff giöres, oc hannom tyckis nytteligt werre for gud, Tha ſom off kiærlige Abbetz aff Ciſtertz, och andre flere Abbeders, och Conuentz aff ſamme ordenſſ bön inneholt, enddog ath thü och ordens Munckecloſter, Nunnecloſter och andre reenliffuet ſtedher, ſaa och Muncke, Nunner, Hoffolck, Wnderdane och Tienere, och alt theris godtz, er beſynderlige tagne och wndfangene wnder pawens wern och beſchermelſſe, och hannom aldermeeſt wndergiffne, oc frü fraa alle biſcopers rettighedtz macht, och ere ey plichtige ad giöre koeſt eller hielp, ændigen til pawen, eller hans Legater, eller thennom ther theris beffaling haffue, eller Biſcoper, Alligeuel begere thi, atth wy ſchulle ſaadanne theris frühedher ſtadtfeſte, och ther offuer, adt wy paa thet nye werdis wille, adt giffue thennom oc wnde alle thüſſe früheder, ad nyde paa theris perſoner, breffue, godts oc tienere, och aff thet wy tage thennom wnder wor beſchermelſſe, oc frü them till ewige tüd fra Biſcopers oc andre Domers macht och Rettgaang. Tha paa thet ath thü maa thes früer bliffue ſtandendis y gudtz tieneſtis teckelſſe, effterdy ad wede fegh ad maa nyde ſtörre frühedt, Thi erhe wy ſynderlig tilböiede for theris ſtorre frucht, huilke thü giöre ydelige y thenn hellige kürcke, ath höre theris bönn. Tha aff wor pawelige macht, oc aff wortt rette ſande wüdtſchab ſtadfeſte wy oc fuldborde, med thette wort priuilegio alle artichle oc frühede, beſchermelſſe oc wndertagelſſer, oc alle breffue, ſom ther oppaa giörde ere, oc alt thett thü inneholde, och döme them, ad thü ſchulle bliffue wforkrenchte, oc ſtadige wed macht ind till ewig tüd. Er ther eller haffuer wœrith nogen bryſt iblandt, then fuldkomme wy oc opfylle med theſſe wore breffue. Och ther offuer for ytthermere forwaringe ſchyld annamme wy aff pawelige macht och rette widtſchab, wnder ſancti Peders og Romere kyrkis, oc wore ſynderlige beſchermelſſe, forneffnde Cloſter, Stedher, wnderdane, och godtz, ſom for er rörd, ſaa wel thü ſom nhu elr, ſom komme ſchulle, Abbethe, Abbatiſſer, Muncke, Nunner, Embiſsmend, wnderdane oc tienere, oc frü oc aldeleſſ wndertage them tül ewig tüd, fraa alle Erchebiſcopers, Biſpers, oc andre Domeris, oc theris embiſsmendtz, dhoem oc rettgaang, offuermacht, reffſelſſe, Jögning, herredöme, och weldhe, thü ſchulle ingen paaligge, hielp, koſt, beſchattning eller tönge noger tüd beſwaris med, men aff pawelige macht, och rette wüdſcab frü thennom alltinges ſaa, att thü ſchulle inghen wden off aldherneſt wndergiffne werre, ſaa adt Erchibiſcoper, Biſcoper, Domere, och theris embiſſmend ſchulle ingenlunde dierffuis, adt ſette noghen doem eller reffſelſſe, med bann eller forbud, eller noger ander thesliges then hellige kürckis heſſn, paa forneffnde Cloſtere, ſtædher, perſoner, wnderdane, eller noger aff them, for noger brödhe, contract eller anden ting ſom paa kiæris ehuorſomhelſt ſamme bröde ſcheer, eller contract worder, eller then ting ſom paa kæris y noger maade. Oc ſchulle ey kallis for doem, eller rett, eller bekumris y ien hande maade eller anden, for Erchibiſcoper, Biſcoper, eller officialer, oc ey pawens egne wnderdomere, eller ſendebud, wden thü haffue y theris beffalings breff, thenne woris priuilegie indſchreffuen, lige ſom hun lyder ord fraa ord, giöre eller giöre lade, Erchibiſcoper, Biſcoper eller andre Domere, eller theris embeſſmend, noger doms forfölning, bann eller forbudh mod forneffnde Abbethe, perſoner, Cloſter, eller*

ſtæder,

ſiæder, tha döme wy thennom machtlöſſe och forſengelige, ligerwiſſ ſom thü aldrig hadde werret giörde, huad heller thü wiſte aff theſſe priuilegier eller ey. Icke ſchal och tyſſe priuilegier oc naader hindres eller formynſchis y noger maade, for thet adt wor forfather, ſom er Innocentius *Pawe then fierde aff thet naffn haffde tilforne giört almyndelig rett och ſchickelſſe, ſom her ſiunes ad wære emodh, oc ei andre nogre ſædwone y ſamme orden oc Cloſter ehuorlunde thü erhe giörde oc ſiadtfeſte. Oc alle andre ſtycke, ſom theſſe wore priuilegier hindre kunde, ſchulle thinne wor priuilegie inthet emodſiaae. Fordy ad thet er ganſche wanſcheligt ad före thette wort priuilegium till alle ſiedher ſom behouff giöris, thü wille wy och ſchicke aff forneffnde wor priuilegü macht alt huad breff eller inſtrumente, med Notarü Handſchrift, ſom ther om bedhis oc nogen prelatis indſzegel worde her oppaa giörde, thü ſchulle haffue then ſame macht, oc ſiaa til troen ehuor thü komme for doem eller anden ſiedh, ligeſom thet wort hoffuit breff wor til ſiæde. Ther ihuem ther dierffuis thenne wor priuilegie wthi ſine artickle ſom forſchreffne ærhe ad forkrencke han widhe ſegh ad ſchulle were beſeſtet y gudtz allmechtigſte oc hans hellige Apoſtelers, St. Peders, oc St. Powels, heffn, bann, oc wræde. Giffuet y Roem Aar effer gudtz byrd MCDLXXXVII, i Septembris moneth, forneffnde pawens III Aar. Till wddermere ſiadfeſining oc forwaring adt helligeſte faders pawens* Innocentii *then ottende aff thet naffn priuilegiæ ſaa indholder paa Latin ſom for ſiaar ſchreffuet paa Danſche y ſin lydelſſe och wnderſiandelſſe for lægefolck ſchyld, thet winde wy med wort inſzegel hengendis neden for thette breff. Oc thette nerwerendis obenbare inſtrumente med wnderſchriues Notarü handſchrifft ſom er ien obenbare ſchriffuen og mercker tillſchichket aff pawelige macht vnder naffn og teghen ſom thet ſeg hörer oc tilbör, giffuet aar, dag och ſiedt ſom for ſiander, Nerwerendis reenliffuede och regelbundene mend, Her* Nils Owyſſen *pryor, och Her* Nils Kögemeſter *indgiffne brödre y forneffnde wort Cloſter Ebbyldholt, til windisbyrd ſerdelis bedenn och til kallet wore.*

Et ego *Andreas Petri* Clericus Roſchildenſis Dioceſis publicus ſacra Apoſtolica auctoritate Notarius, Quia prefatæ bullæ, ſiue publici tranſcripti inſtrumenti exhibitioni, examinationi & translationi, omnibusque aliis & ſingulis premiſſis, dum ſic, vt premittitur hec fierent & agerentur coram me Notario, teſtibusque prenotatis, preſens interfui, eaque ſic fieri vidi & audiui ideoque hoc preſens publicum inſtrumentum manu mea propria conſcriptum, ac ſigillo prenominati domini *Jacobi* Abbatis monaſterii de paraclito ſigillatum exinde confeci, ſubcripſi, & in hanc publicam formam redegi, ſignoque & nomine meis ſolitis & conſuetis ſignaui & roboraui in fidem & teſtimonium omnium premiſſorum ſpecialiter vocatus & rogatus ac requiſitus.

Abbeden aff Ciſters beffaler Abbether aff Sore, och Herritzwad &c. ad hielpe Abbethen oc Conuent aff Lyom Cloſter, ſom for Hertugen aff Holſten forfördt waare.

Frater *Jacobus* Abbas Ciſtercii, in Cabilomenſi dioceſi, totius noſtri Ciſtercienſis ordinis, & capituli generalis plenaria fungens poteſtate, Venerabilibus & in

in Chriſto nobis prechariſſimis coabbatibus noſtris monaſteriorum de Sora, de Heriuado, & de regali Curia, ſalutem, & pro veritate, ordinisque noſtri libertate indefeſſe laborare. Quia nouiſſimis diebus fide dignarum perſonarum relatu didicimus, nonnullos ſuſurrones, ambitione forſan dominandi execatos homines, nouarum rerum molitores, pias illuſtriſſimi domini ducis Holſatiæ regali ex progenie exorti, aures falſis ſuggeſtionibus obtudiſſe & repleuiſſe, ſereniſſimum quoque ac virtuoſiſſimum animum illius talibus importunis narrationibus & ſollicitationibus permouiſſe, vt apud ſe cogitaſſet, Abbatem & fratres monaſterii noſtri Loci dei, in patria & dominio ſuo conſtituti, tanquam malefactores, ſueque Ducali maieſtati aduerſarios, a dicto monaſterio prorſus eliminare, & loco illorum alios ſub ſpetie maioris ſanctimonie & fidelitatis, noſtri, ſeu aliorum ordinum fratres introducere, cogitaſſe & voluiſſe. Quod tamen non ſine matura deliberatione, & cauſa rationabili vigente, iuſticieque ordine ſeruato fieri debet. Cumque veritas etiam clariſſima, prouida, ſolertique egeat defenſione, preſertim contra mendaces, ambitioſos, & huiusmodi nouarum rerum molitores, qui nonnunquam pretextu ſanctitatis & fidelitatis pias principum mentes turpiter fallunt, & eos ad illicita pertrahere conantur, Hinc eſt quod vobis & cuilibet veſtrum in ſolidum committentes, damus poteſtatem & mandatum ſpetiale, quatinus vos & quilibet veſtrum ſe ſuper premiſſis diligenter, ſecrete & prudenter informet. Et ſi quidpiam de premiſſis & ad ea dependentiam habentibus vera eſſe intellexeritis, vos omnibus viis rationabilibus obuietis, ne huiusmodi ſuſurronum deprauate voluntates optatum conſequantur effectum, adeundo, ſi opus fuerit, prefatum illuſtriſſimum Chriſticolamque principem, eidemque oportune & reuerenter ſuggerendo, ne huiusmodi peruerſorum, ambitioſorum, & adulatorum hominum ſuggeſtionibus facile inclinetur vel obaudiat, quinimo, ſicut dignum decet principem, ſe primo ſuper veritate verborum ſuggeſtorum, ducali grauitate ſeruata, informet. Et nihilominus eidem noſtra ac totius generalis Capituli, ordinis noſtri, omnium ſuffragiorum, & bonorum ſpiritualium, que in toto ordine noſtro ſunt, & per dei gratiam impoſterum fient, plenariam participationem offerendo, omnia noſtri prefati ordinis monaſteria, preſertim in terris, & dominiis ſuis conſtituta, beneuolentiæ & protectioni ſue illuſtris dominationis obnixe commendando, aliaque, prout res expoſtulauerit, reuerenter & opportune ſuggerendo. Inſuper vobis precipimus quatinus premiſſis Abbati & fratribus dicti monaſterii Loci dei, ſi & inquantum exegerint merita omnem fauorem contra omnes aduerſarios viriliter exhibeatis, omnibus noſtri ordinis regularibus perſonis, in virtute ſancte obedientiæ, & ſub grauiſſimis ac formidabilibus penis tam ſpiritualibus quam corporalibus, per vos exprimendis, & occaſſione data, rationabiliter inferendis, inhibendo, ne absque noſtra vel generalis capituli ordinis noſtri ac veſtra, venerabilis Coabbas noſter de Sora ſpeciali licentia, dictum monaſterium noſtrum, de Loco dei, aut alia eiusdem monaſterii Loca & poſſeſſiones cauſa reſidendi, ſiue profeſſionis, ſiue hoſpitalitatis titulo ingredi aut bona temporalia illius monaſterii retinere, vel ad victum, aut veſtitum ſuum applicare preſummat. Et generaliter damus vobis & cuilibet veſtrum de conſenſu veſtro, Coabbas noſter de Sora, in premiſſis & ea tangentibus, agendi, faciendi, & exercendi, quecunque nos agere, facere & exercere poſſemus & deberemus, ſi illic preſentes eſſemus, inuocato ad premiſſa & ea tangentia, ſi opus fuerit, brachii ſecularis auxilio, conſilio & fauore.

Datum

Datum Ciſtertii ſub appenſione ſigilli noſtri die 29 menſis Octobris. Anno Domini MDXV.

Erchidegens aff Rübe Vidimus offuer dette forſchreuen breff.

Uniuerſis & ſingulis preſentes literas ſiue preſens publicum inſtrumentum lecturis, viſuris & audituris, *Mathias Marquardi* Archidiaconus Eccleſie Ripenſis & iudex ordinarius, notum facimus, quod nos in manibus noſtris habuimus, vidimus, legimus, & diligenter inſpeximus reuerendiſſimi in Chriſto patris & domini *Jacobi* Abbatis Ciſtercii ſuperioris generalis totius ordinis Ciſtercienſis patentes literas in cera alba cum pergameno impendente ſignatas, non raſas, non cancellatas, ſed omni prorſus vitio & ſuſpitione carentes, quarum quidem literarum tenor de verbo ad verbum ſequitur & eſt talis: Frater *Jacobus* Abbas Ciſtercii in Cabilonenſi dioceſi, totius noſtri Ciſtercienſis ordinis. Cetera vt ſupra.

Nogen breff effterfölger ad biſcoper aff Sleſſuich haffuer giffuen Lyom Cloſter deris part tyende aff Bulderup kyrcke y Slox herret liggendis.

Henricus dei & Apoſtolice ſedis gratia Epiſcopus Sleſſuicenſis, vniuerſis & ſingulis preſentia viſuris, audituris & etiam percepturis ſalutem in omnium ſaluatore, Notum facimus & preſentibus atteſtamur, quod nos ad laudem omnipotentis dei, ſueque ſanctiſſime & intemerate genetricis *Mariæ*, Zelo deuotionis & religionis in religioſos promouendos, viſis oculatius & perlectis nonnullis documentis, de & ſuper donatione, aſſignatione, & incorporatione, nonnullarum decimarum noſtrarum Epiſcopalium in parochia Bioldorpp in Sluxherde eiusdem noſtre dioceſis, tam in frumentis, quam & viuis, que animalium dicuntur, editis per quondam ſoelicis recordationis Dominum *Waldemarum* predeceſſorem noſtrum, dum in humanis abhuc agebat dies, & eidem Eccleſiæ noſtre predicte vt paſtor prefuit, dono dei Religioſis & deo deuotis, patri Abbati & fratribus Monaſterii Loci dei Ripenſis dioceſis Ciſtercienſis ordinis, pro eorum ſuſtentatione, ſaltem ibidem dietum degentibus, & domino die noctuque famulantibus, generoſe factis, in effectum premiſſum matura deliberatione, ex certis noſtris ſcientia & ſpontanea voluntate, dictas donationes & aſſignationem in dictis literis, dicti noſtri ſoelicis predeceſſoris factas & aſſignatas, prout easdem dudum pacifice habuerunt & etiam poſſederunt, per omnia & in omnibus ſub clauſulis conditionum & arengis. Omnibus & ſingulis prout & quemadmodum ex dictis noſtri predeceſſoris deliberatione, ordinatione, donatione, & decreto rite prodierunt, auctoritate noſtra ordinaria comiſſa & a deo concella, ſub omnibus & ſingulis earum, modo, forma, modificatione, conditione, & cautela, in eisdem noſtri predeceſſoris literis & documentis, cautis, circumſtantionatis, & conditionatis, Ratificauimus, gratificauimus, approbauimus, & confirmauimus, ac preſentium noſtrarum literarum teſtimonio ratificamus, gratificamus, approbamus & etiam confirmamus easdem eisdem dominis Abbati & fratribus, ac conuentui in euentum & effectum premiſſos, ſimilibus attentis, intuitu, & reſpectu, ſimilium noſtrarum auctoritatis & decreti interpoſitione generoſe & fauorabiliter, quoad uixerimus concedentes, ſimiliter etiam & donantes, mandantes eisdem

easdem a quoruncunque impetitione ſaluas, liberas & conceſſas remanere debere. Datum Ripis die beati Andree Apoſtoli anno domini MCCCCLXXVI ſub noſtro ſigillo, preſentibus in fidem & euidentius teſtimonium omnium & ſingulorum premiſſorum inferius ſub appenſo, preſentibus venerabilibus viris &c.

Detleui *Biſcops breff lige ſaa lydendis*

Detleuus dei gratia &c.

Biſcop Eſkilli *aff Sleſſuich breff paa Bulderup Sogen Tynd.*

Eſkillus dei gratia Sleſſuicenſis omnibus, ad quos preſens ſcriptum peruenerit, in domino Iheſu ſalutem. Cum pro receptis beneffitiis quilibet ad antidotum teneatur, ratione dictante & motu naturali ſagaciter ſuadente. Felicis memoriæ venerabilis *Waldemarus* Epiſcopus Sleſſuicenſis id conſiderans, Dilectis in Chriſto fratribus monachis ordinis Ciſtercienſis in Loco dei, decimam Epiſcopalem in parochia Biulthorp contulit poſſidendam. Quam donationem ſucceſſores ipſius Venerabilis *Waldemari* domini, Epiſcopi Sleſſuicenſes ſcilicet, *Nicholaus* quondam illuſtris regis Danorum cancellarius, *Tuko* & *Johannes* ratam habuerunt, ſicut in eorum literis plenius continetur. Nos etiam conſiderantes, quod nos & noſtros ſepius contingat gratia hoſpitalitatis ad idem clauſtrum diuertere & ne propter hoc predicti fratres nimium grauentur in expenſis, predictam donationem, ſi legitime facta fuerit, approbamus. Et ſi ex aliqua parte ſui, quaſi minus legitime facta poſſet merito impugnari, Nos habito conſenſu capituli noſtri, ſupradictam decimam tam de frugibus quam de animalibus in dicta parochia memoratis fratribus in Loco dei ſemper Chriſto Jeſu famulantibus contulimus iure perpetuo poſſidendam. Ne igitur in poſterum ſuper hac donatione poſſit oriri calumnioſa actio, preſentem paginam ſigillo noſtro & ſigillo capituli noſtri, & in perſpicatius teſtimonium, ſigillo domini Ducis *Abel* dedimus roboratam. Datum Sleſſuich anno domini MCCXLVIII pontificatus noſtri anno quarto.

Nicolaus *Biſcop til Sleſſuig lige ſaa ludendis breff.*

Nicolaus dei gratia Sleſſuicenſis Epiſcopus omnibus, ad quos preſens ſcriptum peruenerit, in domino Jeſu ſalutem. Cum pro receptis beneſitiis quilibet ad antidotum teneatur ratione dictante &c. Cetera vt ſupra.

Jacobi *biſcops til Sleſſuich breff paa Bulderup Sogen tynd.*

Jacobus dei gratia Sleſſuicenſis Epiſcopus, illuſtris regis Danorum Cancellarius, omnibus ad quos preſens ſcriptum peruenerit, ſalutem in domino ſempiternam. Ex quo venerabilis memoriæ dominus *Waldemarus* Epiſcopus anteceſſor noſter monachis de Loco dei tertiam partem decime de parochia Bulthorp, ſpectantem prius ad menſam Epiſcopi, contulit & aſſignauit perpetuo poſſidendam, ſuper qua collatione vidimus literas confirmationis domini papæ *Innocentii* tertii, in ſerico bullatas, Nos quoque eandem de communi conſenſu capituli noſtri ratam habentes preſentis ſcripti priuilegio communimus, ne alicui ſuper hoc in

poſte-

posterum facultas calumniandi tribuatur. Prohibemus insuper sub indignatione dei omnipotentis, ac beati Petri Apostoli, cuius ecclesiæ regimen nobis per dei gratiam commissum est, ne quisquam ipsos super premissis presumat aliquatenus molestare. Datum Slesuich anno domini MCCLXXXIIII XVII Kal. Decembris.

Nicolai *Biscops y Slesuich breff paa Bulderup Soghen tynd.*

Nicolaus dei gratia Slesuicensis Episcopus vniuersis sancte matris Ecclesiæ filiis, tam presentibus quam futuris, ad quos presentis cedulæ noticia peruenerit salutem & sancte dilectionis deuotionem. Nulli nocere volentes, sed omnibus prodesse cupientes, precipue religiosorum conuentui, qui relictis omnibus pauperes Christum pauperem sequi studeut, fratribus in Loco dei tertiam decimæ nobis attinentis in Bulethorp parochia donamus. Et ne alicui tribuatur facultas calumniandi & cassandi donationem nostram, propter labilem hominum memoriam, & propter multorum proximos suos circumuenire volentium fraudem & astutiam, dictam donationem sigilli nostri signamus impressione. Unde sub auctoritate dei patris omnipotentis & filii & spiritus sancti & perpetue virginis Marie, ac beati Petri Apostoli, cuius ecclesiæ nobis regimen est commissum per dei gratiam, precipimus & districte iubemus, ne quis donationem a nobis factam attemptare & infringere presumat. Si quis autem contra tam pium opus venire presumpserit, indignationem dei & sanctorum eius se nouerit incursurum, Dat.

Johannis *Biscops y Slesuich breff paa Bulderup Sogen tynd lige saa lydendis.*

Johannes dei gratia Slesuicensis Ecclesiæ Episcopus vniuersis sancte matris Ecclesiæ filiis, tam presentibus quam futuris, ad quos presentis cedulæ noticia peruenerit &c. Cetera vt supra.

Jen vidimus Riber Capittels paa samme breff.

Uniuersis presentes literas inspecturis Capitulum Ripense salutem in domino. Nouerint vniuersi, nos literas reuerendi patris domini *Johannis* dei gratia Slesuicensis Episcopi vidisse, tenorem, qui sequitur, continentes: *Johannes* dei gratia Slesuicensis Ecclesiæ Episcopus Uniuerse sancte matris ecclesiæ filiis, tam presentibus quam futuris &c. vt supra. In cuius rei noticiam & testimonium sigillum nostrum presentibus est appensum. Datum Ripis anno domini MCCCXXI in festo S. Mariæ Magdalenæ.

Biscops oc Capittels aff Rübe vidimus offuer alle thisse forschreffne Slesuiger Biscopis Breffue paa Bulderup Sogen tynd.

Uniuersis presentes literas inspecturis *Jacobus* dei gratia Ripensis Episcopus, Archidiaconus & Capitulum eiusdem Ecclesiæ salutem in domino sempiternam. Nouerint vniuersi, nos vidisse literas venerabilium dominorum, quondam Slesuicentium Episcoporum, sub veris sigillis, quarum tenores de verbo ad verbum inse-

rius

rius continentur. *Nicolaus* dei gratia Sleſuicenſis Epiſcopus &c. Vt ſupra omnia cetera. Quia igitur propter periculoſos & varios euentus inconſultum eſt originalia priuilegiorum, que multum important, cum neceſſitudo requirit frequenter in publicum deportare, nos ad inſtantiam dominorum Abbatis & monachorum, conuentus & monaſterii prelibati ſigilla noſtra in maioris certitudinis euidentiam preſentibus duximus apponenda. Datum Ripis Anno domini MCCCXXXIIII Sexto idus Februarii.

Biſcop Iwers *y Rübe vidimus offuer* Jacobi *biſcops aff Sleſuich breff paa Bullerup Tynd.*

Uniuerſis & ſingulis preſentes literas inſpecturis, lecturis, viſuris, & audituris, pateat euidenter & ſit notum, quod nos *Iuarus Munck,* dei & Apoſtolicæ ſedis gratia Ripenſis Epiſcopus, in manibus noſtris, habuimus, legimus ac diligenter inſpeximus quasdam literas venerabilis memoriæ *Jacobi,* dum vixit, Epiſcopi Sleſuicenſis, in pergameno conſcriptas, eiusque ſigillo oblongo ex cera rubea, ac ſigillo venerabilis capituli ex cera alba appendente, munitas, ſanas ſiquidem & integras, non viciatas, non cancellatas, neque in aliqua ſui parte ſuſpectas, ſed omni prorſus & ſuſpitione carentes, tenoris ſubſequentis. *Jacobus* dei gratia Sleſuicenſis Epiſcopus, illuſtris regis Danorum cancellarius, omnibus, ad quos preſens ſcriptum peruenerit, ſalutem in domino ſempiternam. Ex quo venerabilis memoriæ dominus *Waldemarus* Epiſcopus anteceſſor noſter, monachis de Loco dei tertiam partem decime de parochia Buldrop, ſpectantem prius ad menſam Epiſcopi, contulit & aſſignauit perpetuo poſſidendam, ſuper qua collatione vidimus literas confirmationis domini papæ *Innocentii* tertii, in ſerico bullatas, Nos quoque eandem de communi conſenſu Capituli noſtri, ratam habentes, preſentis ſcripti priuilegio communimus. Ne alicui ſuper hoc in poſterum facultas calumniandi tribuatur. Prohibemus inſuper ſub indignatione dei omnipotentis, ac beati Petri Apoſtoli, cuius eccleſiæ regimen nobis per dei gratiam commiſſum eſt, ne quisquam ipſos ſuper premiſſis preſumat aliquatenus moleſtare. Datum Sleſuich anno domini MCCLXXXIIII, XVII Kall. Decembris. Quibus quidem literis ſic, vt premittitur, per nos diligenter inſpectis, & lectis, ad requiſitionem reuerendi patris & domini, Domini *Hennichini* Abbatis monaſterii Loci dei noſtre Ripenſis dioceſis, easdem per Notarium publicum infraſcriptum, exemplari, tranſſumi, & cum originali, collacionari, & collationatas in publicam formam redigi, mandamus certificantes vniuerſitatem veſtram, huic preſenti tranſſumpto publico plenam fidem adhibere poſſe, vbicunque & quibuscunque fuerit exhibitum vel oſtenſum, ac ſi originales litere premiſſe apponerentur. In quorum omnium & ſingulorum fidem & teſtimonium premiſſorum, has noſtras patentes literas fieri fecimus, & per Notarium publicum ſubſcribi, ſigillique noſtri appenſione communiri. Datum & actum in monaſterio Loci dei anno domini MDVI indictione nona, die vero Lunæ duodecima menſis Januarii, pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini, domini *Julii* diuina prouidentia papæ ſecundi anno tertio, preſentibus venerabilibus viris & dominis, domino *Johanne Kaas* prepoſito in Jellingſöſſel, & domino *Petro Flood* vicario Eccleſiæ noſtre Ripenſis, teſtibus ad premiſſa vocatis ſpetialiter atque rogatis.

Et

Et ego *Johannes Seuerini* clericus, Ripenſis dioceſis publicus apoſtolica auctoritate notarius, quia premiſſarum literarum copiæ ſub hac forma publica decreto, earumque tranſſumptioni, collationationi, exemplificationi, & cum originali concordationi omnibusque aliis & ſingulis premiſſis, dum ſic, ut premittitur, agerentur & fierent, vna cum prenominatis teſtibus preſens interfui, eaque omnia & ſingula ſic fieri vidi & audiui, ac in notam ſumpſi, Ideo hoc preſens publicum inſtrumentum inde confeci, ſignoque & nomine meis ſolitis & conſuetis ſignaui & ſubſcripſi, in fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum premiſſorum, rogatus & requiſitus.

Helena N. *giffuer Lyom Cloſter alt hindis godts y Bulderup.*

In nomine domini Amen. Ego *Helena N. Johannis* relicta corpore debilis, & infirma, ſed mente intelligens atque ſana, volo dum adhuc valeo de bonis mihi a deo collatis anime mee ſalubriter preuidere. Vnde pro ſepultura mea, quam in Monaſterio Lugum eligo, eidem monaſterio lego & confero omnia bona, que habeo in parochia Buldrop cum ſingulis pertinentiis ſuis, nil exepto, vt ibidem in orationibus memoria mei ad dominum iugiter habeatur. Huius teſtamenti mei executores conſtituens dominum *Nicholaum* plebanum meum, & *Johannem Grimeſſen* amicum meum predilectum, quorum ſigilla rogatu meo preſenti teſtamento ſunt appenſa Anno domini MCCCLXXX die exaltationis ſancte crucis.

Egerdus *Biſcop y Sleſuich ſtadfeſter ſine Forfarers, Biſcopers ibidem paa tynd aff Bulderup ſoghen.*

Egerdus dei & Apoſtolice ſedis gratia Epiſcopus Sleſuicenſis, ſacri palatii Apoſtolici cauſarum auditor, venerabili patri & fratribus Monaſterii in Loco dei Ripenſis dioceſis ſalutem in domino. Quia foelicis recordationis vniuerſi noſtri predeceſſores Epiſcopi Eccleſiæ noſtre vobis pro remedio peccatorum ſuorum, & augmento diuini cultus donarunt & confirmarunt tertiam decime Epiſcopalis in parochia Buldrop noſtre dioceſis, vnde vt poſſitis nobis & noſtris ſucceſſoribus Epiſcopis & ſeruitoribus gratiam hoſpitalitatis liberius exhibere, ac orationum & bonorum operum veſtrorum nos participes reddere, donationem huiusmodi ſic, vt premittitur, de decimis factam confirmandam duximus & dei nomine perpetuis temporibus tenendam & poſſidendam confirmamus. In cuius rei teſtimonium preſentes noſtras literas inde fieri, & ſigilli noſtri iuſſimus appenſione ſigillari. Datum in aula noſtra Epiſcopali Haderſlef ſub anno a natiuitate domini MCDXCV die Mercurii duodecima menſis Auguſti.

Archidegens och Capittels y Riibe vidimus offuer Eſchilli *Biſcops aff Sleſuich Forligelſis breff emellom Abbet oc Conuent y Lyom Cloſter och D.* Wbbi Tordtſſen.

Omnibus, ad quos preſens ſcriptum peruenerit, *Nicholaus* Archidiaconus, capitulumque ripenſe ſalutem in domino Jeſu Chriſto. Notum eſſe volumus, nos literas domini *Eſchilli* bone memoriæ quondam Sleſuicenſis Epiſcopi, quarum

tenor infra de verbo ad verbum inſeritur, non cancellatas, non abolitas, nec in aliqua parte ſui vitiatas, ſub ſaluis ſigillis, ſuo & aliorum diſcretorum virorum, ac fide dignorum, quorum nomina in ſubſcripto tenore commemorantur, vidiſſe & perlegiſſe in hec verba: *Eſchillus* dei gratia Sleſuicenſis Epiſcopus vniuerſis Chriſti fidelibus hoc ſcriptum cernentibus in domino ſalutem. Notum eſſe volumus, tam preſentibus quam futuris, nos per gratiam dei omnem controuerſiam, que vertebatur inter Clauſtrales de Loco dei, & dominum *Vbbi Torthſſen* per concordiam taliter extinxiſſe, quod tota terra cum ſilua & pratis contentis infra terminos, que euidenter exprimuntur in ſententia a bone memoriæ *T.* Sleſuicenſi epiſcopo lata, ab impeticione dicti domini *Vbbi*, & heredum ipſius Loco dei libera in perpetuum relinquantur. Omnem etiam iniuriam & damnum mutuo illatum, ſic per concordiam terminauimus, quod pars vtraque, quod alteri poſſet obiicere, nihil habebat. Nos igitur in huius facti teſtimonium preſentem paginam ſigilli noſtri, ac ſigillorum dominorum *Nicholai* Archidiaconi Ripenſis, *Petri* prepoſiti Sleſuicenſis, Magiſtri *Simonis* canonici Ripenſis, *Mathæi Vrnæ*, *Lagonis de Karlſſchraa*, *Petri Glemgſſen*, & preſentibus aliis pluribus, tam Clericis quam Laycis, munimine duximus roborandam. Prohibentes diſtrictius ſub pena excomunicationis, ne quis huius concordie paginam preſumat infringere, vel ei auſu temerario contraire. Qui autem preſumpſerit, indignationem dei omnipotentis, & omnium ſanctorum & noſtram ſe nouerit incurſurum. Datum Jöthnewadth anno domini MCCXLV, XI Kall. Septembris. Nos igitur intuitu veritatis per premiſſa habite de dicta cauſa per teſtimonium tam fidele, rogamus & exhortamur in domino omnes & ſingulos dominum timentes, quatenus ob reuerentiam ordinis & zelum iuſticiæ dictis Clauſtralibus, conſilio & auxilio fideliter aſſiſtatis, non permittentes cauſam tam diſcrete & legitime terminatam iterum falſa ſugeſtione deduci in iuditium & perſonas religioſas diuino ſeruitio nocte & die deditas, miſerabiliter & immerito fatigari. Datum anno domini MCCLXII.

Bonifacius *Papa giffuer brödre y Lyom Cloſter oc ciſtertz orden frühedt for tynd der paa ien vidimus.*

Omnibus preſens ſcriptum cernentibus Capitulum Ripenſe ſalutem in domino. Noueritis, nos literas ſanctiſſimi patris domini *Bonifacii* Papæ *Octaui* ſub vera bulla & ſilo integro, non raſas, non abolitas, nec in aliqua ſui parte vitiatas vidiſſe in hec verba. *Bonifacius* Epiſcopus ſeruus ſeruorum dei dilectis filiis, vniuerſis abbatibus, Abbatiſſis & conuentibus ordinis Ciſterſienſis, tam preſentibus quam futuris, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. In eccleſie firmamento veſter ordo nitore claro coruſcans, vniuerſalem gregis dominici aulam illuminat, & currentibus in ſtadio rectum iter inſinuat, quo ad ſalutis brauium facilius peruenitur. Nos quidem ob hoc, & propter magne deuotionis affectum, quem ad nos & Apoſtolicam ſedem habetis, ordinem ipſum ad vos, & alios eiusdem ordinis profeſſores intima charitate proſequimur. Ac ſinceris affectibus exitamur ad veſtra & illorum commoda, in quibus honeſte poſſumus promouenda. Ideoque premiſſorum intuitu, & obtentu dilecti filii noſtri *Roberti* ſacroſancte prudentiane presbiteri Cardinalis, qui tanquam prefati ordinis, quem profeſſus exiſtit, promotor aſſiduus neceſſitates veſtras & dicti ordinis nobis reuerenter expoſuit,

poſuit, & ſuper illis noſtre prouiſionis auxilium implorauit. Vobis auctoritate preſentium indulgemus, vt de terris veſtris, cultis & incultis, ad ordinem veſtrum ſpectantibus, quas alias conceſſiſtis vel concedetis impoſterum excolendas, de quibus tamen aliquas decimas ſeu primitias non percepit, nullus a vobis ſeu cultoribus terrarum ipſarum, aut quibuscunque aliis, decimas ſeu primitias exigere vel extorquere preſumat, Nos omne nichilominus irritum decernimus & inane quicquid contra tenorem huiusmodi indulgentiæ fuerit attemptatum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtre conceſſionis & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare preſumpſerit indignationem omnipotentis dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Lateran. XV Kall. Januarii pontificatus noſtri anno VIII. In cuius rei teſtimonium ſigillum noſtrum preſentibus eſt appenſum. Datum Ripis anno domini MCCCXII, proxima ſexta feria poſt paſcha pridie Kall. Aprilis.

Criſtierni *Biſcops aff Riibe breff huorlunde han er forliget med Abbeden och Conuent aff Lyom Cloſter for dhi* 3 *Wggers Wnderholding og Riiber Biſcops* Johannis *Vidimus oc Confirmatz der offuer. Den ſamme Forlüg findis tilforne paa det* 128 *Blad.* *)

Omnibus preſens ſcriptum cernentibus *Johannes* dei gratia Ripenſis Epiſcopus ſalutem in domino ſempiternam. Nouerint vniuerſi, nos vidiſſe literas infra ſcriptas tenorem, qui ſequitur, continentes. Omnibus preſens ſcriptum cernentibus, *Chriſtiernus* dei gratia Ripenſis Epiſcopus ſalutem in domino ſempiternam. Frequenter accidit, quod ea, que a prudentibus ſtatuta ſunt rationabiliter & conſulte, ab aliis cauſis nouis ſuperuenientibus rationabilius immutentur. Cum igitur Abbas & Monachi de Loco dei Ciſtercienſis ordinis noſtre dioceſis, nobis nomine eccleſie ratione quarundem poſſeſſionum eis antiquitus pro neceſſitate & vtilitate fundationis dicti monaſterii conceſſarum in expenſis vel procurationibus trium ſeptimanarum teneantur ſingulis annis in victualibus exhibendis, Ex quo, vt aſſerunt, propter confluentiam populi iuxta conſuetudinem, immo corruptelam patriæ multas moleſtias, & grauamina incurrerant, temporibus retroactis, & ſimilia timent incurrere in futuro, petebant humiliter, vt in recompenſationem dictarum procurationum, bona ſua omnia mobilia & immobilia, que dicti Abbas & conuentus habent in Apthorpmarck in parochia Brewadth, cum quibusdam terrulis in parochia Balgum in Merſch ſitis, necnon & munus Epiſcopale, quod vulgariter dicitur Biſcopsgaffue, in Löyherret, Gramherret, & vtroque Rauenſthorpherret, exeptis eorum villicis & colonis qui ſuper dictis donariis domino Abbati tantummodo reſpondebunt, quod munus Epiſcopale, dicti Abbas & conuentus a tempore, cuius extat memoria percepiſſe dinoſcuntur, acceptare dignaremur. Nos ſuper hoc ſepius cum Capitulo noſtro habita deliberatione & tractatu ſolenni, tam vtilitati Eccleſie, quam dicti monaſterii proſpicere cupientes, de conſilio & conſenſu dicti noſtri Capituli bona ſupradicta in dictarum procurationum recompenſationem duximus acceptanda, prefatos Abbatem & conuentum

*) Hic vero pag. 107.

uentum dicti clauſtri ab exhibitione ipſarum procurationum perpetuo abſoluendo, Procurationibus duorum dierum naturalium nobis & ſucceſſoribus noſtris de voluntate & aſſenſu Abbatis & monaſterii reſeruatis. Volumus & concedimus nichilominus, quod nuncii & ſeruientes monaſterii ſupradicti choncas, que vulgariter dicuntur Shillæ, in Balgum merſch iuxta litus maris colligere valeant, ac ibidem pro ſuo libitu collocare, necnon & paſcuis communibus, que dicuntur ſælleth, pro ſuis iumentis in via eundi & redeundi cum plauſtris ſuis ad monaſterium licite vti poſſint, eximentes eorum familiam villicos & colonos a iure noſtro, quod dicitur Helligbrödt, Ita quod ſuper hoc nulli niſi ipſorum Abbati reſpondere teneantur. Proteſtamur inſuper, quod ſupradicti Abbas & conuentus de Eccleſiis parochialibus Lugum & Daler, quas tanquam annexas detinent, nobis & ſucceſſoribus noſtris, ſicut alii curati parochiales in procuratione, que debetur ratione viſitationis, ſicut hactenus teneantur perpetuo reſpondere. In cuius ordinationis, compoſitionis, & conuentionis, teſtimonium, ſigillum noſtrum, vna cum ſigillo Capituli noſtri ad perpetuam rei memoriam, duximus preſentibus literis apponendum. Datum & actum Ripis anno domini MCCXCVIII, feria tertia infra octauam domini. Nos igitur ordinationes, compoſitiones, & conuentiones per venerabilem predeceſſorem noſtrum dominum *Chriſtiernum*, pie memoriæ, factas cum voluntate & conſenſu Capituli noſtri, ratificamus & approbamus per preſentes. In cuius rei teſtimonium ſigillum noſtrum vna cum ſigillo Capituli noſtri preſentibus eſt appenſum. Datum Ripis anno domini MCCCXIX, quinto Nonas Julii.

Jen vidimus biſcops aff Ottenſſe offuer papæ Gregorii *breff den orden aff Ciſtertz giffuen.*

Uniuerſis Chriſti fidelibus preſentes literas inſpecturis frater *P.* diuina miſeratione Epiſcopus *Othonienſis* ſalutem in domino ſempiternam. Noueritis quod nos priuilegium domini *Gregorii* papæ noni olim conceſſum ab ipſo Ciſtercienſi ordini, ſanum & integrum & in ſerico bullatum vidimus apud Ciſtertium ſcriptum penitus ſub hac forma. *Gregorius* Epiſcopus ſeruus ſeruorum dei, dilectis filiis, Abbati Ciſtercienſi & vniuerſis coabbatibus eius ordinis Ciſtercienſis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quia refrigeſcente charitate multorum adeo iniquitas abundauit, vt quorundam ſuccenſa velut ignis impietas contra eccleſias & perſonas Eccleſiaſticas tanto validius inflammetur, quanto rariores, qui eas tueantur, contra prauorum incurſus inuenit obiectores. Nos quibus ipſarum cura & ſolicitudo incumbit, ibi fortius inſurgere cogimur, vbi perſecutorum immanitas periculoſius exardeſcit. Sicut enim nobis ex parte veſtra grauis eſt oblata querela, Nonnulli enim principes ac nobiles occaſione iuris patronatus, aduocacie ſeu cuſtodiæ, quam in monaſteriis, granchiis, cellariis, vel domibus veſtris ſe habere proponunt, Ac interdum etiam pro ſue libito voluntatis, & quidam eccleſiarum prelati, a quibus deberetis non grauamen ſed ſolamen potius expectare, bladum, vinum, euectiones, animalia, & res alias, pro edificatione ac munitione caſtrorum & villarum, necnon pro tyrociniis, torneamentis, expeditionibus, & aliis vſibus eorundem, a vobis exigunt & extorquent, Alias vos taliis & exactionibus indebitis multipliciter aggrauando, Preterea quidam ex ipſis & alii carnes comedere in veſtris domibus, ac mulieres etiam easdem domos

ingredi

ingredi contra inſtituta veſtri ordinis non verentur. Propter quod & quies monaſtici ordinis perturbatur, & graue commiſſis vobis monaſteriis imminet detrimentum. Quare nobis humiliter ſupplicaſtis, vt ſuper hiis paterna prouidere ſolicitudine dignaremur. Nos igitur veſtre prouidere quieti, & moleſtantium maliciis obuiare volentes, auctoritate preſentium diſtrictius inhibemus, ne quis a vobis premiſſa exigere vel extorquere, aut in veſtris domibus vti carnibus, ſeu mulier aliqua eas intrare preſumat contra ipſius ordinis inſtituta. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtre inhibitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare preſumpſerit, indignationem omnipotentis dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Lateran. X Kall. Februarii, pontificatus noſtri anno VII. In cuius rei teſtimonium preſentibus literis ſigillum noſtrum duximus apponendum. Datum Ciſtercii anno domini MCCLXXII tempore Capitoli generalis.

Tuuo *Biſcop y Rübe ſtadfeſter det, ſom Biſcop* Omerus *ſameſtedtz haffuer giffuen Lyom Cloſter.*

Tuuo dei gratia Ripenſis Epiſcopus, vniuerſis ſancte matris Eccleſiæ filiis tam preſentibus quam futuris in perpetuum. Cum in eo Loco & offitio nos conſtituerit diuina miſeratio, vt eccleſiarum & Eccleſiaſticarum perſonarum, Cenobiorumque per prouinciam noſtram ſtudioſe curam gerere, & eorum paci & quieti proſpicere teneamur, iure tamen quodam ſpecialius, illis debitores ſumus, quos religioſioris vite comendat habitus & profeſſio, ne pacem eorum aut quietem attemptatio malitioſa perturbare preualeat. Inde eſt, quod dilectos in Chriſto filios & fratres noſtros de Loco dei ſub noſtre manutentionis protectione ſuſcipimus quadam dilectionis prerogatiua ſpecialius diligendo & poſſeſſiones & beneſitia a venerabilis memoriæ cognato noſtro *Omero* Ripenſi Epiſcopo illis collata, redemptionem ſcilicet decimarum in Lögum herret, & quantum attinet Epiſcopatui noſtro de Rauenſtorpherret, & de Gramherret, benigno aſſenſu eis annuimus, Eccleſiam quoque parochiæ de Lögum & Gumegarth. Sed & omnes generaliter poſſeſſiones predictis fratribus attinentes, quascunque in preſentiarum poſſident, vel iuſto titulo denuo poſſeſſuri ſunt, in villis, in prediis, in pratis, in ſiluis, in molendinis, in piſcaturis, illis inconcuſſe in perpetuum poſſidendas corroboramus, & ſigilli noſtri impreſſione perpetualiter confirmamus.

Om tynde aff Lugum Sogen.

Johannes & Nöſingus Canonici Ripenſes iudices a domino papa deligati, omnibus preſentes literas inſpecturis ſalutem in domino. Nouerint vniuerſi, quod cum dominus Abbas de Loco dei nomine Monaſterii ſui parochianos de Lögum impeteret, vt ſibi decimam de Lögum ſecundum conſuetudinem Eccleſiæ Ripenſis ſoluerent in gerbis, Nos iuxta tenorem mandati domini papæ, partes ad noſtram preſentiam conuocantes, ſecundum iuris ordinem procedendo, lite legitime conteſtata, vtraque parte coram nobis in iuditio veritatem confitente, meritis cauſe diligenter examinatis, & diligenter inquiſita, noſtro & bonorum virorum conſilio, dictam decimam, de qua erat contentio, videlicet, tam miniſtrorum, vel ſacerdotum diuina celebrantium, quam que ad fabricam Eccleſiæ, de

lignis ſiue lateribus vires iuxta ſuas conſtruendam, & que pro variis vtenſilibus reſtaurandis ſeu comparandis pertinet, in ſetibus diuerſorum animalium, melle, lino, & meſſe in gerbis, ſecundum conſuetudinem Eccleſiæ Ripenſis perſoluendam, iam ſepedicto Abbati, per diffinitiuam ſententiam, adiudicauimus libere & pacifice poſſidendam. Actum apud ciuitatem Ripenſem anno domini MCCXLVI, II Kall. Aprilis. Et quia ego *Johannes* proprium ſigillum non habui, hec acta ſigillo domini *Nöſingi* cantoris Eccleſiæ ſigillaui.

Magni *Erchibiſcops y Lunden Breff til Erchidegen och 1 Canik y Riibe.*

Magnus diuina miſeratione Archiepiſcopus Lundenſis Suecie primas, & Apoſtolice ſedis Legatus dilectis ſuis filiis dominis *Johanni* dicto *Helth* archidiacono Ripenſi, & *Nicholao Crook* canonico ſuo, dilectionem in domino & ſalutem. Conqueſtus eſt nobis dilectus filius dominus *Nicholaus Brudenæs*, quod heredes domini *Petri Gumiſſen* ſacerdotis pie memorie, & quod alii dioceſis Burglanenſis ſibi grauiter iniuriantur in hoc, quod cum magnam ſummam pecuniæ pro eis promiſit, & expoſuit pro qua ipſum indemnem nolunt conſeruare. Quare vobis auctoritate metropolitana demandamus quatenus partibus conuocatis, cauſas audiatis, & eas fine debito decidatis, facientes quod decreueritis per cenſuram eccleſiaſticam firmiter obſeruari, teſtes vero, qui nominati fuerint, ſi ſe gratia, odio, timore vel fauore ſubtraxerint cenſura ſimili compellatis teſtimonium perhibere veritati. Datum Lundis anno domini MCCCLXXXVII, Craſtino beate Caterine virginis noſtre curie Lundenſis ſub ſigillo.

Paa ien Mölle ſom kallis Gamlewoth liggendis y Schotteburg Ad, och nogen godtz y Schottburg ſogen.

Omnibus preſens ſcriptum cernentibus *Mathias Chriſtenſſen de Hundsbeck* parochiæ Læburg ſalutem in domino ſempiternam. Noueritis, me ob anime mee remedium, ac etiam animarum omnium progenitorum meorum, reſpectum habens ad beneuolentiam & amorem, quibus me cum donis ſuis viri religioſi dominus videlicet *Thomas* Abbas Loci dei, alias Lugum Cloſter dicti, ſuusque conuentus honorauerant, libere dono, ſecundum leges terre ſcoto, & ad manus aſſigno predictis religioſis viris Locum videlicet molendinum dictum Gamlæwoth in amne Schotteburga ſitum cum libero ſuo aqueductu ad aquilonem pertingente ad Malthæherret, Ad auſtrum autem ad Fröeſſherret, cum aggere ante Daam dicto & Daamſtædt, piſcatura, & pratis, paſcuis, agris, ac omnibus aliis ſuis pertinenciis. Necnon omnia bona mea, que habeo, vel iuris mei ſunt in parochia Scottburg dicte Scottburghherret cum omnibus ſuis iuribus & pertinenciis perpetuo poſſidenda. Et inſuper hiis preſentibus, me meosque heredes obligo ad appropriandum dicto domino Abbati, omnibus ſucceſſoribus & conuentui ſuo ibidem in perpetuum omnia bona preſcripta cum ſuis iuribus & pertinenciis, a qualibet iuſta impeticione cuiuscunque. In cuius rei teſtimonium ſigillum meum vna cum ſigillis diſcretorum virorum *Spilt Jenſſen*, & *Nicholai Laviſſen*, preſentibus eſt appenſum. Datum anno domini MCCCXC die beati Marci Euangeliſtæ.

Abbet

Abbet aff Ry Cloſter ſchöder Nichels Jenſſen *alt ſitt godtz y Bulderup Soghen.*

Omnibus preſens ſcriptum cernentibus frater *Thomas* totusque conuentus ruris regis ſalutem in omni ſaluatore. Nouerint vniuerſi, tam poſteri quam preſentes, quod nos latori preſentium *Nicholao Jenſſen* omnia bona noſtra in parochia Bylthorp cum agris, pratis, molendinis & edificiis, que *Ericus Schram* bone memoriæ nobis contulit pro ſua ſepultura, in recompenſam pro parte bonorum ſuorum in Haaldesgaard, ſcotamus, appropriamus & aſſignamus preſentium cum tenore iure perpetuo poſſidenda. In cuius rei teſtimonium ſigilla noſtra preſentibus ſunt appenſa. Datum anno domini MCCCLXXI. In vigilia beati Laurentii Martiris glorioſi.

Jet breff paa Dofre, ſom Biſcop Nicholaus *gaff Lyom Cloſter.*

Vniuerſis Chriſti fidelibus preſens ſcriptum cernentibus, tam preſentibus quam poſteris, *P.* dictus prepoſitus eccleſiæ Burgilonenſis & conuentus Canonicorum eiusdem eccleſiæ ſalutem in omnium ſaluatore. Cum ſeries rerum obſcure geſta quandoque dubietatis ſcrupulum generare ſoleat, neceſſe eſt, vt res geſta plurimorum diſcretorum teſtimonio confirmetur: Sequentes itaque ſcripta venerabilium patrum noſtrorum domini videlicet *N. D.* & *I.* Burgilonenſium epiſcoporum, cum capitulo noſtro illam donationem de Dofre, quam Epiſcopus *Nicholaus* contulit fratribus de Loco dei in extremis ſuis, ratam habemus in perpetuum, & preſentis ſcripti teſtimonio comprobamus. Datum Burgilonis anno gratiæ MCCXXXV Nonas Februarii.

Jet andet Breff Biſcops Johannis *paa Dofre.*

Johannes dei gratia Burgolanenſis Epiſcopus, vniuerſis Chriſti fidelibus preſens ſcriptum cernentibus, tam preſentibus quam futuris, perpetuam in domino ſalutem. Licet tranſeant tempora, tamen decet, vt maneant rationabilia temporum inſtituta. Hinc eſt, quod notificare duximus vniuerſitati fidelium, quod ſequentes priuilegia predeceſſorum noſtrorum, domini videlicet *Nicholai* & *Sueononis* Burgolanenſium Epiſcoporum, confirmamus & ratam habemus illam donationem de Dofre, quam predictus Epiſcopus *Nicholaus* contulit monachis de Loco dei in extremis ſuis, apud quos olim Locum ſepulture elegerat, eis & eorum ſucceſſoribus iure perpetuo poſſidendam. Datum Burgolanis anno gratie MCCC, V Nonas Februarii.

Biſcop Nicholaus *giffuer Lyom Cloſter Dofre.*

Nicholaus dei gratia Burgalanenſis Epiſcopus, omnibus bonis & iuſtis, ad quos litere preſentes peruenerint, cum benedictione paterna in fine ſalutem fine fine. Vniuerſitatis veſtre ſignificamus dilectioni, quod omnia, que nobis attinebant in manſione noſtra Dofre, tam in terris quam in domibus & pecoribus, cum omni reliqua ſupellectili, nos fratribus noſtris de Loco dei, apud quos olim locum ſepulture nobis preelegimus, pro remedio anime noſtre, & ipſorum perpetue oratio-

orationis remuneratione, cum preſentis ſcedule atteſtatione, & ſigilli noſtri impreſſione, totaliter condonaſſe. Si quis igitur hanc noſtre deuotionis donationem infirmare vel infringere temptauerit, coram deo in extremo examine non ſine graui pena peccati ſe nobis reſponſurum certiſime ſciat. Quod ne quis preſumat ex auctoritate ſancte trinitatis prohibemus. Valete.

Paa II Ottinge y Sæbbis Bool.

Gunnerus dei gratia Ripenſis Epiſcopus omnibus hoc ſcriptum cernentibus ſalutem in domino. Notum facimus tam preſentibus quam futuris, quod ſucceſſores & proximi heredes *Gleniri* in foro noſtro coram nobis conſtituti, ſcotauerunt dilectis fratribus noſtris de Lögum duos attingos in Sæbbisbool, libere & quiete in perpetuum poſſidendos. Iſti ſunt heredes & ſucceſſores proximi, *Gunnerus*, duo filii *Esberni* & due filie eius. Ne igitur ſuper hac ſcotatione aliqua in poſterum poſſit ſuboriri dubitatio preſentem ſcedulam ſigillo noſtro duximus roborandam. Datum Ripis anno domini MCCXLIII, VI Nonas Maij. Preterea ſupradictorum Attingorum ſcotatio, non extendit ſe niſi a Riperbæck vsque ad molendinum monachorum.

Paa Ellem.

Jucho dei gratia Ripenſis Epiſcopus omnibus ſcripta hec cernentibus ſalutem & dilectionem. Significamus vniuerſitati veſtre, quod ſecundum id, quod dominus noſter rex & literis & viua voce preceperat & dominus dux auctoritate etiam ſua mandauit, filii *Nicholai Wind*, & filii *Stephani* in Ellem, qui adhuc hodie infra annos diſcretionis eſſe videntur, in hunc modum coram nobis conſenſerunt, preſente & conſentiente *Lauxum Ebbonis* filio, qui tunc temporis tutor erat filiorum *Nicholai*, quod heredes *Nicholai Ocholm*, & heredes *Stephani*, quicquid erat patris eorum in Ellem, & in Patriesholm de cetero libere debeant rehabere. Et ne aliquis conuentionem iſtam ad mandatum dominorum noſtrorum coram nobis factam, audeat infirmare, mediante vtriusque partis conſenſu hanc factam fuiſſe pleniſſime declaramus.

Paa ien Eng y Hæſteholm.

Ericus dei gratia Ripenſis Epiſcopus omnibus hoc ſcriptum cernentibus ſalutem in domino. Conſtare volumus vniuerſis, quod conſtitutus in preſentia noſtra *Erycchy Eſchelſſen*, ſcotauit Clauſtro Lögum prata videlicet ſex Aſtath in Heſteholm poſſidenda. Ne igitur dicto Clauſtro ſuper hac ſcotatione ab aliquibus in poſterum ſuboriri poſſit calumnia, eidem preſentes literas contulimus ſigilli noſtri munimine roboratas. Preſentes fuerunt huic ſcotationi dominus *Johannes Papæ*, *Olauus Daal*, *Magnus Bendictſſen*, *Wido Saccrdo* Capellanus noſter, & plurimi alii, tam Layci quam Clerici fide digni. Datum Lugum anno domini MCCLXXII in craſtino ſancte trinitatis.

Biſcops

Biſcops aff Sleſzuich breff paa iet godtz y Holme.

Valdemarus dei gratia Sleſuicenſis Epiſcopus Sloxherret inhabitantibus ſalutem in domino. Quia per teſtimonium fide dignorum veraciter intelleximus, quod dominus *Thrugillus* ſacerdos de Höxet, monaſterio in Loco dei coloniam quandam in villa Holme, cum domibus, agris & pratis, que ad dictam Coloniam pertinebant, publice in teſtamento ſuo legauit. Inhibemus diſtricte ſub pena excommunicationis heredibus dicti domini *Thrugilli*, ne de cetero de prefata colonia aliquatenus intromittant. Mandantes etiam dictis heredibus, vt ſi aliqua de dicta Colonia poſt memoratam legationem medio tempore receperunt, infra XV dies reſtituant cum emenda, iure noſtro ſuper hoc etiam non neglecto. Datum Krakelundt anno domini MCCXCVIII, ſecunda feria proxima poſt Dominicam Reminiſcere.

Paa noget iord y Sylſtedt marck.

Gunnerus dei gratia Ripenſis Epiſcopus vniuerſis preſens ſcriptum inſpecturis ſalutem in domino. Preſentibus & futuris notum eſſe volumus, quod *Johannes Tolliffen* coram nobis conſtitutus, monachis de Loco dei quicquid habuit in Sylſtedt march, tam in ſorta, quam in aliis terris, exepto Stuff, pro certo precio ſcotauit. Ne igitur prefatis monachis aliqua in poſterum poſſit oriri calumnia, preſentem cedulam ſigilli noſtri appenditione confirmamus.

Paa noget iord y Imberſche marck.

Omnibus hoc ſcriptum cernentibus *Johannes Friſe* ſalutem in domino ſempiternam. Quoniam vnusquisque de die mortis ſue incertus eſt, quo loco, quoue ſine diem terminabit extremum, Ideo tenore preſentium preſentibus & futuris conſtare volo, me domino *Henrico* Abbati & conuentui monaſterii Löghum vendidiſſe omnes terras, quas iure hereditario habui poſt obitum matris mee in Imberſchæth mark, in agris, pratis & ſiluis, pro ducentis Marchis & LX mark denariorum. Tali conditione adiecta, quod ego recognoſco, me de predicto precio XLIII march denariorum in prompta pecunia recepiſſe. Sed centum march & ſeptem march proximo placito poſt feſtum beati Andreæ Apoſtoli perſoluat mihi dominus Abbas. Ipſi Abbati & conuentui eodem placito dictas terras iure perpetuo poſſidendas in preſenti promitto me ſcotaturum, & ab omni impeticione cognatorum meorum finaliter liberaturum, cum proximo placito Tunderenſi ante purificationem beate virginis centum & decem march habuero. In cuius rei teſtimonium, & promiſſionis cautelam domino Abbati & conuentui ſigilli mei munimen do & preſentibus appono. Datum anno domini MCCCXIII in die natiuitatis beate Marie virginis glorioſæ.

Biſcop Esgerus *aff Rübe giffuer Lyom Cloſter eet Bool y Imberſchœ.*

Ego *Esgerus* dei gratia Ripenſis Epiſcopus, omnibus Chriſti fidelibus, tam preſentibus quam futuris, ſalutem in domino preſentem pariter & eternam. Quoniam labilis eſt mortalium memoria prouida cautione adinuentum eſt, quod rationabilia proborum opera debeant viuaci literarum teſtimonio perhennari. Inde

eſt, quod nos ſaluti anime noſtre conſulentes, defectumque pauperum Chriſti in Loco dei in multis conſiderantes, maxime cum nos & noſtros ſepius contingat gratia hoſpitalitatis ad idem Clauſtrum diuertere, manſionem, quam in Imberſchæth habemus, tam in mobilibus quam immobilibus, predictis fratribus iure perpetuo donamus poſſidendam, Ita ſane, quod due partes de lacticiniis ad conuentum deueniant, tertia pars ad vſum hoſpitum. Annonam quoque & cetera, que de eisdem bonis proueniunt, abbati concedimus diſponenda. Ne igitur in poſterum ſuper hac donatione aliqua poſſit oriri calumnia, preſentem paginam ſigillo noſtro, & in perſpicatius teſtimonium, ſigillo videlicet Capitoli noſtri dedimus roboratam. Datum apud Locum dei anno domini MCCLI &c.

Nogen egendom y Bekel er Lyom Cloſter tilkend, oc Wbbi Thordſſen *frakend.*

Uniuerſis in Chriſto fidelibus tam preſentibus quam futuris preſentem paginam inſpecturis, frater *G.* dictus Abbas *de Heriuado*, *J.* dictus Abbas de vitæ ſcola, & frater *M.* de chara inſula, *S.* dictus Abbas de tuta valle, & frater *P.* de inſula dei: *T.* quoque dictus de Aſylo, ſalutem preſentem pariter & eternam. Ne Chriſti pauperibus prauorum noceat peruerſitas, neceſſe eſt, vt bonorum virorum teſtimonio fulciantur. Vnde namque tam preſentibus quam futuris duximus notificandum, quod olim litigantibus dilectis fratribus noſtris de Loco dei, cum domino *Wbby Thordſſen* de quibusdam poſſeſſionibus in Bekel, ad audientiam domini Archiepiſcopi appellatum fuit, qui mox iniunxit domino *Gunnero* Ripenſi, & domino *Tuchoni* Sleſſuicenſi, vt ad terram illam litigioſam perſonaliter accederent, & rei veritatem inde inueſtigarent. Illi ergo mandato domini Archiepiſcopi parere volentes, quadam die aſſumptis ſecum melioribus totius prouincie ad locum litigii perſonaliter accelſerunt, circuierunt, inueneruntque ipſam terram ſub certis limitibus & antiquis foſſis & aggeribus munitam, & clauſtro legitime aſſignatam, Aſſerebantque omnes, qui aderant, prefatam terram a clauſtralibus iam vltra 30 annos inconcuſſe poſſeſſam, & Clauſtro iure perpetuo appropriatam. Vnde dominus *T.* Sleſzuicenſis prout iudex ordinarius, prefatam ſepe terram Clauſtro adiudicauit, & iuditium ſuum ſigillo ſuo, quod nos vidimus, ſub pena excomunicationis confirmauit. Nos igitur quod iuſte & legitime in foro eccleſiaſtico terminatum eſt conſiderantes, tantorum & tam bonorum virorum ſcripta ac facta, noſtrorum etiam ſigillorum munimine approbamus.

Kong Erich *ſ.c. tildömer Her* Magno *ien Wandlob eller Mölleſtröm y Wyſieby.*

Ericus dei gratia Danorum Slauorumque rex, omnibus preſens ſcriptum cernentibus ſalutem in domino. Ex quo venerabilis pater dominus *Thrugotus* bone memoriæ quondam Lundenſis Archiepiſcopus, in cauſa, que vertebatur inter venerabilem patrem, dominum *Thukonem* Ripenſem Epiſcopum ex vna parte, & latorem preſentium, dominum *Magnum Bendixen* ex altera, ſuper decurſum cuiusdam aque ad molendinum dicti domini *Magni* per quendam riuulum defluentis in Wiſteby, pro ipſo domino *Magno*, & contra eundem dominum Epiſcopum

ſenten-

ſententiam protulit diffinitiuam, & reuerendus pater dominus *Johannes* Archiepiſcopus Lundenſis ſucceſſor ipſius ſententiam eius, prout rite facta eſt, ſuis patentibus literis confirmauit. Nos etiam quantum noſtra intereſt, eam ſententiam preſentibus literis confirmamus, ſupradicto domino *Magno* decurſum huiusmodi aque & riuuli in perpetuo adiudicantes libere poſſidendum. Prohibendo diſtricte per gratiam noſtram, ne quis eundem dominum *Magnum* ſuper premiſſis preſumat aliquatenus impedire, aut ipſum contra huiusmodi ſententias indebite moleſtare, prout gratiam noſtram diligit inoffenſam. Datum Sönderborg Alſe, teſte domino *Petro* dapifero. Anno domini MCCLXXXIII in craſtino beati Jacobi Apoſtoli.

Om nogen iord paa Sædhmarck oc Lyrſſholm marck.

Gunnerus dei gratia Ripenſis Epiſcopus vniuerſis Chriſti fidelibus hoc ſcriptum cernentibus ſalutem in vero ſalutari. Que diuine pietatis effectu ſanctis locis tribuuntur obſequia, magna debent ſtabilitate conſtitui & nulla in poſterum temeritate reuocari. Eapropter tam preſentibus quam futuris eſſe volumus declaratum, quod quidam *Ketillus* Arth. in preſentia anteceſſoris noſtri ſelicis memorie *Tuuonis* quondam Ripenſis Epiſcopi primitus conſtitutus, poſtea in noſtra ſcotauit monachis de Löghum omnes terras cum piſcariis, quas habuit in Sæthe marck & Lythersholm mark, acceptis ab eiisdem monachis terris æque bonis in Lythersholm cum piſcariis ſubſcriptis, videlicet Grimildholm, Garthe, & Brogarthe. Prefatus inſuper *Ketillus* cum retibus ſuis liberam debet habere piſcationem in toto Lythersholm mark, niſi in aqua illa, que aggeribus molendini monachorum eſt incluſa, hac interueniente conditione, quod ſub monachorum protectione maneat, & ad dies ſuos prefatas terras quiete poſſideat, & poſt dies ſuos prefatæ terræ redeant ad vſus monachorum. Ne igitur prefatis monachis, vel iam ſepedicto *Ketillo* ſuper hac ſcotatione aliqua in poſterum poſſit oriri calumnia, vt ſic illorum facta aliqua temeritate poſſent in irritum reuocari, preſentem cedulam ſigilli noſtri munimine duximus roborandam. Datum apud Löghum anno domini MCCXXXVII, XVIII Kall. Maji.

Jet ſchödebreff paa noget godts.

Omnibus preſens ſcriptum cernentibus *Esgerus* dei gratia Ripenſis Epiſcopus ſalutem in domino Jeſu Chriſto. Nouerint tam preſentes quam futuri, quod conſtitutus coram nobis dominus *Agho Esbernſſen*, cum eſſet tutor Heredum *Arnfaſii Wollæ*, ſcotauit dilectis nobis monachis Loci dei bona illa, que eis ob remedium animæ ſue idem Arnfaſtus ſcotauerat poſt dies ſuos iure perpetuo poſſidenda. Preſentibus ipſis heredibus, & adhibentibus beneplacitum ſue voluntatis, Renunciauit & idem dominus omni iuri, ſi quid habere videbatur ratione ſcotationis ſibi a dictis heredibus medio tempore factæ. Preſentes fuerunt huic ſcotationi domini Prepoſitus *Nicholaus* de Salingſyſel, *Abſolon* dilectus Capellanus noſter, *Mauritius* Dyaconus, *Nicholaus Aſiorp*, *Johannes Papæ*, *Johannes Trugati* filius, & *Nicholaus* frater eius, & multi alii Clerici & Layci ſide digni. In cuius rei teſtimonium preſens ſcriptum ſigillo noſtro fecimus roborari. Datum Ripis anno domini MCCLII, IIII Nonas Octobris.

Biſcop

Biſcop Johannes *aff Sleſſuich giffuer Lyom Cloſter ſin rettighedt ſom kallis Helligbröde.*

Omnibus preſens ſcriptum cernentibus *Johannes* miſeratione diuina Epiſcopus Sleſzuicenſis ſalutem in domino. Noueritis, quod nos damus & exedimus Abbati & monaſterio Loci dei exactiones noſtras, que dicuntur Helligbröed ſuper familiam ſuam vbicunque in noſtra dioceſi conſtitutam, volentes & mandantes, vt nulli quam dicto domino Abbati ſuper premiſſis reſpondeant, ſeu illi, cui dictus dominus Abbas dictas exactiones nomine ſui & monaſterii commiſerit exequendas. Inhibentes etiam officialibus noſtris quibuscunque, ne ſe dictis exactionibus aliqualiter intromittant. Datum Suaweſteth anno domini MCCCXXIX. In die beatorum Criſpini & Criſpiniani martirum.

Jacobus *Biſcop y Rübe giffuer Lyom Cloſter Helligbröode y Rüber ſiicht.*

Jacobus dei gratia Ripenſis Epiſcopus, vniuerſis per ſuam dioceſim conſtitutis ſalutem in vero ſalutari. Nouerint vniuerſi, nos exhibitoribus preſentium dominis *Henrico* Abbati & Monachis ſeu conuentui Loci dei hanc gratiam feciſſe ſpecialem, vt villici ſui & Coloni ſuper cauſis Helligbröode, per noſtram dioceſim, nulli reſpondere debeant niſi domino Abbati memorato. Propter quod diſtricte inhibemus, ne quis officialium noſtrorum prefatum dominum ſuper eadem gratia preſumat moleſtare. Datum Ripis, Anno domini MCCCXXVIII, die beati Egidii Abbatis.

Iuarus Takonis *giffuer Lyom Cloſter noget godts y Rawenſtorp.*

Vniuerſis Chriſti fidelibus preſens ſcriptum cernentibus *Iuarus Takonis* filius, illuſtris regis *Abel* quondam Marſcalcus ſalutem in domino. Noueritis, quod ego eccleſiæ ſancte Marie de Loco dei ac eiusdem Eccleſiæ monachis Ciſtercienſis ordinis, cum conſenſu dilectorum cognatorum meorum, videlicet, dominorum *Haraldi* illuſtris regis *Waldemari* quondam Marſcalci, ac *Nicholai* dicti *Hack* illuſtris regis *Criſtophori* quondam Marſcalci, *Thome* dicti *Lakerbuch Tuuonis* dicti Cardinalis, omnia bona mea in Rauenſtorp poſt dies meos, ſi absque liberis deceſſero, ſcotauerim iure perpetuo poſſidenda. Si vero liberos habuero, volo, quod ipſi medietatem dictorum bonorum iure hereditario percipient. Altera vero medietas vſui dictorum monachorum iure perpetuo relinquetur. Ne igitur predictis monachis ſuper huiusmodi ſcotatione ex parte cognatorum meorum, ſeu aliorum quorumcunque aliqua in poſterum oriatur calumnia, ſigillum meum, vna cum ſigillis illuſtris domini mei *Criſtophori*, dei gratia Danorum Slauorumque regis, & dominorum Epiſcoporum *Esgeri* Ripenſis, *Eſchilli* Sleſſuicenſis, & ſigillis omnium predictorum cognatorum meorum, preſenti ſcripto apponere procuraui. Datum Sleſſuich anno domini MCCLIIII, XVII Kall. Auguſti.

Johannes Esgiſſen *giffuer Lugum Cloſter noget godts y Branthorp marck.*

Omnibus preſens ſcriptum cernentibus *Johannes Esgiſſen* ſalutem in domino ſempiternam. Nouerint vniuerſi preſentes & futuri, me bona, que *Johannes*

La-

Lagiſſen, & *Petrus Lagiſſen* in Brantorp marck poſſederunt, que & *Petrus Lagiſſen* exiſtens tutor filiorum *Johannis Lagiſſen* tunc mortui, mihi in placito iuſticiario domini ducis, preſente & preſidente *Woghen Nicleſſen*, ſcotauit, domino *Thomæ* Abbati in Löghum & monaſterio ibidem contuliſſe pleno iure perpetuo poſſidenda. In cuius rei teſtimonium ſigillum meum preſentibus eſt appenſum. Datum anno domini MCCCXLVII, in die beatorum martirum, Viti & Modeſti.

Marquardus Rykurdtſſen *giffuer oc ſchöder* Henrico Knudtſſen *Abbeden aff Lyom Cloſter alt ſith godts y Holbech &c.*

Omnibus preſens ſcriptum cernentibus *Marquardus Rykerdtſſen* ſalutem in domino ſempiternam. Notum facio vniuerſis per preſentes, quod vniuerſa bona in curia Holbech, mobilia & immobilia, ſita & ei attinentia, que poſt mortem *Kanuti Jonſſen* percepi iure hereditario, Latori preſentium domino *Henrico Knudtſſen* in placito Hwittingherret pro aliis bonis ſcotaui, iure perpetuo poſſidenda. Item pro redditibus predictorum & aliorum bonorum quorumcunque, que per aliquot annos ſub ſua cura & cuſtodia tenuerat, mihi & *Folquardo Früs* attinentia, eoque mihi & eidem *Folquardo* de omnibus eorundem bonorum perceptis ſatisfecerat, ipſum per preſentes dimitto quittum & penitus excuſatum. In cuius rei teſtimonium ſigillum meum preſentibus eſt appenſum. Datum Ripis anno domini MCCCXXXIII in die aſſumptionis beate virginis.

Haquinus *Preſt til Schærebech giffuer Lyom Cloſter alt ſith godts y Waruith.*

Omnibus preſens ſcriptum cernentibus *Haquinus* ſacerdos & rector eccleſiæ Schærbech ſalutem in domino ſempiternam. Nouerint vniuerſi, me bona mea omnia & ſingula in Waruith, & iuxta in Waruithmarck ſita, que dominus *Johannes Tulyſſen* quondam poſſedit, viris religioſis domino Abbati & monachis in Löghum ob remedium anime mee, contuliſſe, iure perpetuo libere poſſidenda, a me & meis heredibus dicta bona ex nunc ſimpliciter alienando. In cuius rei teſtimonium ſigillum meum preſentibus eſt appenſum. Datum anno domini MCCCXLVII die beati Sixti Papæ & martiris glorioſi.

Jet Breff paa Beele.

Venerabili ſemperque reuerendo in Chriſto Patri ac domino *W.* dei gratia Lundenſi Archiepiſcopo Suetiæque primati, diuerſorum locorum Abbates Ciſtercienſis ordinis, *J.* vitæ ſcolæ, *M.* care inſulæ, *Th.* de Aſylo, *S.* tute uallis, *P.* de inſula dei, *G.* Heriuadenſis, *H.* & *P.* monachi ciſtercienſes, ſuas ſuorumque deuotas & fideles in domino orationes. Conuenientes in Heriuadum ſecundum formam ordinis viſitandi gratia, inter cetera, que venerunt in propatulum, vidimus & audiuimus literas domini *G.* Abbatis Loci dei, ſuper litigio, quod vertitur inter monachos dicti Loci de quibusdam poſſeſſionibus in Bekel, & dominum *Vbbi Tordſſen*, in quibus continebatur, quod dominus *T.* Sleſſuicenſis Epiſcopus, qui fuit iudex ordinarius, conuocato ſecum domino *G.* Ripenſe Epiſcopo, &

omnibus melioribus totius prouinciæ, viſo litigio, & audito omnium bonorum teſtimonio, monachis preſatas poſſeſſiones adiudicauerit, cum omnibus ad eas pertinentibus iure perpetuo poſſidendas. Nos igitur viſo ſcripto & audito fidelium virorum teſtimonio, paternitatem veſtram exoramus in domino, quatenus ad ſtabilitatem facti dignemini literas iudicis ordinarii ſigilli veſtri munimine roborare.

Jet andet breff paa then gaard Holbeck liggendis y Wodher ſoghen.

Omnibus preſens ſcriptum cernentibus tota vniuerſitas Ööſterherret in Föör inhabitans ſalutem in domino ſempiternam. Nouerint vniuerſi, quod *Arnfaſius Harne* compatriota noſter preprediente inualitudine corporis & ſenio, non ſufficit extra terram noſtram pro diuerſis negotiis ſibi incumbentibus proficiſſi, Quare filio *Naffnoni* in audientia placiti noſtri commiſit ac mandauit, quatenus ſortem hereditatis, que ei in curia Holbeck in Jucia in Hwyttingherret, parochia Otter ſita, ex parte vxoris ſue, hereditario iure debetur, domino *Henrico* Abbati de Lögum & ſuo monaſterio ſcotare deberet, iure perpetuo poſſidendam. Recognoſcens, ſe plenam recompenſam bonorum habuiſſe in terra noſtra, que dicto Arnfaſto aſſignantur & appropriantur in Locis determinatis & certis, firmamento dicti domini Abbatis patentium literarum, vnde idem Arnfaſtus dictam ſcotationem, domino Abbati & monaſterio per ſilium ſuum factam, ratam & firmam tenet, quod preſentibus proteſtamur. Datum ſub ſigillo noſtri Herreth anno domini MCCCXXVIII proximo placito ante feſtum omnium ſanctorum.

Schalebech Mölle.

Alle mend thette breff ſzeer eller höre löſis hielſer ieg Laſſe Michelſſen *Bymand y Rübe ewindelig medt Gud, og kundgiör ad ieg wederkiender meg och myn husfrue* Kyrſtine, *och wetherkiende wy oſſ, oc beggis wore arffuinge medt thette obne breff, ingen rettighedt adt haffue y Schalebech Mölle medt ſine tilliggelſſe, oc meth then Bygninge, ſom tha bygd ehr effter myn död og forneffnde* Kyrſtine *myn Husfrues död.* In cuius rei teſtimonium ſigillum meum, vna cum ſigillis virorum diſcretorum videlicet *Bertoldi Brodherſſen,* & *Aceri Michelſſen,* preſentibus eſt appenſum. Datum anno domini MCDXXXII, feria quarta proxima ante feſtum pentecoſtes.

Jacobus Apeldgaard *haffuer ſold Lyom Cloſter alt ſith godtz y Imberſchæmarck.*

Omnibus preſens ſcriptum cernentibus *Jacobus Apeldgaarth* ſalutem in domino ſempiternam. Notum facio tam preſentibus quam futuris, quod recognoſco, me vendidiſſe monaſterio Loci dei omnia bona mea in Imberſche marck ſita, in terris, pratis, aquis & ſiluis, que poſt obitum patris mei me iure hereditario contigerant, cum omnibus attinentiis ſuis mobilibus & immobilibus, & a me & meis heredibus in perpetuum alienaſſe. Recognoſcens, me pro eisdem bonis de memorato monaſterio LX marck nouorum denariorum recepiſſe. Unde & aſſigno eadem bona dicto monaſterio cum omni iure in perpetuum poſſidenda.

Et

Et ſcotationem Abbati dicti monaſterii ſuper bonis prefatis in placito Tundher prius factam affirmo, nihil iuris recognoſcens me in bonis ſupradictis de cetero habiturum, & ſi qua impeticio fratrum vel cognatorum meorum ſuper bonis ſepedictis in poſterum ſuborta fuerit, ea pro omnibus impetentibus ſepedicto monaſterio promitto libera facere cum effectu. Ne igitur in poſterum dicto monaſterio ſuper hoc facto aliqua poſſit iniuria prouenire, preſentem literam ſigilli mei appenſione facio communiri. Datum anno domini MCCCXIII. In die ſancti *Nicholai* Epiſcopi & confeſſoris.

Paa ett godtz y Höm y Seem ſogen, ſom hörer til Lyom Cloſter.

Alle mend thette breff ſeer eller höre leſſe helſer ieg Johan Schelle *Webener, oc kundgiör thett alle mend ſaa wel nerwerende ſom komme ſchuldene, ath thet godtz ther ligger y Höm y Seem ſogen, thed Fru* Gunner *myn Oldemothers ſyſter gaff til Lyom Cloſter, thet hörer med alle retthe til forneſſnde Cloſter. Oc thet ſchal ieg haffue y mine wære ſaa lenge ſom ieg leffuer, oc ſithen förſt ieg er dödt, ſchal thet godtz ligge oc höre til forneſſnde Lugum Cloſter med alle ſine tilligelſe inthet wndertaget. Och forbuder ieg wnder bannd noger mand ad beware ſeg med forſagde godtz, ſythen ieg er död, wden Abbethens wylie, helſt fordy ieg kiendis meg alle myne arffuinge ingen rettighedt ad haffue y forneſſnde godtz lenger end ieg leffuer.* In cuius rei teſtimonium ſigillum meum vna cum ſigillis honorabilium & diſcretorum virorum, videlicet dominorum *Andree Brock*, & *Andree Falſter* Canonicorum Ripenſium, Nec non *Joſeph Johannis* Proconſulis & *Lydechyni Hartleſſen* Conſulis ibidem, preſentibus eſt appenſum. Datum anno domini MCDXXV, in die S. Thomæ.

Sandmend haffuer giörd Marckſchiel emellom Seed oc Tudmoeſſ.

Alle mend thette breff ſeer eller höre læſſe hielſſe wy Claues van Anfeld, *Her* Johanſſön *Höwidtsmand til Tunder*, Hermen Bomhower *Borgemeſter vthi thet ſame ſiedt,* Owy Nielſſen *foget y Tunder herret, oc* Jes Tamſſen *Foget y Sluxherret, ewindelig med gud, och kundgiöre wy alle mend nu erhe oc komme ſchulde, Adt Aar effter gudtz födtſel MDXXI, then mondag neſt effter tölffte dag wor ſchicket for oſſ, oc flere gode mend paa Tunderherretz ting enn hederlig fader broder* Tuge *Abbet y Lyom Cloſter, opſiodh oc badh fogden om ien tings winde, huurlunde ſchüld wor mellom Seed marck, oc Tudemoeſſ marck, tha ſiodt fogden op oc neffnde VIII wuildige mend aff ſiocke, ſaa ſom wore* Anders Jenſſen, Pether Preen, Jep Buſch, Twy Smedt, Jep Nanſſen, Kemp, Nis Aſſerſſen, Nis Oluffſſen. *Huilke otte mend wdginge oc beradde dennom, oc indkomme igien, oc wonde paa there ſande och gode tro, Adt thet wor thennom fuldwitterligt, Adt ſandemend hadde giörtt fuld markſchiel mellom Seedmark oc Tudmoeſſmark, thet ſaa gangen oc farn er ſom for oſſ er wunden, thet winde wy med wore indſzegel hengendis neden for thette breff. Giffuen dag oc ſiund ſom tilforne ſchreuit ſtaar.*

Huur-

Huurlunde dy aff Bramſtede y Lalund ſogen er med deris Naaborne forliget.

Yytlick vnd apenbare ſy alle den iennen de deſſen breff ſzeen, hören edder leſen, dat de Abbet Claues *to Lume Cloſter, vnd* Boo Iwerſſen *to Wymersbull in Lugum Cerſpell wanafftich, vnd alle de dar hebben egendom to Bramſtede belegen in Ladelundt Kerſpel, de ſint vördragen, dar an vnd auer was* Peter Struck *Herdesfoget to Kerherde vnd vele ander vrame lude, de ſe vördrögen twiſchen Pepersmarck, vnd Bramſtede Veltmarck van ene ackerbreit, van deme gerſten acker oſten belegen, vnd ſo ſuden midden vppe de moſſe, vnd weſten vnd ſuden wente vpp dat rodewath, vnd norden vnd oſten wente vppe deme marckſtene, de dar licht tho Sluxherde Veltmarck. Do ſe vordragen weren, do bath de Abbet* Claues *to Lume Cloſter,* Peter Struck *Herdesfoget tho Kerherde vmme eine dinges winde. Do worden dar vthgeeſchet VIII vrame lude,* Henning Hanſſen, Jeppe Keelſſen, Jens Japſſen, Bonneke Knudſſen, Momme Jeſſen, Broder Jenſſen, Haye Jenſſen, Jes Jeſſen, *vnd wedder inquemen eindrechtliken binnen vnſen veer dinge ſtockenn, vnd vunden deme Abbet tho Lume Cloſter ein vull dinges windhe. Tho merer tuchniſſe der wahrheit, ſo hebbe ick* Peter Struck *herdesvaget to Kerherde myn ingeſzegel, mit den erſamen luden,* Jeſſe Erickſſen *Herdesvaget tho Sluxherde,* Jon Hanſſen *to wymersbul vmme vruntlike bede willen vnſer ingeſzegel ſamptlickenn heten hengen nedden vor deſſen oppen breff, de geuen vnd ſchreuen is naa der bort Chriſti MCDXCII iare an deme auende S. Jacob des hilligen Apoſtels.*

Stockneſſnd y Sluxherrit tilfunde Abbedhen aff Lyom Cloſter ad nydhe Tyrholm wden Loſſ oc Eedh.

Alle mend thette breff ſeer eller höre læſſe hielſſe wy Jes Thamſſen *herritzfoget y Sluxherret,* Eller Rantzou *oc* Eggert Gördtſſen *Webner,* Jes Erickſſen *ſandmand y forneſſnde herret, euindelig med gud. Kundgiöre my forſchreſſne mend med thette wort obne breff, ath aar efter gudtz byrdt MCDLXXX paa thet ſiette then Onſſdag for ſanctorum Petri & Pauli dag, wor for öff, oc for fiere dannemend, ſom then tüd paa Sluxherretz tinge wore, hederlige mand brodher* Claues *Abbet y Lyom Cloſter, huilke ſom eſchet oc badh om iet wuildige ſtocke neſſnd, om ham hörde paa Cloſters wegne, nyde oc bruge Cloſters eyendom, ſom heder Tyrholm, then rettighed ſom Lyom Cloſter haffuer ther wthi, oc haffuer haffd wlaſi och wkerdthe y LX aar, oc aar ther till wden louff oc eedh. Huilke ſtocke neſſnde han eſchet oc fick aff XII beſcheden dannemend, ſom wdginge och welberadde igien komme, ſunde forneſſnde Her Abbet* Claues *ſin eyendom ad bruge och nyde wden loſſ och eedh, til forneſſnde Lyom Cloſter y thet, adt thy haffde weret wlaſi oc wkærdh y ſaa mange aar, ſom for ſiander, oc Cloſter thet haffuer haffdt y ſin Laffheſſde. Efter thyſſe XII dannemends ord, eſchet och badh forneſſnde Abbet* Claues *om iet tingis winde, huilket ſom han eſchet fick och framlidde aff VIII beſcheden dannemend, ſom wor* Goſchen Jebſſen *y Röörkiær,* Chriſten Perſſen *y Stenmeldh,* Jes Anderſſen *i Hönning,* Jes Laſſen *i Hæſſel,* Per Nielſſen *y Högſſholt,* Nis Trulſſen *y Wollerup,* Mattis Laſſen *y Kragelund, oc* Nis Kodh *y thet ſame ſiedt, huilke VIII dannemend aff ſtocke ginge, oc beradde igien komme, wonde paa theris tro oc ſande, ath thi hadde thet lydeligen hördt inden IIII ſtocke, ath XII dannemend Her Abbet* Claues *tilfunde ad haffue hans rette eyendhom til Lyom Cloſter,*

ſom

ſom kallis Tyrholm, oc anderſiedtz y forneffnde herret, wden louff oc wden eed, oc thet ad bruge, ſom thü haffuer haffde y theris Laffheffde ſom for ſtander. Adt ſaa er gangen oc farn y alle maade for offſ, thet winde wy forſchreffne mend med wore indſzegle hengendis neden for thette breff, giffuet oc ſchreffuit aar og dag ſom for ſtander.

Efterſchreffne mend bekender thennom eller theris ingen fry eyendom ad haffue y Lyom eller Lyom bierck.

Alle mend thette breff ſeer eller höre leſſe helſſe wy Per Burg *herretzfoget y Ly herret,* Jes Bundtſſen *ſandmand y forneffnde herret,* Hans Perſſen *y Branderup, herretsfoget y Nörranxſirup herret,* Jep Lauſſen *ſandmand y ſame herret,* Nis Trulſſen *y Arildt, ſandmand y Hwiddingherret,* Hans Niſſen *y Öbierg, och* Kally Tamſſen *y Rabſiedt, ewindelig med wor herre, och kundgiöre wy forſchreffne mend med thette wort obne breff, att wy haffuer denget, talet oc tilhiolpen, at wore frender oc ſamſlecht,* Poll Jenſſen *y Lyom oc hans broder* Chriſten Jenſſen *haffuer fæſi og fangen boodhe ieth heltt godtz, ſom nu er ſynder bygdt, oc huer paa ſin dheel nu boor, aff hederlig fader broder* Hennick *Abbet y Lyom Cloſter. Och wy wddermere bekende for alle oc huer, thü ære geiſtlick eller wertlighe for offſ och alle woris efterkomelinge, ath huowell adt wore och theris forelder haffuer ſeeth och boodh paa ſame godtz, tha haffuer thü eller wy, eller nogen aff woris, ingen deel eller eydhom ther wthi haffuet eller haffue, enthen ödhe eller bygdt, ther eller anderſiedtz wdy Lyom Bierck eller Lyom Cloſters fryhedt, men allene er wore mening, wilie og begerelſſe, adt noger aff woris motte thet nyde och haffue for fyldeſt och fæſie aff Abbeden och Lyom Cloſter, ſom woris och theris forelder haffuer thett haffdt aff gammel tüd, oc giffuet thüd ſchatt oc ſchyld og alle ander Redtzell oc ey anderſiedtz. Til wddermer windisbyrd oc ſtadtfeſtelſſe, att all ting ſaa er och haffuer werret y ſandhed ſom tilforne ſchreuit ſtander, ſaa lade wy forſchreffne mend wore indſzegeler widendis henge neden for thette breff, ſom er giffuet oc ſchreffuit aar efter gudts byrdt MDXIIII. In Vigilias Gregorii Papæ.*

Lyom Cloſters ſchoffue, Kiærre, Jenmerck, Fiſchewand, Dammer oc Aaer, fra Lyom kiircke oc til Weſter Aallgaard, er lyſt y Fredt.

Alle mend thette breff ſzeer eller höre leſe hielſſe wy Iwer Perſſen *tinghörer paa Lyom biercketing,* Boo Frendiſſen, Laurs Jenſſen, Laurs Madtſſen, *ſandemend y forneffnde bierck, ewindelig med wor herre. Kundgiöre wy forſchreffne mend med thette wort obne breff, Aar efter gudtz byrd MDXXXIIII, then Mondag efter trium regum, tha wor ſchicket for offſ oc flere dannemend ſom tha til tinge wore, Regelbunden mand broder* Hans Hermenſſen *eſchet och fick paa Cloſters wegne eth fulth tingswinde aff VIII dannemend, ſom wore* Jeb Frendiſſen, Clemedt Madtſſen, Frende Perſſen, Jens Symenſſen, Jep Jenſſen, Jens Perſſen, Anders Perſſen, *oc* Anders Michelſſen. *Thiſſe VIII dannemend wdginge ſamdrechtelig ygien komme, wonde alle med ien röſt paa theris och ſiel, ad thü hörde och ſoffue ſame dag paa forneffnde ting inden IIII tingeſiocke aff mene Bierckmend witterlig er, oc wonde for thennom, ath Cloſters Schouffue, Kiærre, Jenmercke,*

Fiſchewand, Dammer og Aar, fra Lyom Kircke och til Weſter Aallgaard, ihuor Cloſters frihedt ehr, thet er lyſt wthi fredt huer dricke ting under Wold oc Rhan. Atth thet faa er wonden for off, faa winde wy medt wore indzegeler truckendis neden for thette breff. Datum vt ſupra &c.

Adt ingen aff Lyom Cloſters tienere haffuer werit frii for Echter og Borregierning.

Alle mend thette breff ſeer eller höre læſſe, hielſſe wy Iwer Perſſen *tingholder paa Lyom Biercketing,* Owy Eyſſen, Laurs Madtſſen *oc* Jens Perſſen *ſandmend y forneſſnde bierck ewindelig med wor herre. Kundgiöre wy forſchreſſne mend med thette wort obne breff, Aar effter gudtz byrd MDXXXII, then mondag for Philippi og Jacobi dag, tha wor ſchicket for off oc flere dannemend ſom tha till tinge wore, Regelbunden mand broder* Hans Hermenſſen *eſchet och fick iet fult tingswinde aff VIII dannemend, ſom wore* Madts Eſchelſſen, Nis Booſſen, Jens Jepſſen, Mattis Anderſſen, Knudt Grimeſſen, Madts Söffrenſſen, Nils Anderſſen, *oc* Iwer Chriſtenſſen. *Thiſſe VIII dannemend wdginge ſamdrechtelig ygien komme wonde med ien röſi, ath thü hörde och ſouffue ſame dag paa forneſſnde tingh inden IIII ſtocke, adt mene almoe wondhe for thennom alle med ien röſi, att thennom aldrig mydis nogen tüdt ſom frii breffue haffuer aff Cloſter, haffuer werret frii for Borregierning, ath hynthe Kalck, Steenn, oc tymmer till Cloſters Bygning og behouff, oc aldrig thü haffuer begerdt thedt end tül denne tüdt.* Frende Perſſen *haffuer nhu, och ſin fader* Per Frendiſſen *haffuer for hannom giördt alle borregierning, ſom hannom wurde tilſagd aff Cloſter. Och alle thü ſom breffue haffuer, aldrig haffuer ſagd ney til Echter og Borregierning. Adt thet ſaa ehr y ſandhed ſom forſchreſſuit ſtander, thet winde wü forſchreſſne mend med wore indſzegeler truckendis neden for thette breff.* Datum vt ſupra.

Paa then gröfft y Nörkiær.

Alle mend thette breff ſeer eller höre læſſe hielſſe wy Iwer Perſſen *tingholder paa Lyom Biercketing,* Owy Eyſſen, Laurs Jenſſen *oc* Laurs Madtſſen *ſandemend y forneſſnde bierck ewindelig med wor herre. Kundgiöre wy forſchreſſne mend medt thette wort obne breff, Aar effter gudtz byrd MDXXX, then mondag for Aſcentionis domini, tha wor ſchicket for off oc flere dannemend ſom tha till tinge wore, beſcheden dannemand og regelbunden mand broder* Hans Hermenſſen *eſchet oc feck iet fult tings winde aff VIII dannemend, ſom wore* Anders Eſchelſſen, Jep Perſſen, Michel Jebſſen, Truls Schreder, Ludick Jenſſen, Anders Perſſen, Frende Perſſen, *oc* Hans Schreder. *Thiſſe VIII dannemend wdginge och ſamdrechtelig igien komme, wonde med ien röſi paa theris ſiel och ſande, ath thü hörde oc ſouffue ſame dag paa forneſſnde ting inden IIII tingeſtocke, ath XII dannemend medt Her Abbetz offuerwerelſſe forlichte dy dannemend y Löttwedt oc Landbui, och alle thennom ſom haffuer Engh y Nörkiær, om then gryfft ſom er ſchyfft wtymellom them, atth hwer ſchall ware fith ſchyfft, ſom thennom er tilkommen, oc thü y Nybo ſchall ware thet wthi thet gammel gab, ſom thü kaller trettgab. Och huo forſömer theris ſtucke och ſchyfft, ath thü icke holder thed ferdhigh ſiedts, wden for wynther floed, oc for winterwand, tha ſchall thü böde thet ſirax ther effter, eller betale*

Her

Hr. Abbet then ſchade for Möllens ſchyld, och tha ſchal thiì böde XVIII ſz. modh Hr. Abbeth, ſom thiì haffuer ſielff wedtagenn. Ath thett ſaa ehr gangen och farn, thet winde wy forſchreffne mend med wore Indſzegeler truckendis neden for thette breff. Datum anno domini die & loco vt ſupra.

Ingen aff bierckmend maa forköbe Eng eller Kiær aff Biercken.

Alle mend thette breff ſeer eller höre læſſe helſſe wy Laurs Madtſſen *tingholder paa Lyom biercketing then dag,* Laurs Jenſſen, Markordt Högh *og* Boo Frendyſſen *ſandmend y forneffnde bierck ewindelig med wor Herre. Kundgiöre wy forſchreffne mend med thette wort obne breff Aar efter gudtz byrd MDXXXIIII, then Mondag effter Valentini dag, tha wor ſchickit for oſſ oc flere dannemend ſom tha til tinge wore beſcheden dannemand och bierckfoget* Iwer Perſſen *eſchet och fick iet fuldt tingiswynde aff VIII dannemend, ſom wore* Hans Madtſſen, Tagy Jebſſen, Jeb Frendiſſen, Tames Perſſen, Hienrick Anderſſen, Jep Jenſſen, Truls Lauſſen *oc* Jens Perſſen. *Thiſſe VIII dannemend wdginge ſamdrechtelig igien komme, wonde alle med ien röſi paa theris ſiel och ſande, ath thiì hörde och ſoffue ſame dag paa forneffnde ting inden IIII ſtocke aff menige almoe tilſtode och wondhe for thennom, ath ingen bierckmand ſchulle giöre wdfall, anthen aff Eng eller aff Kiær wnder wold. Haffuer noger mand ad ſœlie noget, tha ſchulle forneffnde bierckemend werre Eng eller Kiær neſt, thett ſom y bierck ehr, och thennom ad nyde ſom y biercke boer for ſchiœl. Ath thett ſaa ehr wunden for oſſ, ſaa winde wy med wore Intzegeler truckendis neden for thette breff.* Datum vt ſupra.

Abbeden aff Lyom Cloſter kiender ingen ad haffue bönderjord y Lyom marck.

Alle mend thette breff ſeer eller höre læſſe hielſſe wy Iwer Perſſen *tingholder paa Lyom biercketing,* Laurs Madtſſen, Owy Eyſſen *och* Laurs Jenſſen, *ſandmend y forneffnde bierck, ewindelig med wor herre, Kundgiöre wy forſchreffne mend med thette wort obne breff, Aar efter gudtz byrd MDXXXII, then Mondag for ſancti Antonii dag, tha wor ſchicket for oſſ och flere dannemend ſom tha till tinge wore, beſcheden dannemand* Jens Madtſſen *aff Öbierre, eſchet oc fick iet fuldt tingiswinde aff VIII dannemend, ſom wore,* Per Anderſſen, Pebl Rigellſſen, Knudt Grymeſſen, Jens Jepſſen, Nis Polſſen, Mattis Anderſſen, Jeb Frendiſſen *oc* Tagy Jebſſen, *thiſſe VIII dannemend wdginge ſamdrechtelig igien komme, wonde med ien röſi paa theris ſiel och ſande, att thiì hörde oc ſoffue ſame dag paa forneffnde ting, thett* Jens Madtſſen *haffuer kæritt, ad han och hans forelder haffuer bönderiord y Lyom marck han kiendis ſeg weedh, ther till haffuer Abbether och formend y Lyom Cloſter ſwaret hannom oc hans forelder altiidt wthy XX och XXX aar, the han inthet haffuer ther, och ey thet hannom noget kiendis y noger maade, och er menige almoe fulduytterligt unge och gammel, ſom y forneffnde Lyom bierck boer, ath* Jens Madtſſen *och hans forelder, ſlecht och hans wenner, ſom kand paa tale, erhe affworde med louff och laſthefft, ſom landts louff wduiſſer y alle maade, att thet ſaa ehr y ſandhedt gangen och farn ſom forſchreuit ſtander, thet winde wy forſchreffne medt wore Intzegeler truckendis neden for thette breff.* Datum anno domini, die & loco vt ſupra.

Paa

Paa thet Falke ligge y Lyom Schow.

Alle mend thette breff ſeer eller höre læſſe hielſſe wy Per Jenſſen *tingholder then tüd paa Lyom biercketing,* Laurs Jenſſen, Boo Frendiſſen *oc* Laurs Madtſſen *ſandemend y forneſſnde biercke, ewindelig med wor herre, kundgöre wy forſchreſſne mend med thette wortt obne breff, Aar effter gudtz byrd MDXXXIIII, then mondag for Mathæi Apoſtoli, tha wor ſchicket for oſſ och flere dannemend ſom tha til tinge wore, beſcheden dannemand och bierckfoget* Iwer Perſſen *paa Cloſters wegne eſchet och feck iet fuldt tingis winde aff VIII dannemend, ſom wore* Madts Eſchelſſen, Jens Smedt, Jep Perſſen, Ebbe Jepſſen, Tuge Jeſſen, Hans Madtſſen, Nis Polſſen *och* Truls Schreder. *Tiſſe VIII dannemend wdginge ſamdrechtelig igien komme wonde alle med ien röſt paa theris ſiel och ſande, ath thü hörde oc ſouſſue ſame dag paa forneſſnde ting inden IIII ſiocke, adt menige almoe och bierckemend wondhe for thennom y theris helligandtz eedt, att thet Falkelegg y Lyom ſchouff haffuer y Arüldts tüdt, oc aldrig nogen kunde giſſue laſt eller kære paa thet medt rette y noger maade, och er bruget til forneſſnde Lyom Cloſter wlaſt och wkerdt aff noger mand y alle maade, oc forſchreſſuen Cloſters frü Jenmerck. Att thet ſaa er wunden for oſſ, ſaa winde wy med wore Intzegeler truckendis neden for thette breff.* Datum vt ſupra.

Paa nogen Jord hoeff Junewath y Bekel.

Cunnerus dei gratia Ripenſis Epiſcopus vniuerſis Chriſti fidelibus, tam preſentibus quam futuris, ſalutem in vero ſalutari. Litigantibus olim Clauſtralibus de Loco dei, & domino *Vbby Tordtſſen* de quadam terra iuxta Jotenwath in Bekel, ad audientiam domini archiepiſcopi appellatum fuit, qui nobis iniunxit, vt ad Locum litigii perſonaliter accederemus, & ſibi veritatem ſuper ipſo litigio ſcriberemus, Nos igitur mandato ipſius parentes, aſſumpto nobiſcum domino Sleſzuicenſi & aliis fere ducentis hominibus de vicinia illius prouincie, acceſſimus ad terram ipſam litigioſam, circuiuimus & inuenimus ipſam terram ſub certis limitibus, & antiquis foſſis a Clauſtralibus occupatam, & circundatam, Eratque vox fere omnium, qui aderant, aſſerentium pro parte monachorum, quod ipſi monachi terram illam a veris poſſeſſoribus habuerint & legitimo tempore preſcripſerint. Nos igitur viſa & audita domino Archiepiſcopo retulimus, qui ſtatim mandauit domino Sleſzuicenſi, prout ordinario iſtius litis vt negotio finem imponeret, & iuſto iuditio determinaret, vnde iam dictus ordinarius iuſſioni domini Archiepiſcopi parens, multis preſentibus terram prefatam clauſtralibus adiudicauit, & iuditium ſuum ſcripto ſuo, quod nos vidimus confirmauit, preſentibus ipſis Clauſtralibus. Sed eorum aduerſario domino *Vbby Tordſſen* legitime citato, ſe per contumaciam abſentante. Jam dicti igitur facti preſentibus & futuris teſtis ſumus, & teſtimonium noſtrum ſigillo noſtro roboramus.

Riber Capittels breff paa den ſame Handel.

Vniuerſis Chriſti fidelibus, tam preſentibus quam futuris, Ripenſe Capitulum ſalutem in vero ſalutari. Litigantibus olim Clauſtralibus de Loco dei & domino *Vbby Thordſſen* &c. Vt ſupra.

Biſcop

Biſcop aff Sleſſuich giffuer erchebiſcop aff Lunden tilkende huorledis han dömth emellom Lyom Cloſter och Wbbi Thordſſen.

Venerabili in Chriſto Patri ac domino *V.* dei gratia Lundenſi Archiepiſcopo Suethiæ primati *T.* eadem gratia Sleſuicenſis Epiſcopus ſalutem in domino. Acceptis literis veſtris, vt cauſam, que vertebatur inter Clauſtrales de Loco dei & dominum *Vbby*, vel per amicabilem compoſitionem, vel per ſententiam terminaremus, vtramque partem citari fecimus ad locum vbi lis erat, ſed dominus *Vbby* citatus venire noluit, cum tamen ſicut certiſſime ſcimus, vix erat remotus a nobis ad vnum miliare. Acceſſimus igitur in propria perſona cum melioribus totius prouinciæ, videlicet domino *Johanne Trulſſen*, domino *Mathea Vrnæ*, domino *Iwaro Rabuch*, domino *Lagone de Karlſſwhra*, domino *Nicholao Grim*, domino *Petro Glenniſſen*, & aliis plurimis probis viris, tam clericis quam Laicis, & circuiuimus & diligenter inquiſiuimus, & in tanta multitudine fere ducentorum proborum virorum, non erat vox contra clauſtrales, niſi duorum, quorum alter erat frater domini *Vbbonis*, ſed teſtabantur communiter, quod infra antiquas illas foſſas & aggeres, videlicet, a Sunderlane, & ita per vadum Sthothuedt & ita usque ad foſſam Steneklint, erant & de iure eſſe debent omnia integraliter clauſtralium predictorum. Id ipſum etiam prius teſtificati ſunt vniuerſaliter, quando dominum Ripenſem, & nos cum eo, ad audiendum & terminandum idem negotium miſeratis. Nos igitur audito tanto & tam multorum teſtimonio, veſtra freti auctoritate, & propria quantum ſpectat ad ordinarium, cauſam illam ita terminauimus, & determinatam denunciauimus, vt nullus infra prefatos terminos, tam antiquis & tam manifeſtis limitibus ſignatos & clauſtro appropriatos, predictis Clauſtralibus aliquid de hiis, que intro contenta ſunt, aufferre audeat vel preſumat. Qui autem preſumpſerit, indignationem dei omnipotentis & omnium ſanctorum & veſtram ſe nouerit incurſurum. Datum apud Jönewath, anno ab incarnatione domini MCCXXXVIII, III idus Septembris.

Huorledis Biſcop aff Sleſſuich forligte Muncke y Lyom Cloſter och Vbbi Thordſſen.

Eſchillus dei gratia Sleſſuicenſis Epiſcopus vniuerſis Chriſti fidelibus hoc ſcriptum cernentibus in domino ſalutem. Notum eſſe volumus tam preſentibus quam futuris, nos per gratiam dei omnem controuerſiam, que vertebatur inter clauſtrales de Loco dei, & dominum *Vbbi Tordſſen*, per concordiam taliter extinxiſſe, quod tota terra cum ſilua & pratis contentis infra terminos, qui euidenter exprimuntur in ſententia, a bonæ memoriæ *T.* Sleſſuicenſi Epiſcopo lata, ab impetitione dicti domini *Vbby* & heredum ipſius, Loco dei libera in perpetuum relinquantur. Omnem etiam iniuriam ac damnum mutuo illatum, ſic per concordiam terminauimus, quod pars vtraque, quod alteri poſſet obiicere, nil habebat. Nos igitur in huius facti teſtimonium preſentem paginam ſigilli noſtri ac ſigillorum dominorum *N.* Archidiaconi Ripenſis, *Petri* prepoſiti Sleſſuicenſis, magiſtri *Simonis* Canonici Ripenſis, *Mathæi Vrnæ*, *Lagonis de Karlſſwhra*, *Petri Glenniſſen*, preſentibus aliis plurimis, tam Clericis quam Laycis, munimine duximus roborandam, prohibentes diſtrictius ſub pena excomunicationis, ne quis huius concordiæ paginam preſumat infringere, vel ei auſu temerario contraire. Qui autem preſumpſerit, indignationem dei omnipotentis & omnium ſanctorum & noſtram

ſtram ſe nouerit incurſurum. Datum Jönewath anno domini MCCXLV, XI Kall. Septembris.

Prouefies oc Capitels aff Sleſsuich vidimus offuer dette forſchreuen Biſcops Eſchilli *til Sleſſuich forligels breff.*

Omnibus, ad quos preſens ſcriptum peruenerit, *G.* prepoſitus Capitolumque Sleſuicenſe ſalutem in domino. Notum eſſe volumus, nos literas domini *Eſchilli* bone memoriæ quondam Epiſcopi noſtri, quarum tenor infra de verbo ad verbum inſeritur, non cancellatas, non abolitas, nec in aliqua parte ſui viciatas, ſub ſaluis ſigillis ſuo & aliorum diſcretorum virorum ac fide dignorum, quorum nomina in ſubſcripto tenore commemorantur vidiſſe & perlegiſſe in hec verba. *Eſchillus* dei gratia Sleſuicenſis Epiſcopus vniuerſis Chriſti fidelibus hoc ſcriptum cernentibus in domino ſalutem, Notum eſſe volumus, tam preſentibus quam futuris, nos per gratiam dei omnem controuerſiam, que vertebatur inter Clauſtrales. Cetera vt ſupra.

Chriſtopherus *Konge y Dannemarck ſiadfeſter den Forliig emellom Lyom Cloſter och* Vbbi Tordſſen *giörd.*

Chriſtopherus dei gratia Danorum Slauorumque rex vniuerſis preſens ſcriptum cernentibus in domino ſalutem. Conſtare volumus preſentibus & futuris, quod nos inſpectis auctenticis bone memoriæ Epiſcoporum Ripenſium & Sleſuicenſium euidenter intelleximus, litem illam, que quondam vertebatur inter dilectos nobis monachos de Loco dei ex vna parte, & dominum *Ubbonem* filium *Thordonis* ex altera parte, ſuper quibusdam poſſeſſionibus in Bekle, rite diſcuſſam eſſe, & ſine debito terminatam, prout in literis fratrum noſtrorum *Erici* & *Abeli* regum plenius continetur. Nos igitur factum ipſorum dominorum ſuperius nominatorum, tenore preſentium confirmantes, ſub obtentu gratiæ noſtre diſtrictius inhibemus, ne quis talem cauſam legitime terminatam, ex nouo ſuſcitare preſumat, vel dictos monachos ſuper memoratis poſſeſſionibus, eisdem rationabiliter adiudicatis, moleſtet de cetero, ſicut offenſam noſtram & penam pecuniariam voluerit euitare. Datum Ripis anno domini MCCLVII, VI Nonas Maji.

Erchebiſcop aff Lunden beffaler Esgero Arn *Cannick y Riibe, ad hielpe Abbethen oc Conuent y Lyom Cloſter til retthe mod* Jon Iwerſſen.

Johannes dei gratia Lundenſis Archiepiſcopus Suethiæ primas diſcreto viro *Esgero* dicto *Arn* Canonico Ripenſi, ſalutem in domino ſempiternam. Conqueſti ſunt nobis dilecti filii Abbas & conuentus de Loco dei, quod *Jon Iwerſſen*, & alii quam plures ſui complices in hac parte, clauſtrum ipſorum hoſtiliter inuaſerunt, & quasdam domos ibidem violenter fregerunt, ac etiam quod ſupradictus *Jon Iwerſſen* & *Lagho Bundyſſen* ſuper quibusdam poſſeſſionibus ſuis in Seemmarck, grauiter iniuriantur eisdem. Quocirca diſcretioni veſtre precipiendo mandamus, quatinus partibus conuocatis, audiatis cauſas, & eas ſine debito decidatis, facientes quod decreueritis, per cenſuram eccleſiaſticam firmiter obſeruari. Teſtes autem, qui vocati fuerint, ſi de odio vel fauore ſubtraxerint, eadem

cen-

cenſura compellatis veritati teſtimonium perhibere. Datum Lundis anno domini MCCLXXXIII die beati Laurentii martyris.

Paa ieth godtz y Holmæ.

Venerabili ſemper in Chriſto patri ac domino ſuo reuerendo *W.* dei gratia Sleſzuicenſi Epiſcopo *S.* de Raperhet, & *K.* de Horſtrop ſacerdotes, totius ſubiectionis reuerentiam cum ſalute. Accepto mandato veſtro, vt ſuper legato domini *Thrugilli* de Höxet, inter heredes ipſius ex vna parte, & Clauſtrum Lögum ex alia, vobis veritatem inquirere & remittere deberemus, Diſcretioni veſtre ſignificamus, quod anno domini MCCXCVIII in Cathedra beati *Petri* apud Eccleſiam Höxet partibus conuocatis, & plerisque parochianis, ſingillatim adiurauimus, & diligenter examinauimus teſtes, videlicet dominum *Nicholaum* ſacerdotem ibidem, *Chriſtiernum Trulſſen*, *Wbbonem Algetſſen*, *Thrugillum* dictum *Löös*, *Bondhonem Tordtſſen*, *Nicholaum* & *Tytalff* fratres eius *Petrum Roſſ*, & *Frœllanum* dictum *Koch*, qui omnes & ſinguli, in preſentia domini *Johannis* prepoſiti in Ællomſyſſell & noſtra depoſuerunt vniformiter tanquam notorium, & omnibus manifeſtum, quod dominus *Th.* ſupradictus in die aſſumptionis beate virginis anteacta, cum miſſa expectari fecit in Eccleſia Höxet, donec prior de Clauſtro Lögum ab ipſo vocatus veniret, & in miſſa parochianos rogari fecit, ne poſt miſſam abcederent, antequam cum eis colloquium habuiſſet. In quo tandem colloquio extra oſtium Eccleſiæ ad partem aquilonarem habito, dominus *Thrugillus* dixit ſe quondam in magna infirmitate vouiſſe firmiter, quod ſi tunc euaderet, religionem in Clauſtro Löghum per aſſumptionem habitus cicius introiret, quod quia tunc ad vltimum non impleuerat, & dominum etiam aliter pluries offenderat, multum penituit, & in remedium animæ ſuæ vnam coloniam ſuam in Holmæ, in qua *Aſcer Gaſyſſen* reſidebat, cum domibus & terris, & omnibus ſibi attinentibus in eadem, exepta quarta parte in Goruith, eccleſiæ ſancte Mariæ in Clauſtro Löghum publice contulit, & priori dicti Clauſtri in finum ſcotauit perpetuo poſſidendam, & ſtatim inquirenti Colono ſupradicto, cui redditus de cetero exhiberet, reſpondit, quod redditus terras ſequerentur, vtrum ipſe poſtea diucius viueret, ſiue cicius moreretur, affirmans, quod nichil dediſſet, ſi ipſos redditus perſonaliter in poſterum percepiſſet. Et eadem vice ſepulturam elegit in Clauſtro memorato. Et huic teſtimonio etiam ceteri parochiani vna voce, & etiam *Petrus Seck*, & *Tuko Litlæ*, fratres domini *Th.* & *Thomas Torkilſſen* gener ipſorum & coheres tunc preſentes pariter conſenſerunt, nullo in contrarium reclamante. In cuius facti teſtimonium ſigilla noſtra, vna cum ſigillis dominorum *J.* prepoſiti & *N.* ſacerdotis, ſupradictorum preſentibus literis duximus apponenda.

Johannes Stycko *haffuer ſchött Lyom Cloſter nogen godtz paa Huithingherritz ting.*

Omnibus preſens ſchriptum cernentibus *Jacobus* Archidiaconus Ripenſis ſalutem in domino ſempiternam, Noueritis, quod coram nobis conſtitutus quidam *Johannes* dictus *Stycko* preſentibus pluribus fide dignis ſcotationem quorundam bono-

bonorum, que monaſterio Loci dei in audientia placiti Hwittingherret alienans, ſcotationis titulo aſſignauit, confirmans in perpetuum ratificauit, promittens fide media, quod in futurum nihil dicte ſcotationi contrarium, per ſe vel per alios ſuo nomine attemptaret. Super quibus & quorum quolibet renunciauit omnibus & ſingulis, que contra predictam obiici poterunt, vel opponi. In cuius rei teſtimonium ſigillum noſtrum, & ſigilla dominorum prioris Monialium Ripis *Th.* nomine, *Andreæ* ſacerdotis officialis noſtri, ac *Nicholai* Capellani domini Ripenſis, dicto facto preſentium, preſentibus ſunt appenſa. Actum & datum, anno domini MCCXCIII in feſto S. Thomæ Apoſtoli.

Biſcop Nicholaus *til Sleſzuich giffuer Abbethen oc Lyom Cloſter ſin rettighedt ſom kallis Helligbrödhe.*

Omnibus preſens ſcriptum cernentibus *Nicholaus* dei gratia Epiſcopus Sleſzuicenſis ſalutem in domino ſempiternam. Noueritis, quod nos damus & concedimus domino Abbati & monaſterio Loci dei, exactiones noſtras, que dicuntur Helligbrödhe, ſuper totam familiam ſuam vbicunque in noſtra dioceſi conſtitutam, volentes & mandantes, vt nulli niſi predicto Abbati ſuper premiſſis reſpondeant, ſeu illi cui dictus dominus Abbas dictas exactiones nomine ſui & monaſterii commiſerit exequendas. Inhibentes etiam officialibus noſtris quibuscunque, ne dictis ſe exactionibus aliqualiter intromittant. Datum Sleſzuich, Anno domini MCCCLI Dominica proxima poſt feſtum beati *Johannis* ante portam Latinam.

Henning Lymbech *loffuer han will beſcherme Abbeten oc Conuent aff Lyom Cloſter oc deris thienere wdy Krüg oc Orloff.*

Omnibus preſens ſcriptum cernentibus, *Hennichinus Nicholai* dictus *Lymbech* ſalutem in domino ſempiternam. Quia bellorum importunitate & prauorum inſultu terra vndique turbatur, ne monaſterium Loci dei, quod mei progenitores temporibus retroactis plurimum fouerant, ab imminentibus malis ex toto deſoletur, ex diuini amoris affectu ſeruorum dei in eodem monaſterio commorantium aſſidue peticioni benigniter inclinatus, preconſiderata ipſorum erga me meamque cognationem in quam pluribus charitatiuis obſequiis benigna voluntate, vniuerſis notum facio per preſentes, me ipſos dominos videlicet Abbatem & conuentum de dicto monaſterio Loci dei, omnemque familiam ipſorum, tam extra monaſterium, quam infra, ceteraque omnia bona ſua in Lögherret, & in omnibus aliis Locis, & precipue in exactione Lyttlæ Tunder ſita, ſub mea protectione ſuſcepiſſe, viriliter ac fideliter prout mea propria bona defendenda, firmiter promittens in hiis ſcriptis, quod ipſi domino Abbati, vel alicui de familia ipſius prope vel procul, clam vel palam cum labore, precariis, taliatione, captione, ſeu ſpoliatione, vel quouis alio modo, ſub pretextu delicti, vel alio colore exquiſito, non iniuriabor, per me, vel per aduocatos meos ſiue famulos, in modico vel in magno, ſed ſimpliciter nihil ab eiisdem exigi faciam vel extorqueri. Preterea eosdem dominos & familiam ipſorum ſupradictam priuilegiis, libertatibus, & immunitatibus, qua ſe a regibus, ducibus, vel principibus habere docuerint, pro me & meis gaudere faciam, opemque & operam, quantum

mihi

mihi poſſibile fuerit, apponam, vt ſuper premiſſis ab aliis quibuscunque nullatenus moleſtentur, familiam inſuper monaſterii predicti, vel aliquem de ipſa familia, non aufferam vel aufferri faciam, ſed vt in reſidentiis ſuis maneant quantum potero procurabo. Super hiis omnibus premiſſis obligans me ad conſeruandum ipſos dominos & monaſterium ſuum indemnes, Si ſuper premiſſis a me vel meis leſi fuerint, in familia ſua, ſiue rebus. In cuius rei teſtimonium ſigillum meum preſentibus eſt appenſum, vna cum ſigillo diſcreti viri *Johannis Thomæſſen* aduocati mei. Datum anno domini MCCCLXXVI die beati *Egidii* Abbatis. Preſentes autem litere firmitatem ſuam a die datarum preſentium, vsque ad feſtum S. Michaelis futuri anni, id eſt LXXVII annum conſeruabunt.

Paa ien Otting Jord y Reenſe Mark.

Ick Las Morthenſſen *dingkhörer in Sluxherde do wittlick allen vramen luden de deſſen breff ſehen edder ock hören leſen, dat ahn deme Jhar vnſes heren alſe me ſchrifft duſent iare vnde veerhundert iar, ân dem LXX iare, bath de vrame* Hinrich Kloner, Erich Sturen, *vogeth to Soldigch, vmme III Stochneſſuen. Des krech he den einen nha deme anderen, alſze by namen,* Nis Kathe, Mattis Marthenſſen, Tuke Koper, Andres Anderſſen, Anders Adſcerſſen, Jeppe Perſſen, Mattis Laſſen, Hans Henkeſſen, Chreſten Stoet, Per Schroder, Jeppe Perſſen, Erick Perſſen. *Den anderen* Truls Bundyſſen, Klâwiis Laſſen, Jeppe Jenſſen, Truls *to Goſſkiœr,* Mattis Kaliiſſen, Cortth *to Smedeacker,* Nis Tortenſſen, Tuke Schytte, Hans Martenſſen, Tuke Jonſſen, Per Bundyſſen, Kreſten Tortenſſen. *Den Drudden,* Jes Perſſen *to Hunding,* Hans Ebbiſſen, Anders Brun, Per Negelſſen, Nis Booſſen, Anders *to Noldhe,* Michel Booſſen, Mattis Chreſtenſſen *to Egbecke,* Michel *to Buſſholm,* Per Jepſſen, Tuke Madtſſen, Jens Willeſſen. *Deſſe vorgeſchreuen erlicke lude ſick beſprekenn, endrechtliken ſedenn bi eren waren worden, binnen den vorſchreuen veer dingeſtockenn, dat* Erich Stur *mydt rechte hefft liggende enen Otting erde in Renſemarck, welke deſulue Otting liget to wraagarde to ſinen gudhe. Des to groter ſekerheit, krech* Hinrick *vorſchreuen dith naſchreuen dingeſwinde. Alſe* Hinrick Perſſen, Jes Hinrickſſen, Tuke Jonſſen, Jeb Perſſen, Erick Negelſſen, Mattis Anderſſen, Jes Johanſſen, Jens Madtſſen, *bekennen vnd tugenn wy alle ſamptliken vnd eindrechtlikenn vppe vnſe worde truwe vnde ſeele ſalicheit alſe vorſchreuen ſteit. Des to groter bekendtniſſe der warheit, hebbe ich* Las *vorſchreuen myn ingeſzegel myt den Ingeſzegelenn duſſer naſchreuen vrame erliche lude henget vör duſſe breff alſe des duchtige* Eler Rantzoues, Jes Tamſſen. Datum vt ſupra.

Paa Pyllholm och Tagholm y Abterp marck.

Alle mend thette breff ſzeer eller höre læſſe hiælſſe wy Per Burg, *herritzfoget paa Lyherretz ting,* Nis Jenſſen, Iwer Perſſen, *och* Per Gunyſſen, *ſandmend y forneſſnde herret, ewindelig medt wor herre. Oc kundgiöre wy forſchreſſne mend med thette wort obne breff, att aar effter gudtz byrd, MDXIII Lœverdag fo Johannis dag decollationis tha wor ſchicket for oſſ och ſtere dannemend, ſom then dag till tunge wore, hederlige fader broder* Henning *Abbet y Lyom Cloſter, eſchet och badh om ieth wuildige tingis winde, huilket han fick aff VIII dannemend, ſom*

wore Anders Perſſen *y Randerup*, Bundy Kiær, Per Niſſen, Jes Winther, Per Bing, Ebby Niſſen, Laurs Madſſen, *och* Iwer Perſſen. *Huilke VIII dannemend wdginge och welberadde igien komme, wonde for oſſ paa theris gode tro ſiel och ſandhen inden IIII ſiocke paa forneſſnde ting, att thü hörde och ſoffue ſame dag paa forneſſnde ting, att IIII dannemend wonde for thennom y theris helligaandtz eed, ſom wore* Per Burgh, Nis Jenſſen, Iwer Perſſen, *och* Gryme Jebſſen, *ath thü Holme y Abterp marck, ſom kallis Pylholm och Tagholm, haffuer werith bruckt, oc leidt tyl Cloſters godtz, ſom nhu* Laurs Hanſſen *paa boer y LX aar och mere wlaſi och wkierd, och thet wor almoes röchte. Och forneſſnde VIII dannemend medhe wytterligt, Att alle ordt, ærende och arthickler ehre ſaa gangen och farn y alle made ſom tilforne ſchreuit ſtander, thet winde wy forſchreſſne mend med wore indſzegeler hengendis neden for thette breff.* Datum anno, die & loco vt ſupra.

Paa ien gaard y Riibe.

Uniuerſis & ſingulis, ad quorum noticiam preſentes litere noſtre peruenerint, Nos *Petrus Nicholai* Archidiaconus vicecommiſſarius quoad infraſcripta, Ac *Tuko Thorkilli* canonicus Eccleſiæ eiusdem ad eadem iudex a ſanctiſſimo patre *Pio* diuinæ prouidentiæ gratia Papa ſecundo, vna cum collegis noſtris, ſpecialiter deputatus, ſinceram charitatem in domino cum ſalute. Comparentibus coram nobis ſub anno domini MCDLXIII, viceſimo octauo die menſis ſeptembris, in ambitu Eccleſiæ Ripenſis pro tribunali ſedentibus, vna cum aſſeſſoribus noſtris infraſcriptis, venerabili domino *Thucone* Abbate monaſterii Loci dei pro & ſuo conuentu ibidem parte ex vna, Ac diſcreto *Erico Joſephſſen* ciue Ripenſi pro ſe & ſuis coheredibus ex parte patris ſui *Joſeph* quondam proconſulis ibidem parte ex altera, ſuper proprietate cuiusdam curiæ Ripis in parochia ſancti *Johannis* ſitæ, in qua idem *Joſeph Johannis* extunc proconſul Ripenſis habitauit, queſtiones mouentibus, ac iuſticie requirentibus complementum, viſis documentis ſide dignorum ipſius domini Abbatis, docentis monaſterium eiusdem Loci dei, quo ad ſolutionem aliquorum reddituum annualium, ipſi monaſterio Loci dei annuatim inantea expoſitorum, de & pro curia pretacta, ſuper qua lis vertebatur, contra que nulla exeptio patuit legitima, ac iuri conſona. Ex parte vero altera nulla penitus aniſamenta iura ſua confortantia patuerunt niſi tantum friuola verba. Petentibus igitur partibus vtriisque iudicialiter ſententiam pronunciari in premiſſis. Nos vero *Petrus* & *Thuco* iudices preaſſignati, auditis huiusmodi documentis, allegationibus & peticionibus partis vtriusque, ac inſtantiam ſententialiter in cauſa concludi, ſolum deum pre oculis habentes, ac conſilio iurisperitorum vtentes, occupatorem ipſius curiæ, qui pro tempore fuerit, quam idem *Joſeph Johannis* occupauit, dum vixit in humanis, ad ſolutionem alicuius penſionis, de ipſa curia, ipſi monaſterio Loci dei annuatim ſolui debere, ac tali oneri perpetuo ſubiacere, ſententialiter pronunciauimus, & pronunciamus per preſentes. Inſuper prefigimus vtrique parti terminum peremptorium ad comparendum coram nobis tredecima die menſis Januarii anni proximi ſequentis, in Loco preallegato, cum documentis ſuis ſuper quantitate ipſius penſionis a partibus producendis, ſi qua ſunt, & ad allegandum rationes vberiores hinc inde, ſi quas habuerint, & concludi, videndum in hiis, quo ad ſententiam diffinitiuam ſuper iure ipſius curiæ

per-

perpetuo poſſidendæ. In quorum omnium & ſingulorum teſtimonium & euidentiam firmiorem ſigillorum noſtrorum appenſione, vna cum ſigillo reuerendi in Chriſto patris ac domini, domini *Hinrici* dei gratia Epiſcopi Ripenſis preſentiam ſuam in iudicio oſtendentis, preſentes fecimus communiri. Preſentibus etiam extunc honeſtis *Thorberno Jacobi* proconſule, & *Nicolao Nicolai* conſule Ripenſi cum aliis quampluribus nobilibus & fide dignis. Datum & actum anno, die & loco ſupradictis.

Paa noget godtz y Withſiædt.

Gunnerus dei gratia Ripenſis Epiſcopus omnibus hoc ſcriptum cernentibus ſalutem in domino. Preſentibus & futuris declaratum eſſe volumus, quod dominus *Johannes* ſacerdos, Eccleſiæ Ripenſis Canonicus ſcotauerit in manu noſtra, monachis de Loco dei, omnem terram cum domibus, quam habuit in Withſtedt, iuxta æſtimationem nouem marcarum auri, pro cuius terre pretio, prefati Loci Abbas *Nicholaus* reſcotauit ſibi fundum vnum cum domibus in introitu ciuitatis iuxta forum equorum, hoc inter iam dictum *Johannem* & Abbatem pacto interpoſito, quod tota terra illa, quam ſcotauit monachis, cedere debeat vſibus ſuis quoad vixerit, & ſi aliquando ſibi placuerit illam redimere, debet prefatis clauſtralibus nouem marcas auri pro redemptione ipſius refundere. Et ne ſuper hunc contractum aliqua dubietas poſſit oriri in poſterum, ipſum ſigillo noſtro roboramus. Datum anno gratiæ MCCXXIIII.

Alle Abbether y Danemark giörer bön til Konge Erick *for Muncke y Lyom Cloſter om den rettighedt dy haffde offuer Breuadt Kürcke.*

Illuſtriſſimo domino ſuo *Erico* dei gratia Danorum Slauorumque regi, vniuerſitas Daciæ, ſuas ſuorumque deuotas in Chriſto orationes, cum omni obſequio reuerentiæ & honoris. Quoniam vt ſepius intelleximus & experti ſumus, dignatio veſtra iuxta decentiam regie maieſtatis erga perſonas religioſas, fauorabilis ſemper extitit & benigna, exellentiam veſtram fiducialiter aggredimur poſtulandam, humiliter in domino ſupplicantes, quatenus Abbatem & conuentum de Löghum non patiamini a veſtris, ſuper poſſeſſione iuris patronatus eccleſiæ Breuadt moleſtari, cum progenitores veſtri conſiderantes deuota ſeruitia & voluntarias adminiſtrationes, ſibi tempore pacis & belli ab eodem monaſterio impendi, dicto monaſterio quicquid iuris in eadem Eccleſia habuerunt, contulerunt libere poſſidendum, tantum ſuper hoc facientes, quod preces noſtre in hac parte apud vos locum inueniant, & regalis beneuolentia pro hiis & aliis beneficiis poſſit orationibus ordinis deuotius commendari.

Item Domini *Nicolai Bille* archidiaconi de $1\frac{1}{2}$ pund.

Item Domini *Aſceri Simplex* de XV. groſſis.

Item Domini *Nicolai Swenſön* de II. ſol. groſſ.

Item Domini *Nicolai Clementis* militis de II. pund.

Item die inuentionis ſancti Stephani ſolvit idem, primo anniuerſarium *Nicolai Brewn* de $2\frac{1}{2}$ pund.

Item Domini *Ingemari Twonis* de II. pund.

Item *Olaui Becſkow* de uno pund.

Item Domini *Andreæ* Præpoſiti de $1\frac{1}{2}$ pund.

Item Magiſtri *Johannis Adæ* de vno pund.

Item Domini *Laurencii* Decani de vno pund.

Item vigilia beati Mathei apoſtoli & ewangeliſtæ, ſervit idem, primo anniuerſarium Jacobi Falſter de IIII. pund.

Item Domini *Johannis Hennichini* Præpoſiti de $1\frac{1}{2}$ pund.

Item

Item Domini *Petri Oplænding* de IIII. ſol. groſſ.
Item *Petri Reyneſſön* de II. ſol. groſſ.

Diſtributionum Anno MCDLVIII.

Feria sexta quatuor temporum ante feſtum natiuitatis Chriſti ſeruit, primo anniuerſarium Domini *Laurentii Olaui* de II. ſolidis groſſorum.
Item ſabbato proxime ſequenti ſeruit idem anniuerſarium Domini *Olaui Byörnſſon* Decani Haſlnenſis de II. ſol. groſſ.
Item eodem die Domini *Hinrici* Epiſcopi de II. ſol. groſſ.
Item Domini *Woldemari* Regis de III. ſol. groſſ. nobis.
Item Domini *Olaui Pant* Decani de III. ſol. groſſ.
Item Dominæ *Margaretæ* Reginæ de III. ſol. groſſ. nobis.
Item Fundatioris Capellæ ſancti Andreæ de II. ſol. groſſ.
Item *Nicolai Grüs* de II. ſol. groſſ.
Item Domini *Johannis Boſſön* Canonici de II. ſol. groſſ.
Item Domini *Bundonis* Decani de II. ſol. groſſ.
Item *Magiſtri Hemmingi* Archidiaconi de II. ſol. groſſ.
Item Domini *Jacobi* Epiſcopi Aſloenſis de I. marca argenti.
Item feria ſecunda poſt Dominicam Palmarum ſeruit idem anniuerſarium Domini *Nicolai Stenboo* de II. ſol. groſſ.
Item Domini *Aſceri Simplex* de II. ſol. groſſ.
Item Domini *Trugilli* canonici de II. ſol. groſſ.
Item *Jacobi Stycker* & uxoris ſuæ de II. ſol. groſſ.
Item Domini *Nicolai* Epiſcopi Roſkildenſis de II. ſol. groſſ.
Item *Petri Wæther* de II. ſol. groſſ.
Item feria ſexta proxima ante feſtum beati Georgii, ſeruit idem anniuerſarium Domini *Johannis Petri* archidiaconi de III. ſol. groſſ.
Item *Marinæ Weſtermands* de II. ſol. groſſ.
Item *Johannis Magni* Militis de II. ſol. groſſ.
Item Domini *Tordonis* Archidiaconi de II. ſol. groſſ.
Item feria ſexta poſt octauas corporis Chriſti ſeruit idem anniuerſarium Domini *Mathiæ* Canik de VIII. ſol. groſſ.
Item *Jacobi Petri* & uxoris ſuæ de $5\frac{1}{2}$ ſol. groſſ.
Item *Johannis Brynichini* Cantoris de I. marca argenti.
Item Domini *Sigeri* de $5\frac{1}{2}$ ſol. groſſ.
Item Domini *Woldemari* Regis de III. ſol. groſſ. nobis.
Item Domini *Johannis Andreæ* militis de IIII. ſol. groſſ. nobis.
Item *Martini Jacobi* de III. ſol. groſſ. nobis.
Item Domini *Criſtierni* Epiſcopi de II. ſol. groſſ.
Item Domini *Effrardi* canonici de II. ſol. groſſ.
Item Domini *Johannis Hind* Epiſcopi de XI. ſolidis groſſorum cum I. ſol. Lubecenſi.
Item *Bertoldi Mwcke* de II. ſol. groſſ.
Item parentum *Andreæ Petri* de Ellinge de II. ſol. groſſ.
Item *Nicolai Herlogi* de II. ſol. groſſ.

Item

Item *Johannis Nicolai* proconſulis de III. ſol. groſſ.
Item Domini *Johannis Tydhebergh* de II. ſol. groſſ.
Item Dominorum *Jacobi Jenſſon* & *Tidemanni* presbiterorum de ½ marca argenti.
Item Domini *Jacobi Petri* canonici de II. ſol. groſſ.
Item Domini *Suenonis* Regis de III. ſol. groſſ. nobis.
Item Dominæ *Ingeburgis* de II. ſol. groſſ.
Item die inuentionis ſancti Stephani ſeruit idem primo anniuerſarium *Jonæ Litle* de duobus ſolidis groſſor.
Item Domini *Johannis Grand* epiſcopi de II. ſol. groſſ.
Item Domini *Petri Stegh* de II. ſol. groſſ.
Item Vigilia beati Mathei apostoli & ewangeliſtæ ſeruit idem anniuerſarium Domini *Michaelis* Cantoris de II. ſolidis groſſor.
Item Domini *Andreæ Nicolai* militis de III. ſol. groſſ. nobis.
Item Domini *Johannis Kragh* de II. ſol. groſſ.
Item Domini *Michaelis Clementis* canonici de IIII. ſol. groſſ.
Item Domini *Clementis Clementis* canonici de 3½ ſol. groſſ.
Item Dominorum *Broderi* & *Andreæ Gerekini* de II. ſol. groſſ.
Item *Johannis Palnonis* armigeri de II. ſol. groſſ.
Item Dominorum *Jacobi Petri* ſacriſtæ & *Haquini Tulonis* de ½ Marca argenti.
Item Domini *Nicolai Tuconis* de II. ſol. groſſ.
Item *Chriſtinæ Stegs* de II. ſol. groſſ.
Item *Magiſtri Johannis Glumſyö* de II. ſol. groſſ.
Item *Kanuti Nicolai* & *Nicolai Kanuti* de II. ſol. groſſ.
Item *Sigeri Dondeman* de II. ſol. groſſ.
Item Domini *Johannis* Sacriſtæ de II. ſol. groſſ.
Item *Petri Strangeſſön* de II. ſol. groſſ.
Item benefactorum de II. ſol. groſſ.
Item benefactorum de II. ſol. groſſ.
Item benefactorum de VI. ſol. groſſ.
Item die beati Mathei apoſtoli & ewangeliſtæ ſoluit idem anniuerſarium Domini *Johannis Andreæ* Epiſcopi de III. ſol. groſſ. nobis.
Item Domini *Abſalonis* militis de II. ſol. groſſ.
Item *Boecii Jonſſon* de II. ſol. groſſ.
Item Domini *Gunnari* de II. ſol. groſſ.
Item *Luciæ Tyghes* de II. ſol. groſſ.
Item *Margaretæ Brunikini* de II. ſol. groſſ.
Item *Petri Madebergh* de II. ſol. groſſ.
Item Domini *Hinrici* Præpoſito de IIII. ſol. groſſ. nobis.
Item Domini *Abrahæ* militis de II. ſol. groſſ.
Item Domini *Johannis Petri* Epiſcopi de III. ſol. groſſ. nobis.
Item Domini *Nicolai* archiep. Lundenſis de II. ſol. groſſ.
Item *Criſtinæ Pilemandz* de II. ſol. groſſ.
Item Dominæ *Ydæ* de I. marca argenti.
Item *Joſep Johannis* de II. ſol. groſſ.
Item *Lodowici Marſcalci* de II. ſol. groſſ.

Item

Item *Criſtoferi Ducis* de I. marca argenti.
Item *Magiſtri Martini* de II. ſol. groſſ.

Ordo Canonicorum Roſkildenſium ſecundum ſenium in toto Anno Domini MCDL nono.

Decanus.
Præpoſitus . . . . Domini Esberni
Archydiaconus . . . Johannis Johannis.
& Johannis Brogſtorp.
Cantor . . . . . Laurentii Nicolai.
Sweno.
Olauus Boecii.
Laurentius Olaui . . Johannis Tiderici.
Johannes Syndonis . . Olaui Johannis.
Trugotus Haſs.
Petrus Absalonis.
Tuco Johannis . . . Trugoti Haſſ.
Jacobus Petri.
Johannes Tiderici.
Nicolaus Nicolai.
Michael Johannis.
Nicolaus Bonde.
Petrus Hemmingi.
Laurentius Nicolai.
Laurentius Petri.
Johannes Myndell.
Olauus Johannis.
Criſtoforus Johannis.
Laurentius Mathei.
Johannes Broghſtorp.
Johannes Olaui.
Johannes Nicolai . . . Sex Præbendarum.
Johannes Johannis.
Johannes Jonæ.
Johannes Petri.
Olauus Johannis.
Esbernus Petri.

Præpunctati sunt protestati ipso die beati Mauricii.

Infraſcripti receperunt libros a Capitulo Anno Domini MCDLIX.

Primo Epiſcopus habet Bibliam.
Decanus habet Decretales, Sextum, Clementinas, gloſam Decreti, Boeth. ſuper 4to & 5to Decretalium, & partem Paſſionarii.
Cantor habet Paſſionarium in duobus voluminibus.

Ola-

Olauus Boecii habet Fortior in medicinis.

Laurencius Olaui habet Pſalterium gloſatum in duobus voluminibus, ſermones Jacobi de Voragine, Diſtinctiones, gorram, Manipulum florum, XII. Prophetas minores, Bibliam maiorem, Concordantias maiores, Compendium pauperis, Decretum, Digeſtum vetus, Digeſtum novum, & codices Boeth. ſuper 3^tium^ Decretalium.

Johannes Syndonis habet Repertorium Juris, Caſus Decretorum, Librum autenticorum, Decretales, cum Sexto in uno volumine, item Platearium.

Tuco Johannis habet Speculum judiciale, Decretales, Inſtituta, & Proprietates rerum.

Laurentius Petri habet libros Sententiarum, & Queſtiones ſuper eisdem, item Librum de forma, item Scolaſticam hiſtoriam.

Laurentius Mathei habet Senecam, ſecundam partem Sancti Thomæ, quosdam ſermones & quæſtiones Iheronimi, Scolaſticam hiſtoriam.

Johannes Jonæ habet Pſalterium gloſatum, Librum Sententiarum, breues ſermones de Dominicis & de Sanctis, item Epiſtolas Pauli, item Bibliam, item Nicolaum de Lyra, item manipulum florum, concordantias minores.

Olauus Johannis habet Inſtituta.

Esbernus habet aliquos libros in jure, pro quibus poſuit cautionem, videlicet Decretales, Sextum, & Clementinas.

Anniuerſaria ſoluta per *Magiſtrum Laurentium Prymſkow* de portionibus Anno MCDLIX.

Primo vigilia beati Thomæ apoſtoli ſoluit anniuerſarium Domini *Skelmeri* Præpoſiti de IIII. pund.

Item *Magiſtri Macharii* archidiaconi de IIII. pund.

Item Domini *Petri* Epiſcopi de IIII. pund nobis.

Item Domini *Nicolai Clementis* Militis de II. pund.

Item *Erici Nicolai* armigeri de VI. pund.

Item Domini *Olaui Hwidepreſt* de I. pund.

Item *Nicolai Swenſſon* de II. ſol. groſſ.

Item *Eſkilli Snwbbe* de II. ſol. groſſ.

Item *Erici Jacobi* de II. ſol. groſſ.

Item Anno Domini MCDLX. die beati Gertrudis ſolvit idem anniuerſarium Domini *Semundi* de III. pund.

Item *Nicolai Brun* & uxoris ſuæ de 2½ pund.

Item *Johannis Görſſing* de II. pund.

Item Domini *Olaui* Epiſcopi Roſkildenſis de II. marcis arg. nobis.

Item Domini *Petri Saxſön* de I. pund.

Item *Domini Hinrici* militis de I. marca argenti.

Item Domini *Yndari* de II. pund.

Item Domini *Lamberti* Canonici de II. pund.

Item Craſtino Gertrudis ſolvit anniuerſarium *Tuconis Ympe* de tribus ſol. groſſ. nobis.

Item *Ade Boſſön* de II. ſol. groſſ.

Item Domini *Bundonis Strangeſſön* de II. ſol. groſſ.
Item Domini *Johannis Bille* archidiaconi de 1½ pund.
Item *Aſceri Simplex* de XVI. groſſis.
Item Domini *Johannis de Capella* Præpoſiti de II. ſol. groſſ.
Item *Haſtani* de II. ſol. groſſ.
Item eodem anno, feria ſexta poſt feſtum exaltationis ſanctæ Crucis ſoluit idem anniuerſarium *Olaui Bekſkow* de III. ſol. groſſ.
Item Domini *Ingemari Tuonis* de II. pund.
Item *Magiſtri Johannis Adæ* de I. pund.
Item Domini *Andreæ* Præpoſiti de 1½ pund.
Item Domini *Laurentii* Decani de I. pund.
Item Dominorum *Petri Oplending, Torkilli* & *Clementis* de IIII. ſol. groſſor.
Item Domini *Jacobi Falſter* de IIII. pund.
Item Domini *Johannis Hennichini* Præpoſiti de 1½ pund.
Item *Petri Wyenſſön* de II. ſol. groſſor.

Anniuerſaria Diſtributionum Anno MCDLIX.

Primo Domini *Olaui Pant* de III. ſol. groſſor.
Item Domini *Olaui Byörnſſön* de II. ſol. groſſor.
Item Domini *Woldemari* Regis de III. ſol. groſſ. nobis.
Item Domini *Henrici* Epiſcopi de II. ſolidis groſſ.
Item Domini *Laurentii Elaui* canonici de II. ſol. groſſ.
Item die ſancti Thomæ apoſtoli ſolvit idem anniuerſarium Domini *Trugilli* canonici de II. ſol. groſſ.
Item Dominæ *Margaretæ* Reginæ de III. ſol. groſſ. nobis.
Item fundatoris *Capellæ ſancti Andreæ* de II. ſol. groſſ.
Item *Nicolai Grüs* de II. ſol. groſſor.
Item Domini *Johannis Boſſön* de II. ſol. groſſ.
Item Anno Domini MCDLX. craſtino beatæ *Gertrudis* virginis ſolvit idem anniuerſarium Magiſtri *Hemmingi* de II. ſol. groſſ.
Item Domini *Bundonis* de II. ſol. groſſ.
Item *Petri Wœdher* de II. ſol. groſſ.
Item *Marinæ Wenſtermands* de II. ſol. groſſ.
Item *Joſep Magni* militis de II. ſol. groſſ.
Item Domini *Nicolai* Epiſcopi de II. ſol. groſſ.
Item Domini *Effrardi Kraghe* canonici de II. ſol. groſſ.
Item *Joſeph Johannis* de II. ſol. groſſ.
Item Domini *Jacobi Petri* de II. ſol. groſſ.
Item parentum *Andreæ Petri* de Ellinge de II. ſol. groſſ.
Item Domini *Mathiæ Canick* de VIII. ſol. groſſ.
Item Domini *Johannis Petri* archidiaconi de III. ſol. groſſ.
Item Domini *Jacobi* Epiſcopi Aſloenſis de I. marca argenti.
Item *Nicolai Hinrici* de Ramlöſe de VIII. ſol. groſſ.
Item *Aſceri Simplex* de II. ſol. groſſ.
Item Domini *Johannis Tydebergh* de II. ſol. groſſ.

Item

Item Domini *Nicolai* archiep. Lund. de II. ſol. groſſ.
Item Domini *Tordonis* archidiaconi de II. ſol. groſſ.
Item *Bertoldi Mwcke* de II. ſol. groſſ.
Item feria ſexta ante Palmarum ſolvit idem anniuerſarium Domini *Johannis Hind* Epiſcopi de XI. ſolidis groſſor. cum I. ſol. Lubec.
Item Domini *Criſtierni* Epiſcopi Ripenſis de II. ſol. groſſor.
Item feria ſexta ante Viti & Modeſti ſolvit idem anniverſarium *Jacobi Petri* & *Luciæ* vxoris ſuæ de 5½ ſol. groſſ.
Item Domini *Johannis Brynichini* cantoris de I. marca arg.
Item *Waldemari* Regis de III. ſol. groſſ. nobis.
Item Domini *Johannis Andreæ* militis de IIII. ſol. groſſ. nobis.
Item *Martini Jacobi* de III. ſol. groſſ. nobis.
Item Domini *Sigeri* canonici de 5½ ſol. groſſ.
Item Domini *Nicolai Tuconis* de II. ſol. groſſ.
Item Dominæ *Ingeburgis* de II. ſol. groſſ.
Item *Nicolai Herlugſſon* de II. ſol. groſſor.
Item *Johannis Nicolai* proconſulis de III. ſol. groſſ.
Item feria ſexta quatuor temporum poſt feſtum exaltationis ſanctæ Crucis, ſolvit idem anniuerſarium Dominorum *Tidemanni* & *Jacobi Johannis* de 2½ ſol. groſſ.
Item Domini *Haquini Tulonis* de XV. groſſis & *Tuconis Bagher* de XX. groſſis.
Item *Johannis Petri* Sacriſtæ & *Haquini Tulonis* de XVIII. groſſis & XVI. groſſis.
Item *Criſtinæ Hintzes* de 2½ ſol. groſſ.
Item *Criſtinæ Steghs* de II. ſol. groſſ.
Item Domini *Nicolai Stenboo* de II. ſol. groſſ.
Item Domini *Suenonis* Regis de III. ſol. groſſ. nobis.
Item Domini *Abſalonis* militis de II. ſol. groſſ.
Item Domini *Hinrici* præpoſiti de IIII. ſol. groſſ. nobis.
Item *Boecii Jenſſön* de Alſlöff de II. ſol. groſſ.
Item Domini *Michaelis Clementis* de IIII. ſol. groſſ.
Item Domini *Johannis Andreæ* Epiſcopi de III. ſol. groſſ. nobis.
Item Domini *Johannis Grand* Epiſcopi de II. ſol. groſſ.
Item Marſcalci *Ludouici* de II. ſol. groſſ.
Item *Margaretæ Brunichini* de II. ſol. groſſ.
Item Domini *Michaelis* Cantoris de II. ſol. groſſ.
Item Domini *Gunnari* canonici de II. ſol. groſſ.
Item Domini *Clementis Clementis* de 3½ ſol. groſſ.
Item ſabbato ſequenti ſolvit idem anniuerſarium Domini *Johannis Glumſyö* & Domini *Johannis Petri* Sacriſtæ de IIII. ſol. groſſ.
Item *Sigeri Dondeman* & *Petri Strangeſön* de IIII. ſol. groſſ.
Item *Kanuti Nicolai* & *Nicolai Kanuti* de II. ſol. groſſ.
Item *Johannis Palnonis* de II. ſol. groſſ.
Item *Magiſtri Martini* canonici de II. ſol. groſſ.
Item Domini *Jonæ Litle* militis de II. ſol. groſſ.
Item ſolvit anniuerſarium de reſtantibus feria quinta ante Thomæ, primo *Criſtinæ Pilemands* de II. ſol. groſſ.

Item

Item Dominæ *Ydæ* de I. marca argenti.
Item benefactorum de II. ſol. groſſ.
Item benefactorum de II. ſol. groſſ.
Item benefactorum de VI. ſol. groſſ.
Item Domini *Abrahæ* militis de II. ſol. groſſ.
Item Anno Domini MCDLX. primo, ſolvit de reſtantiis infraſcripta anniuerſaria, primo Domini *Nicolai Lagonis* canonici de I. marca argenti.
Item Domini *Andreæ Nicolai* militis de III. ſol. groſſ. nobis.
Item Domini *Andreæ Gerekini* canonici de II. ſol. groſſ.
Item Domini *Chriſtoferi* Ducis de I. marca argenti.
Item Domini *Petri Stegh* de II. ſol. groſſ.
Item *Luciæ Tyghes* de II. ſol. groſſ.
Item Domini *Johannis Kragh* de II. ſol. groſſ.
Soluit totum iſtius anni.

Ordo Canonicorum Roſkildenſium ſecundum ſenium in toto Anno Domini MCDLX.

Decanus.
Præpoſitus . . . . . Domini Esberni.
Archidyaconus . . . . { Domini Johannis Brogſtorp. / Domini Johannis Johannis.
Cantor . . . . . Laurentii Nicolai.
Sweno.
Olauus Boſſön.
Laurentius Olaui . . . Johannis Tiderici.
Johannes Syvndonis . . Olaui Johannis.
Trugotus Haſſ.
Tuco Johannis . . . . Trugoti Haſſ.
Jacobus Petri.
Johannes Tiderici.
Michael Johannis.
Nicolaus Bonde.
Petrus Hemmingi.
Laurentius Nicolai.
Laurentius Petri.
Johannes Myndell.
Criſtoferus Johannis.
Laurentius Mathei.
Johannes Broghſtorp.
Johannes Olaui.
Johannes Nicolai . . . Sex præbendarum.
Johannes Johannis.
Johannes Jonæ.
Johannes Petri.
Olauus Johannis.

Esbernus

Esbernus Petri.
Johannes Torkilli.
Oddo Johannis.
Daniel.
Gregorius Tiderici.

Præpunctati ſunt proteſtati ipſo die beati Mauricii & ſociorum eius.

Infraſcripti receperunt libros a Capitulo Anno Domini MCDLX.

Decanus habet Decretales, Sextum, Clementinas, gloſam decreti, Boech ſuper quarto & quinto Decretalium, & partem Paſſionarii.

Cantor habet Paſſionarium in duobus Voluminibus.

Laurentius Olaui habet Pſalterium gloſatum in duobus Voluminibus; Sermones Jacobi de Voragine, Diſtinctiones Gorram, Manipulum florum, XII. Prophetas minores, Bibliam maiorem, Concordantias maiores, Compendium pauperis, Decretum, Digeſtum vetus, Digeſtum novum, Codices, Boech ſuper 3um Decretalium.

Johannes Syndonis habet Repertorium Juris, Caſus Decretorum, Librum autenticorum, Decretales, cum Sexto in uno Volumine, & Paſſionarium in duobus Voluminibus, item Quæſtiones Dominicales Barto. Sex.

Tuco Johannis habet Speculum judiciale, Decretales, Inſtituta & Proprietates rerum. Item Pſalterium gloſatum.

Laurentius Petri habet libros ſententiarum, quæſtiones ſuper eisdem, Librum de forma, item Lilium.

Johannes Jonæ habet Librum ſententiarum, breves ſermones de dominicis & de ſanctis, Epiſtolas Pauli, Bibliam, Nicolaum de Lira, manipulum florum, item Librum de diverſis ſermonibus in papiro.

Esbernus habet aliquos libros in jure, pro quibus poſuit cautionem, videlicet Decretales, Sextum, & Clementinas.

Archidyaconus habet Decretales.

Johannes Olaui habet Decretales, Decretum, Sextum, & Clementinas.

Olauus Boecii Platearium, Tabula Salerni.

Johannes Torkilli habet Bibliam, Scolaſticam hiſtoriam, Concordantias maiores.

Præpoſitus habet Speculum judiciale.

Anno Domini MCDLX., circa feſtum Mauricii, facta computatione per Magiſtrum Laurentium Briſkow, tenetur ipſe calculo in XV. marcis argenti cum VIII. groſſis.

Item tenetur idem de XIIII. anniuerſariis iſto anno & anniuerſarium Domini Nicolai Lagonis de priori anno.

Anno Domini MCDLXI. feria quinta proxima ante feſtum apoſtolorum Philippi & Jacobi, ſolvit de XV. ſeptimanis, videlicet Olaui Johannis, Johannis Torkilli, Magiſtri Johannis, Laurentii Olaui, Tuconis Johannis, Michaelis Johannis, Nicolai Bonde, Petri Hemmingi, Laurentii Petri, Johannis Ni-

colai, Oddonis Johannis, Gregorii Tiderici, Johannis Syndonis, Johannis Myndell, Laurentii Mathei, Johannis Olaui, & Johannis Jonæ.

Item vigilia beati Jacobi ſolvit idem de XII. ſeptimanis, videlicet Olaui Johannis, Johannis Torkilli, Magni Johannis, Laurentii Olaui, Tuconis, Michaelis, Nicolai Bonde, Petri Hemmingi, Laurentii Petri, Johannis Nicolai, Oddonis Johannis, & Gregorii Tiderici.

Item feria ſexta quatuor temporum ante *Michaelis, ſoluit idem de octo* ſeptimanis, videlicet Johannis Syndonis, Jacobi Petri, Johannis Myndel, Laurentii Briſkow, Johannis Olaui, Johannis Jonæ, Olaui Johannis, & Johannis *Torkilli.*

Item die beati Briccii ſoluit idem de octo ſeptimanis, videlicet Magni Johannis, Laurentii Olaui, Tuconis, Michaelis, Nicolai Bonde, Petri Hemmingi, Laurentii Petri, & Johannis Nicolai.

Item anno ſeqventi, die beati Gregorii, ſolvit idem de VII. ſeptimanis, videlicet, Oddonis, Gregorii, Johannis Syndonis, Jacobi Petri, Johannis Myndell, Laurencii Briſkow, & Johannis Olaui, & ſic ſoluit totum Nicolaus Bonde.

Anno Domini MCDLXI. vigilia beati Jacobi apoſtoli, ſoluit Laurentius Mathie ſex menſes, videl. Januarium, Februarium, Martium, Aprilem, Majum, & Junium.

Item feria ſexta quatuor temporum ante Michaelis, ſolvit menſem Julium. Item feria ſexta ante Luciæ ſoluit idem menſes Auguſtum, Septembrem, Octobrem & Nouembrem. Item anno ſeqventi die beati Gregorii, ſoluit idem menſem Decembrem, & ſic ſoluerat omnes menſes iſtius anni.

CCXXIII.

Atteſtationes in cauſa Decimarum Slauloſienſium 1466.

Ex originali chartaceo Roeſkildenſi, manu *Langebekii.*

Dicta ſeu Atteſtationes teſtamenti cauſa Decimarum predialium Slauloſienſium per nos, fratrem *Johannem Brwn* Priorem Ordinis ſancti Johannis Iheroſolimitani in Antwordſkow, & *Nicolaum Smoylwndh* Rectorem parrochialis *eccleſie beate Marie virginis* ibidem, pro parte diſcretorum virorum tutorum *eccleſie ſancti Michaelis* productorum in forma juris juratorum ac diligenter ſeorſim & diuiſim examinatorum, Anno Domini MCDLXVI. feria ſexta proxima ante dominicam Palmarum, in eccleſia *Antwordſkow,* quilibet dictorum teſtium in preſentia vtriusque partis productorum ſecrete examinatus, depoſuit, prout ſequitur.

Primo *Johannes Öörn* teſtis juratus, etatis LVI. annorum & vltra, Conſul Slauloſienſis, medio ſuo juramento depoſuit, quod ſcit & recordatur, quod ſunt XXVIII. anni elapſi, quod fuit interrupcio ſuper eiusmodi decimis preſcribendis, nam Dominus *Olauus Johannis* Vicecuratus eccleſie ſancti Michaelis &

Dominus

Dominus *Mathias Mathie* Rector parrochialis ecclesie sancti Petri contendebant in Synodo generali Roskildensi super huiusmodi decimis prouenientibus de agris & *prediis in Frwerlöcke. Ac postea fuit contentio super eisdem decimis inter* Dominum *Kanutum Marquardi* tunc Vicarium in ecclesia sancti Michaelis & Dominum *Nicolaum Laurentii* tunc Capellanum ad sanctum Petrum, & tutores ecclesie sancti Michaelis & inter eundem Dominum *Nicolaum Laurencii,* tam in placito ciuitatis & ciuili, quam coram Reuerendo patre, moderno Episcopo Roskildensi, tunc Preposito.

Item secundus testis similiter juratus, videlicet *Boo Bagher* ciuis Slaulosiensis, etatis sue LXVI. annorum & vltra, medio suo juramento deposuit, vt sequitur, quod scit & recordatur, quod facta fuit interruptio, videlicet *yyldh och kœrth* de supradictis Decimis, etiam per *Petrum Torchilli,* tunc tutorem ecclesie sancti Michaelis, etiam videlicet ante LII. annos in placito ciuili.

Item tertius testis similiter juratus, videlicet *Henningus Gridhestööber,* Consul Slaulosiensis, etatis sue LX. annorum & vltra, deposuit & dixit, se scire & recordari, quod ante XXX. annos Dominus *Olauus Johannis* pie memorie tunc Vicecuratus in ecclesia sancti Michaelis tunc exigebat huiusmodi decimas, super quibus modo litigatur, ab eodem Henningo Gridhestöber, qui illo tempore habebat huiusmodi agros in Frverlöcke & predia conductiue a Domino *Mathia Mathie* supradicto, sed vtrum Dominus *Olauus* habuit aut non, testis dixit, se non recordari, & postea dictus Henningus factus tutor ecclesie sancti Michaelis, quesiuit a Domino *Olauo Johannis,* an habuit huiusmodi decimas vel non, dixit & respondit Dominum *Mathiam* & se mutuo inuicem fore contentos pro tempore.

Item quartus testis *Jes Mattiffon* ciuis Slaulosiensis, etatis sue quinquaginta annorum, medio suo juramento deposuit, quod audiuit interruptionem fieri in placito ciuili super huiusmodi decimis ante XI. annos & ultra per tutores ecclesie sancti Michaelis.

Item quintus testis juratus, videlicet *Tulæ* Consul Slaulosiensis, etatis sue quinquaginta annorum, ex relatione aliorum fidedignorum virorum interruptionem audiuerat fieri ante XXX. annos super predictis decimis, videlicet *yldh och kœrth.*

Item sextus testis, *Jes Hallelöff,* Consul Slaulosiensis, etatis quinquaginta annorum & vltra, medio suo juramento dixit se scire, quod ante X. annos facta fuit interruptio, videlicet *ildh och kœrth,* in placito ciuili, & in computatione ecclesie per tutores ecclesie sancti Michaelis super dictis decimis.

Item septimus testis, videlicet *Gerechinus* Proconsul Slaulosiensis, etatis quinquaginta annorum, deposuit medio juramento, quod audiuit in placito ciuili & in computatione ecclesie interruptionem & contentionem fuisse factas ante quinque annos super huiusmodi decimis.

Item octauus testis, Dominus *Nicolaus Laurentii,* medio suo juramento deposuit, fideliter exoratus, quod facta fuit interruptio super huiusmodi decimis diu antequam ipse habuit parrochiam sancti Petri ministrandam, sed postquam ipse presedit & prefuit ecclesie sancti Petri, & illo tempore multis vicibus fuit contentio inter ipsum & tutores ecclesie sancti Petri super huiusmodi decimis. Tandem dicti tutores dimiserunt dicto Domino *Nicolao* huiusmodi decimas ad tempus possidere, ad instantiam tamen & rogatum Reuerendi patris Domini *Olaui Martini,* moderni Episcopi Roskildensis, protunc Prepositi Roskildensis.

Item nonus teſtis, videlicet *Petrus Torchilli*, Conſul Slauloſienſis, medio juramento depoſuit, quod recordatur & ſcit, quod ante XXVI. annos elapſos fuit controuerſia inter Dominum *Mathiam Mathie* & Dominum *Olauum Johannis* ſuper huiusmodi decimis, & reclamatio facta, videlicet *illeth och kœrth*, & cauſa ventilata fuit coram Reuerendo Domino *Olauo Martini*, moderno Epiſcopo Roſkildenſi, protunc Prepoſito indeciſa reclamatione.

Item decimus teſtis, videlicet *Gerlow Hennickeſſön*, depoſuit, quod recordatur & ſcit, quod fuit exclamatum in placito ciuitatis ante XXIIII. annos, & etiam poſtea, viua voce, temporibus aliorum tutorum, videlicet *Petri Torchilli*, & aliorum predeceſſorum &c.

CCXXIV.

Auguſtini Dathi Orationes binæ, quibus Rex Daniæ *Chriſtianus* I. Senatus Senenſis nomine exceptus eſt.

Orationes hæ, *Chriſtiano* I. dictæ, ab *Auguſtino Datho*, inſertæ ſunt Operibus ejus impreſſis Senis ex archetypo per Symionem Nicolai Nardi anno ſalutis MDIII. pag. 96, in repetita vero editione Venetiis MDXVI. pag. 78.

Auguſtini Dathi Oratio LXV, quum Senenſis nomine Reipublicæ viſit ac ſalutauit una cum nonnullis aliis ciuibus ornatiſſimis Daciæ Regem Romam ad ſacra Apoſtolorum Petri ac Pauli adoranda limina uenientem.

Salue Rex ſereniſſime atque illuſtriſſime princeps, ueniunt hi ciues, patres mei, iuſſi & miſſi a noſtris magnificis Dominis & excelſis huius ciuitatis Magiſtratibus, quorum nomine hæc mandata ſunt nobis apud tuam ſereniſſimam Maieſtatem. Hæc ciuitas & Senenſis populus plurimum diligit & magno amore complectitur inter fideles populos clariſſima regna Daciæ, Suetiæ ac Nouergiæ & finitimos eis ac circum adiacentes populos. Tuam autem inclytam Maieſtatem, illorum principem chatholicæ fidei & chriſtianæ religionis ſtudioſiſſimum, colit, reueretur ac magno honore proſequitur, nec minore affectu, quod longiore disiunctione locorum diſtare uideatur. Quoniam etiam intima quæque & remotiſſima regna & ultimas terrarum regiones penetrat charitas & pertingit beniuolentiæ magnitudo; igitur propter regnorum ſplendorem, propter ſummam uirtutis, ſapientiæ, religionis magnitudinem, laudem & amplitudinem, propter fidei chriſtianæ ſeruorem inſidet glorioſum nomen tuæ maieſtatis in ciuium noſtrorum præcordiis, in omnium Senenſium pectoribus. Quare noſtri Magnifici atque excelſi domini, tota ciuitas & uniuerſus Senenſium populus ualde lætantur, & gaudent tuæ Serenitatis aduentu & optatiſſimo eius per noſtram urbem tranſitu. Gratulantur tuæ Maieſtatis foelicitati, præſentiam eius gratiſſimam ac iucundiſſimam uenerantur. Statum huius reipublicæ, facultates ac fortunas huius ciuitatis celſitudini tuæ paratiſſimas offerunt, & ad eius obſequium ubique ac ſemper uere propenſas. Et cum ad ſancta beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli limina, & ad ſacroſanctam Apoſtolicam ſedem & Romanam urbem tua proficiſcatur Maieſtas, precamur optimi Dei ſublimitatem, ut acceſſum, moram ac reditum foeliciſſimum largiatur

cum

cum augumento ſoelicitatis & gloriæ. Sed alia multa, quæ dicenda erant, pro amoris abundantia & reuerentia debito, horum patrum ſapientia & facundia, quæ multo maior eſt, poterit copioſius explicare & abunde ſupplere. Commendamus nos omnes tuæ illuſtriſſimæ ac ſereniſſimæ Maieſtati, quam clementiſſimus Deus ad proſpera cuncta fortunare dignetur. Erunt Senenſes tuæ Maieſtatis optimi ſemper ac deuotiſſimi filii. Dixi.

Auguſtini Dathi Oratio LXVI. ad eundum Regem Roma redeuntem ad proprios lares.

Magnificant noſtri Magiſtratus & populus noſter tuam, Rex ſereniſſime, Maieſtatem. Senenſes omnes gloriam regni tui dicunt. Præclarum tuæ Serenitatis nomen inſidet, & in intimis noſtris uerſatur pectoribus. Quare tuam ueneramur Maieſtatem humiliter ſalutantes, gratiſſimo eius lætamur aſpectu. A ſanctis Apoſtolorum liminibus redeunti ſoeliciter gratulamur. Proſperum ad ſua clariſſima Regna & optamus & præcamur regreſſum. Hanc ciuitatem et ſtatum eius tuæ Maieſtati deuotiſſime commendamus. Eius facultates ac fortunas omnes tuo pollicemur obſequio, & parata ciuium corda & omnium Senenſium mentes ubique & ſemper tuæ promptiſſimas uoluntati. Exiſtimantes & certo perſuadentes nobis, te Regem piiſſimum fideli corde, & magno atque excelſo animo, & conſtanti propoſito ſanctam Chriſti religionem tueri, catholicæ eccleſiæ augere dignitatem, & gloriam & ſimul noſtram paterno affectu amore rempublicam. Proſperum iter eſto Maieſtati tuæ, & Angelo duce ſoelix quæſumus regrediaris in patriam, ubi longo & beato æuo fruaris. Sit iterum ſoelix tua Maieſtas, quam exultantibus animis præſentem intuemur & abſentem. Dixi.

CCXXV.

Academiæ Hafnienſis Leges ab Archiepiſcopo Lundenſi Johanne Broſtorp ſancitæ, cum aliis nonnullis huc facientibus.

Hæcce Univerſitatis Hafnienſis antiquiſſima Statuta, quorum nec in *A. Thura Academiæ Hafnienſis Infantia* nec in *Pontoppidani Annalibus eccleſiaſticis* ulla fit mentio, extant in Codice membranaco, olim in bibliotheca inclyti *Jani Roſencrantzii* aſſervato, cujus libri manuſcripti, poſt obitum ejus, maximam partem, in poſſeſſionem *Arnæ Magnæi* tranſeuntes, dein cum reliquis hujus manuſcriptis, bibliothecæ noſtræ Univerſitatis donati ſunt. Hicce Codex, viginti tribus foliis forma qvarta conſtans, ſine dubio exaratus eſt ante exitum Seculi XVti. Ligaturæ veteri manus, codici coætanea, hunc titulum, vetuſtate fere obliteratum, inſcripſit: *Liber Statutorum Alme Vniuerſitatis Studii Haffne(nsis)*. Præmiſſis in tribus paginis, libro generationis J. Chr. in una pagina figura Servatoris crucifixi (quæ omnia hic omittimus), & pag. 5-7 *Juramentis* hic inſertis (qvibus accedit pag. 46 manu recentiori *Juramen-*

Juramentum Theologi) leguntur *Statuta Univerſitatis* Anno 1479 promulgata pag. 8-34. Pag. 42 extat ordinatio A. 1481 de novi Rectoris electione. Duo folia membranea, Codici poſterius adſuta, manu recentiori exhibent ſtatuta de novi Rectoris electione; decretum A. 1497 de miſſa pro memoria benefactorum Univerſitatis, nec non Catalogum librorum, qvos Univerſitati donaverat ejusdem Vice-Cancellarius *Petrus Alberti*. Nonnullos horum Statutorum Articulos *Abr. Kallius* h. m. Progr. in Annuam magiſtratus Academici mutationem, A. 1776, inſeruit; integra vero ſtatuta, qvæ, ex aliis ejusdem Archiepiſcopi literis, ante IV. Cal. Dec. promulgata eſſe conjectavit, cum Viro S. R. *Frid. Müntero* communicavit, cujus opera in Collectione; *Magazin für Kirchengeschichte und Kirchenrecht des Nordens* Tom. I. pag. 350-73, publici juris facta ſunt. Errarunt autem viri doctiſſimi, dum Codicem, ex qvo hæc Statuta deſumta erant, a Codice Roſencrantzio, de qvo hic verba fecimus, & cujus exſcriptum manu *A. Magnæi* in *Collectaneis Bartholinanis* Tom. K pag. 217-39 in Bibliotheca Univerſitatis Hafnienſis reperitur, diverſum eſſe ſtatuerunt; cum revera uterqve unus idemqve ſit. Tam Statuta qvam reliqva, partim ex dicto Apographo *A. Magnæi* cum Codice originali collato, partim ex hoc ipſo deſcripta, hic exhibetur.

a.

Juramenta intitulandorum.

Ego N. juro, quod obſervabo jura, privilegia, libertates, ſtatuta, ordinationes & conſuetudines laudabiles Alme Vniverſitatis huius generalis ſtudii Haffnenſis ad quemcunque ſtatum devenero.

Secundo juro, quod obſervabo pacem, tranquillitatem & concordiam dicti ſtudii in ſe ſuis facultatibus & membris ſub regimine & obedientia vnius Rectoris.

Tertio juro, quod dicte Vniverſitati & rectori pro tempore exiſtenti in licitis & honeſtis parebo & obediam ac honorem debitum impendam. Sic Deus me adiuuet & hec ſancta Dei euangelia.

b.

Juramenta Jurancium ad eligendum nouum Rectorem.

Primo quod nullam facultatem ſpernent aut aliquam alteri præponant aut aliquam quacunque affectione excludant, nec aliquam conuencionem fecerint de et ſuper certa perſona eligenda.

Item quod eligent ſecundum ſuas conſciencias vnum ſuppoſitum cuiuscunque facultatis fuerit quod ipſis videbitur magis idoneum ad Rectoriam. Eo ſaluo quod idem ſuppoſitum non grauetur ſepius hoc officio preter ſuam voluntatem.

Juramenta Rectoris preſtanda ſtatim poſt eius electionem.

Primo quod fideliter et diligenter exercebit officium ſuum iuxta ſtatuta Vniuerſitatis deſuper ordinata et alias prout melius nouerit expedire.

Item quod huiusmodi ſtatuta eodem die uel ſequenti attente perlegere non omittet.

Juramenta volencium habere teſtimonium Rectoris ad habendum mandata iudicialia a conſeruatoribus priuilegiorum.

Primo quod intendat remanere in ſtudio.

Secundo quod credant ſe habere iuſtam cauſam.

Tercio

Tercio quod non intemptent actionem dolo fraude uel per transportum.

Quarto quod non dabunt pro ſigillo conſeruatoris vltra taxum Vniverſitatis.

Juramenta primo veniencium ad congregacionem Vniuerſitatis aut alicujus facultatis.

Primo quod fideliter ad bonum et honorem Vniuerſitatis deliberabunt prout melius nouerint.

Secundo quod ſecreta Vniuerſitatis deliberata celanda non reuelabunt.

Juramenta Bedellorum.

Primo quod officia fideliter exercebunt.

Secundo quod ſecreta Vniuerſitatis aut facultatum uel Magiſtrorum ſi audierint, non reuelabunt.

Tercio quod magiſtris et Graduatis honorem ubique impendent prout decuerit.

Quarto quod non exigent a Magiſtris uel ſcolaribus munera inconſueta.

Juramenta Notarii Vniuerſitatis.

Primo quod fideliter et diligenter exercebit officium ſuum ad bonum et honorem Vniuerſitatis et suorum ſuppoſitorum et quod eorum ſecreta non reuelabit.

Secundo quod non ſcribet ſcienter pro abuſoribus priuilegiorum aut transgreſſoribus ſtatutorum.

Tercio quod ſtabit contentus in ſolario per Vniuerſitatem deputato et deputando nec aliquid amplius exiget uel recipiet niſi ſcienter et uoluntarie ſibi plus offeratur.

c.

Juramentum Theologi recipiendi et Profeſſorum.

Primo juro me per Dei gratiam fideliter et diligenter facturum officium in edificationem eccleſiæ Chriſti et honorem huius ſcholæ.

Secundo iuro me ſecreta Academiæ non proditurum aliis quibuscunque.

Tertio iuro me pacem et concordiam cum collegis meis et fratribus, quantum in me eſt, habiturum. Sic me Deus adiuuet.

d.

Academiæ Hafnienſis Statuta.

In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Amen. Quoniam prothoparens noſter humani generis propagator pariter & dampnator dum a ſummo rerum opifice in paradiſi voluptatibus cunctis rebus nuper creatis tanquam rex & Dominus præpoſitus fuiſſet, unicam ſibi conſtitutam legem, ne unius duntaxat arboris fetu veſceretur, transgreſſus erat, in tantam prolapſum eſt genus humanum calamitatem, ut non jam leges ſibi ipſis imponant, & mores, quibus vivant homines mortales, ferino magis atque beſtiali, qvam humano ritu, vitam agere in terris videantur, quo factum eſt, ut dum homo immortalis maturæ ætatis divina manu fabricatus, omnium rerum ſcientiis peculiariter illuſtratus, non in Elyſiis Campis, qvos

qvos apud inferos miratur Grecia, verum in delectabiliſſima paradiſi patria omni voluptatis genere ſuper effluenti civis præelectus, animalibus, ne dicam rebus cunctis, venerandus pariter & reverendus, unius ſolius fæminæ qvamvis ſpecioſiſſime uni verbo blando ſuccumbens ſupremi Dei, qvem ſolum ſe majorem noverat præceptum, proh nephas, contempneret, cæteri ſui poſteri ſuas per ejulatum pronoſticando miſerias, muliebrem uterum mortales, imbecilles, elingves, nil niſi flere noſcentes, nudi prorſus & miſerrimi exeant, cæcis ignorantiæ tenebris ſint obſiti, in hac infelici miſeriarum valle exules peregrinentur, multis animantium generibus odioſi mille ipſorum inſidiis impetantur, cæli atque elementorum rabioſa intemperie rapiantur, ac non modo divinis mandatis, quæ pro unica contempta lege multa data ſunt, ſi ab exilio in patriam beatorum reduci felices optaverint, obtemperare cogantur, verum etiam humanis legibus & moribus ſi viri boni & civiles in medio hominum verſari tute debeant alligari compellantur. Proh infelicem humanæ dignitatis ruinam. O excellentis creaturæ caſum indigniſſimum. O teterrimam præeminentis ſummi Dei ymaginis caliginem. O miſerrimam humanæ vitæ conditionem. Qvis niſi ſaxeus aut ferreus temperet a lacrimis, dum loci & dignitatis, ex quibus turpiſſime dejectus eſt, recordabitur. Profecto hinc factum erat, quod Moyſes Domini tam multiplices Leges, morales inquam, ceremoniales, & judiciales ex ore ſummi numinis receptas populo traderet Iſraelitico, Dracho, Minos, Licurgus, & Hermes Tremegiſtus Athenienſibus, Cretenſibus, Lacedemoniis & Egyptiis leges conderent immenſas, Numa Pompilius, Decemviri, Prætores, & cæteri magiſtratus, mox Imperatores, demum Jurisconſulti, infinitis pene legibus & conſtitutionibus orbem Romanum implerent. Certe Dominus noſter Iheſus Chriſtus ſummi patris ab æterno, glorioſæ Virginis Mariæ in carne, filius, qui genus humanum ſuo ſangvine ſanctiſſimo priſtinæ dignitati non omnimodo, ſed quantum ſua divina diſpoſuerat clementia, reſtituit, per quatuor evangeliſtas primum, mox per Petrum ſuum in terris vicarium, & cæteros Apoſtolos, demum per omnes Romanos Pontifices, Petri Succeſſores, Chriſtianum docuit populum, quibusnam moribus in hac erumpnoſa vita recte degendum foret. Verum quoniam natura novas ſemper edere formas deproperat, & multi in dies emergunt humani caſus, qui per juris communis tramites deciſi non ſunt, nec ſecundum ſingulas communitates quid quemlibet agere oporteret, vel a quibus abſtinere particulatim juris regulæ tradere potuerunt. Eo fit, quod plerumque in communitatibus vel conſvetudinibus vel ſtatutis & propriis conſtitutionibus regantur & ordinentur ſingula, ut nichil temere perperamque agatur. Nos itaque *Johannes* Dei gratia Archiepiſcopus ſanctæ Lundenſis Eccleſiæ, Sveciæ Primas atque Apoſtolicæ ſanctæ Sedis legatus, Almam Univerſitatem ſtudii generalis Hafnenſis, nuper noſtris conſenſu et auctoritate feliciter erectam, in dies divina agente clementia incrementum ſumere atque membris & ſuppoſitis multis, quod gaudentes referimus, habundare cernentes, eandem Univerſitatem juxta Sanctæ ſedis Apoſtolicæ commiſſionem nobis alias per literas ſuas bulla vera eius plumbea ſigillatas factam, ordinationibus & ſtatutis infraſcriptis de conſilio Magnifici Domini Rectoris pro tempore, & venerabilium Dominorum Doctorum, Licentiatorum & Magiſtrorum ejusdem ſæpedictæ Univerſitatis juratorum, munire & fundare aggredimur ad laudem & honorem ſanctæ & individuæ Trinitatis, intemeratæ & glorioſiſſimæ Virginis Mariæ, beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum, ac totius

cæleſtis

cæleſtis curiæ, in dicti regni Daciæ gloriam ampliſſimam, atque ipſius generalis ſtudii anteſati profectum & augmentum feliciſſimum Amen.

Summo ante omnia affectantes deſiderio, ut noſtra alma Univerſitas generalis ſtudii Hafnenſis, qvantum poſſibile erit, aliis generalibus ſtudiis non efficiatur in ſuis diſpoſitionibus inferior, & ad ſtatuta, ordinationes, mores & conſvetudines omnium aliorum ſtudiorum generalium reſpicientes de capite & Rectore Univerſitatis noſtræ, qvi Univerſitatis negotia adminiſtrare & ipſius cæteris membris præeſſe ſufficiat, qvando & quomodo eligi, ac qvaliter in officio ſuo ſe gerere debeat, præordinare curavimus.

Statuimus itaqve & ordinamus, novi Rectoris electionem bis in anno celebrandam fore, ita quod per ſex menſes vel circiter cuiuslibet duret rectoria. Una in Eccleſia beatæ Mariæ Virginis Hafnenſis in Kalendis Junii, quoniam hæc dies erectionis Univerſitatis noſtræ anniverſaria perpetua memoria recolenda erit, ſervabitur. Reliqva vero in Eccleſia Sancti Nicolai in ejusdem profeſto celebrabitur, ita tamen quod utroque die priusquam ad Eccleſiam congregentur, omnia membra jurata & intitulata per rectorem ſub pæna debita ad majores Scolas in unum convocentur, & ibidem coram ipſis hæc ſtatuta noſtra alta & clara voce perlegantur, qvatenus nullus ab eorum observatione per craſſam ignorantiam ſe valeat excuſare, quo peracto, Doctores, Magiſtri, & Scholares cum Domino Rectore honeſte & ordinate ad eccleſiam, in qua electio celebrabitur, procedant, miſſam, quæ ibi ad Univerſitatem fiet, cum ſermone latino, qvi ad Clerum Univerſitatis poſt finem illius miſſæ ordinabitur, audituri, & demum miſſa & ſermone finitis, ad electionem Rectoris novi in Dei nomine procedatur.

Item volumus & ſtatuimus, quod præter has duas miſſas locis & temporibus antedictis celebrandas, duæ aliæ cum ſuis ſermonibus latinis ad Univerſitatem in quolibet anno ordinentur, una in eccleſia ſancti Petri, in profeſto ejusdem ad vincula. Alia vero in Eccleſia ſancti Clementis in profeſto beati Lucii Papæ, quoniam hunc Roſkildenſis dioceſis, in qua Univerſitas noſtra fundata extat, patronum ſe habere recognoſcit, & tali die, quo miſſa & ſermo fiunt ad Univerſitatem, noluimus ab aliquo in quacunque facultate legi ordinarie.

Item ſtatuimus & ordinamus, quod tempore electionis novi rectoris quatuor intrantes, ex ſingulis facultatibus unus, ad eligendum Rectorem deputentur, qui antequam intrent conclave ad manus Rectoris ceſſuri jurabunt, quod nullam facultatem ſpernant, aut aliqvam alteri præponant, aut aliqvam quacunque affectione excludant*), ſed eligant ſecundum ſuas conſcientias unum ſuppoſitum, cuiuscunque facultatis fuerit, quod ipſis protunc ad Rectoriam magis ydoneum videbitur, ita tamen ordinando, quod rectoria non ſemper maneat in una facultate, ſed quod tranſeat ad ſuppoſita diverſarum facultatum, ſi reperiantur, prout intrantibus videbitur expedire, eo tamen ſalvo quod idem ſuppoſitum non gravetur ſæpius hoc officio præter ſuam voluntatem.

Item ſtatuimus & volumus, quod Rector noviter electus ſtatim juret publice ad manus Rectoris præcedentis in præſentia Magiſtrorum, quod fideliter & diligenter exercebit officium ſuum, juxta ſtatuta Univerſitatis deſuper ordinata

&

*) Addunt *Iuramenta* hiſce Statutis in codice Roſencrantziano præmiſſa, infra inferenda: nec aliquam conventionem fecerint de et ſuper certa perſona eligenda.

& alias prout melius noverit expedire, quodque huiusmodi ſtatuta eodem die vel ſeqventi attente perlegere non omittet.

Statuimus & ordinamus, quod officium Rectoris ſit, congregationes facere, articulos in congregatione per ſe diſtincte proponere, ex deliberationibus majoris & ſanioris partis, quid agendum ſit, concludere, & concluſum juxta conſilium deputatorum una cum eis perſonaliter exequi, & ea, quæ ad diuturnam rei memoriam pertinent, regiſtrare. Rurſum Rectoris ſit, tueri & conſervare privilegia & ſtatuta Univerſitatis, & juxta ipſa judicare juſte, & ſingulorum querelas, parvi ſicut magni, pauperis ſicut divitis, absque perſonarum acceptione, aut alia quacunque prava affectione coram ſe admittere, & plene judicare, & celeriter atque gratis juſtitiam facere. Abuſores privilegiorum & transgreſſores ſtatutorum per conſilium Univerſitatis corrigere, litteras privilegiales, & teſtimoniales, & huiusmodi, Magiſtris & Scolaribus nec non ſervitoribus Univerſitatis ſigillare, novitios intitulare, juramenta recipere, generaliter vero Rectoris ſit officium, curam & ſolicitudinem habere de omnibus, quæ faciunt ad augmentum ſtudii & profectum doctrinæ, ut illa diligenter pro poſſe & noſſe procuret, & contraria avertat atque excludat.

Statuimus & ordinamus, quod Rector Univerſitatis, dum Univerſitatis ſeu facultatis alicuius aut officii ſui gratia geſſerit negotia, in decenti & honeſto epitogio ac capucio ſuffoderato panno de vario in hyeme, vel panno ſericeo in eſtate, vel habitu Doctorali, aut Magiſtrali incedat, & habeat honeſtam comitivam & ad minus unum bedellum cum ſceptro procedentem, in aliis autem factis non ſpectantibus ad officium Rectoriæ rarius ſolito per vicos incedat & cum honeſtiori habitu, & cum ampliori comitiva, vel alias honeſtiori modo, qvam fecerit, anteqvam Rector eſſet.

Statuimus & ordinamus, quod Rector nullum pro tempore intitulet ſeu inſcribat in matricula ſeu regiſtro Univerſitatis, niſi ille intitulandus preſtet prius juramentum ad hoc inſtitutum, & pro ſua intitulatione nomine arrarum ſolvat mediam marcam Lubicenſem pro oneribus Rectoris & Univerſitatis ſublevandis, & unum ſolidum bedellis communibus, pauperibus duntaxat exceptis, ſalvo tamen, quod Rector, ſi ſibi id expedire videbitur, doctores & egregias perſonas noſtræ Univerſitatis membra fieri cupientes a ſolutione huiusmodi mediæ marcæ poterit ſupportare.

Statuimus & ordinamus, quod Rector nulli habere volenti judicialia mandata a Conſervatoribus Univerſitatis vel eorum ſubdeputatis ſeu altero eorundem det teſtimonium, niſi prius juret in manibus Rectoris, quod intendat remanere in ſtudio, & quod credat ſe habere juſtam cauſam, & quod nil intentet dolo, fraude, vel per transportum *).

Statuimus & volumus, quod Rector congregationem facturus, illam quatuor Decanis per bedellum die præcedenti inſinuet, mittendo cuilibet eorum articulos omnes in ſcriptis, ſuper quibus fienda erit congregatio, niſi factum celeriorem expeditionem requirat, quod diſcretioni Rectoris committimus, Decani vero vocati ulterius quilibet in ſua facultate convocent omnes ad congregationem pertinentes, illos videlicet, qui in ſua facultate promotionem aliquam receperint,

ac

*) Addunt *Juramenta*: quod non dabunt pro ſigillo conſervatoris ultra taxam Univerſitatis.

ac vice Doctoris ordinarie legerint hac ordinatione durante, donec Magiſtri & Doctores ſufficienter multiplicati fuerint, qvos tunc ſolos congregationem intrare permittimus.

Item volumus & ordinamus, quod congregationes fiant in certis expreſſis locis, quietis, patulis & honeſtis, præſertim Eccleſiaſticis commodis ut in Eccleſiis, quodque rector non multiplicet congregationes, præſertim ſuper parvis factis, Decanis quatuor facultatum inconſultis, & nequaquam convocet univerſitatem per juramentum ſine conſenſu ipſorum decanorum vel ſaltem duorum ex ipſis, *niſi ex tanta dilatione in negotio proponendo periculum immineret.*

Item ordinamus & ſtatuimus, quod rector & decani quatuor facultatum neminem ad deliberandum in congregatione Univerſitatis aut alicujus facultatis ſeu ad audiendum eorum ſecreta admittant, niſi fuerit intitulatus, & intitulatorum juramenta præſtiterit, jurabit nichilominus, priusquam admittatur, quod fideliter ad bonum & honorem Univerſitatis deliberet, nec ſecreta & per Univerſitatem aut facultatem ſuam deliberata celanda revelet, quæ juramenta omnes ad congregationem pertinentes in primo introitu ſuo præſtare tenebantur, ſalvo tamen, qvod viri prudentes non jurati ad præſtandum conſilia de communi conſenſu admitti poſſint, quando videretur expedire.

Statuimus & ordinamus, Univerſitatis congregatione ad certam horam facta per Dominum Rectorem pro tempore exiſtentem vel eius vices gerentem, idem Dominus Rector in principio eiusdem horæ proponat, dum tamen tres facultates ſint præſentes, quodque legitime vocatus poſt articulos propoſitos ſuper veniens vel totaliter ſe abſentans pœnæ trium ſolidorum Rectori & Univerſitati æqualiter applicandorum ſubjaceat, niſi rationabiliter ſe valeat excuſare.

Statuimus & volumus, quod modus deliberandi in Univerſitate ſit iſte, quod propoſitis modo conſveto articulis per Rectorem quatuor facultates vel tres earum ſi qvartam abeſſe contigerit, ſubtrahant ſe ad partes ſeorſum deliberaturæ, Rector vero ad ſuam accedat facultatem, vocem unius ſingularis ſuppoſiti duntaxat habiturus. Deliberationibus autem habitis, & facultatibus cum rectore collectis, quælibet facultas ſuam deliberationem per ejus Decanum ſeu locum tenentem referat in communi, incipiendo a facultate artium in facultate Theologiæ terminando, ſi vero in aliqva facultate unum duntaxat ſuppoſitum comparere contigerit, illam facultatem repræſentans, ſive Doctor, ſeu Magiſter, ſive Licentiatus vel baccalarius fuerit, in alia tamen facultate birretatus, & vice doctoris ſeu Magiſtri ordinarie legerit, ex tunc illud ſuppoſitum jungat ſe in deliberando alteri facultati, cui placeat. Si vero duo aut plura ſuppoſita alicuius facultatis ad congregationem pertinentia comparuerint, quorum unum duntaxat facultatem illam repræſentat, illa poſſunt per ſe deliberare, & ſuæ facultatis deliberationem reddere ſeu referre; Sin autem in aliqva facultate duo vel plura ſuppoſita comparuerint, quorum nullum facultatem ſuam repræſentat, utputa baccalarii extunc illa poterint ſe alteri facultati, cui placuerit, jungere, & cum illa deliberare, ſed per ſe nec deliberationem faciant nec reddant, durante hac ordinatione, donec doctores & magiſtri ſingularium facultatum ſufficienter multiplicentur, qvos tunc ſolos congregationem ingredi volumus.

Item ne fiat negligentia in executione negotiorum Univerſitatis ſtatuimus & ordinamus, quod decani deputati, bedelli & notarii, quibus rector pro tempore & qualitate indiget, vocati per eundem, absque dilatione compareant per

ſe vel per ſuos ſubſtitutos ydoneos ſub pæna ad arbitrium Rectoris & deputatorum comparentium infligenda & moderanda.

Item ordinamus & volumus, quod cum rectori executio alicuis negotii per Univerſitatem deliberati incumbit, quælibet facultas, ſi opus fuerit, deputet unum vel plura ſuppoſita ydonea ſecundum exigentiam negotii, & qvemcunque Rector & qvatuor decani vel major pars elegerint ad negotium ipſum apte & ordinate proponendum, ille ſine quacunque contradictione diligenter negotium, ubi opus fuerit, proponere curabit ſub poena excluſionis a congregationibus Univerſitatis per annum vel ſuſpenſionis a regentia per ſex menſes & unius marchæ argenti.

Item ſtatuimus, quod nullæ litteræ ſigillentur majori ſigillo Univerſitatis ſine conſenſu ipſius Univerſitatts, & minutæ earum per rectorem & decanos vel alium ſeu alios ad hoc ab Univerſitate deputandos viſitentur & examinentur, ac ſi opus fuerit, corrigantur, quæ quidem minutæ per correctionem ſignatæ in archa Univerſitatis reponantur, quodque pro huiusmodi ſigillatione non plus qvam dimidia marcha Lubicenſis exigatur a Rectore, niſi quis mere voluntarie plus dederit ſponte atque ſcienter. Similiter Rector pro cedula teſtimoniali conſervatoribus ſeu eorum loca tenentibus mittenda ad teſtificandum aliqvem eſſe de gremio Univerſitatis pro ſigillo ſuo mandatis conſervatorum apponendo, aut quocunque modo ipſum contigerit in utilitatem ac honeſtatem verorum ſuppoſitorum Univerſitatis ſigillare non plusquam dimidiam marcham Lubicenſem exigat niſi ſponte & ſcienter ſibi plus offeratur.

Item volumus & ſtatuimus, quod Rector non teſtificetur aliqvem eſſe Scolarem niſi habito prius teſtimonio ſui magiſtri vel doctoris, ſaltem per cedulam ejus ſigillo ſigillatam, qvam Rector recipiet & teneat durante officio ſuo a ſingulis doctoribus & magiſtris regentibus, ſintque ſigilla eorum in cartis impreſſa, ut eo melius a fraudibus abuſorum ſibi valeant præcavere.

Item ſtatuimus & ordinamus, quod Rector, tempore Rectoriæ ſuæ transacto, congregationem faciat ad novum Rectorem eligendum, modo quo ſupra ſtatutum eſt, & tempore, quo intrantes deliberant, legat publice coram aliis magiſtris ea quæ in ſua rectoria regiſtravit, deinde Rectoris noviter electi juramentum recipiat, illumque inveſtiat per traditionem ſigilli Rectoriæ & aliorum quæ habuerit pertinentium ad officium Rectoris, & quantocius poterit, ante lapſum duarum ſeptimanarum coram Rectore novo, ac quatuor decanis, & aliis regentibus ad hoc vocatis, computum faciat & rationem de omnibus in ſua Rectoria receptis & expoſitis, & ſi in aliquo obligatus remanſerit infra novem dies proxime ſubſequentes ſatisfaciat.

Sufficienter ut credimus circa Rectoris officium, quomodo Univerſitati præeſſe debeat, proviſo de facultatibus ſingulis ac Doctoribus & Magiſtris earum ordinare curabimus, ſtatuimus itaque & ordinamus, quod quælibet facultas diſponat de horis lectionum atque actuum ſuorum modo convenientiori, qvo fieri poſſit, ſine præjudicio alterius vel aliarum facultatum, & in principiis horarum, quibus fiendi intimantur actus ſcolaſtici inchoentur.

Statuimus & ordinamus, quod nulla ordinatio ſeu ſtatutum cuiuscunque facultatis habeat vim ſeu efficaciam ligandi, ſic qvod ad eius obſervantiam aliqvis obligetur, niſi poſtqvam per Univerſitatem legitime fuerit approbatum. Quodque nulla facultas ſtatutum approbatum per Univerſitatem poſſit ſine ejus ſcitu & expreſſo

expreſſo conſenſu revocare, nec valebit approbatio, niſi poſtquam in pergameno fideliter conſcripta tradatur Univerſitati ad eius archam communem reponenda.

Statuimus & ordinamus, quod non fiant conſpirationes vel partialitates ex conventione ſeu conventiones partiales unius vel plurium facultatum aut ſuorum ſuppoſitorum præſertim in factis ad Univerſitatem ſeu ad aliquam facultatem ſpectantibus, & maxime in electionibus faciendis ſive Rectoris Univerſitatis, ſive Decani vel receptoris alicuius facultatis, aut bedelli, ſcriptoris, vel notarii, aut cuiuscunque alterius officiantis nuntii ſindici, aut cuiuscunque alterius promotoris vel ſervitoris Univerſitatis aut alicuius facultatis ſeu in ipſorum aut alicuius eorum inſtitutione, conſtitutione ſeu deputatione, nec aliqvis vocem ſuam vendat nec arram promittat, & ſi aliqvis ambitioſe inſtare pro aliquo officio conſequendo vel pecunias vel quæcunque alia dona dediſſe vel promiſiſſe, aut alias colluſionem vel fraudem commiſiſſe repertus fuerit, inhabilis habeatur ad officium, pro quo indecenter laboravit.

Statuimus & ordinamus, quod ſi contingat in Univerſitate noſtra, aliqvem caſum emergere concernentem ſpecialiter unam facultatem ſe partem facientem, & ex cauſis rationabilibus ſtare judicio aliarum trium facultatum denegantem, protunc quotiens hoc contigerit ad vitandum diſſenſiones eligi debent & aſſumi tam ex parte Univerſitatis, quam etiam ex parte dictæ facultatis ſe partem facientis competentes arbitri ſeu diffinitores, qui cum deputato ſibi, ſi opus videbitur conſilio diſertorum virorum, etiamſi de familia domini noſtri regis ſereniſſimi fuerint, debebunt huiusmodi caſum infra certum terminum ipſis per Univerſitatem præfigendum via amicabili ſi poterint, alioquin ſecundum juris rigorem qvanto citius expedire. Quod ſi non fecerint illi duntaxat qui electi & aſſumpti fuerint de gremio noſtro habeant eandem poteſtatem huiusmodi negotium infra competens tempus ipſis per Univerſitatem deputandum terminandi. Quod ſi infra dictum tempus non expedierint eo ipſo iidem electi de gremio noſtro ſtabunt ſuſpenſi a privilegiis, libertatibus & commodis ſtudii noſtri qvousque caſum ſive negotium huiusmodi debite terminaverint, omni appellatione in præmiſſis penitus ceſſante, eo ſalvo quod omnes facultates poterint in alium modum huiusmodi emergentem caſum decidendi concordare ordinatione præmiſſa non obſtante.

Statuimus & ordinamus, quod nullus Magiſter, doctor, vel Scolaris detrahat alicui facultati, aut nulla facultas alteri vel aliis publice vel private, ſed ſit mutuus amor & favor inter qvatuor facultates ſine partialitate præjudiciali, quodqve nullus magiſtrorum vel doctorum detrahat alteri publice coram ſcolaribus vel aliis perſonis, ſed ad invicem amicabiliter & caritative ſine præjudiciis converſentur. Si autem contra præmiſſa aliqvis vel aliqvi diſcordias diviſionum conſpirationum aut partialitatum ſeminatores, auctores vel fautores reperti fuerint notabiliter culpabiles, quicunque ſtatim poſt monitionem decani ſuæ facultatis vel rectoris Univerſitatis non deſtiterit & ad arbitrium rectoris & quatuor decanorum vel maioris partis ipſorum juxta modum culpæ non ſatisfecerit, ſubjacebit poenæ trium marcharum argenti puri, & nichilominus, ſi enormitas facti requirat, a communione, honoribus, libertatibus & privilegiis Univerſitatis usque ad ſuæ gratiæ recuperationem ſecludatur.

Statuimus & ordinamus, quod nullus doctor vel magiſter admittatur ad aliqvam facultatem, ad legendum publice in ſcolis alicujus facultatis, niſi prius

ſit per rectorem intitulatus & ſi aliqvis contrarium facere præſumpſerit, nullus intitulatus illum audire præſumat, poſtquam fuerit per bedellum intimatum.

Statuimus & ordinamus, quod quilibet doctor, magiſter, licentiatus, baccalarius, vel ſcolaris ad ſtudium noſtrum Hafnenſe veniens ipſiusque membrum fieri & ejus libertatibus perfrui cupiens, præſentet ſe infra quindenam Rectori ipſius Univerſitatis & præſtet juramenta ſolita, & regiſtro ſtudii inſcribatur. Quodque nec aliquis ante huiusmodi intitulationem reputetur membrum Univerſitatis, nec gaudeat privilegiis, libertatibus vel commodis Univerſitatis, nec Scolaris acqvirat ſibi tempus*) in aliqua facultate, nec aliquis de gremio Univerſitatis non intitulatum, qvem ſciverit cauſa ſtudii Hafniam veniſſe hoſpitio teneat ultra quindenam, niſi ſe faciat intitulari, nec aliquis publice legat coram tali non intitulato cum ſibi præſentia illius inſinuata fuerit per bedellum, exceptis tamen fratribus quatuor ordinum mendicantium, quos non oportet intitulari, niſi cum fuerint ordinati ad legendum aut pro ſuis privatis uſibus voluerint gaudere privilegiis Univerſitatis.

Statuimus & ordinamus, quod nullus magiſter vel doctor teſtificet aliqvem eſſe ſuum Scolarem, niſi conſtet ſibi, quod ſine fraude aut fictione audierit & audiat continue lectiones ſuas prout veri ſtudentes facere conſveverunt.

Statuimus & ordinamus, quod quilibet magiſter, doctor, vel ſcolaris incedat in veſtibus clericalibus non inſciſis ſeu per particulas diſpendentibus non indecenter accurtatis, nec bipartitis aut ſtripatis, ſcacatis vel ſtragulatis, nec in caligis diverſorum colorum, nec cum torqvetibus aut fibulis vel aliis laicalibus ornamentis, neque truſoria vel alia arma publice deferant, nec poſt ſe deferri faciant, per hoc tamen prælatis & viris nobilibus neqvaqvam volumus præjudicare.

Statuimus & ordinamus, quod ſi contigerit aliqvem Doctorem vel Magiſtrum ſiue Licentiatum de gremio Univerſitatis exiſtentem vel etiam baccalarium actu legentem in aliqua facultate, de hac luce migrare, exequiæ ejus per Univerſitatem honeſte celebrabuntur, quibus omnia ſuppoſita noſtræ Univerſitatis intereſſe volumus, nec a quoquam die illo, quo exeqviæ ſervantur, ante prandium legatur.

Statuimus & ordinamus, quod omnes Doctores, Magiſtri & Scolares in miſſis & in exeqviis defunctorum per Univerſitatem ordinandis ac in ſermonibus latinis ad Univerſitatem fiendis, cum ſibi conſtiterit, debeant intereſſe, & offerre, nec in actibus ſcolaſticis illo tempore volumus quemquam occupari.

Statuimus & ordinamus, quod non fiant plures diſputationes magiſtrales eiusdem facultatis in una die, niſi cum diſpenſatione Rectoris & Decani facultatis eiusdem.

Statuimus & ordinamus, quod in diſputationibus publicis ſeu collationibus ſcolaſticis non agitentur magiſtri ac baccalarii proterviis ac convitiis, nec invicem immorigeratis verbis aut geſtibus ſe exprobrent & offendant.

Statuimus & volumus, quod nullus poſſit repetere publice, niſi ſit Doctor vel magiſter de gremio Univerſitatis, quodque nullus extraneus Doctor, magiſter

*) Cum, niſi qvodam statutoque tempore elapſo, nemini permittebatur in baccalaureum vel Magiſtrum promoveri, definitum hoc tempus ab intitulatione demum computari voluit. Sic qvoqve intelegi, quod infra dicitur: *qvod nullus possit simul acqvirere tempus in diversis facultatibus*, scil. eosdem annos aliter in censum haud venire, nisi quatenus uni tantum scientiæ, theologiæ, juris, medicinæ aut artium hi consecrantur. Ann. ad Progr. 1776.

giſter aut licentiatus admittatur ad repetendum ſine licentia facultatis, in qua intendit repetere. Si qvis autem contrarium fecerit, nullum ſuppoſitum Univerſitatis præſumat intereſſe.

Statuimus & ordinamus, quod nec doctores nec magiſtri nec bedelli permittant aliquem recipere inſignia doctoratus vel magiſterii nec licentiam, nec legere, nec facere aliqvem actum baccalariatus, niſi prius iuret ſollempniter, quod jura, privilegia, ſtatuta, ordinationes & conſvetudines laudabiles Univerſitatis Hafnenſis obſervabit, & bonum ipſius procurabit, ad quemcunque ſtatum devenerit, & quod ſecreta ejus non revelabit.

Statuimus & ordinamus, quod in diebus dominicis, feſtis duplicibus & aliis diebus non legibilibus per Univerſitatem inſtitutis aut inſtituendis, qui in ipſius Kalendario deſcribentur. Similiter in diebus, in quibus ſit vel miſſa vel ſermo ad Univerſitatem, nulli actus ſcolaſtici fiant per magiſtros aut doctores, ut publicæ diſputationes, repetitiones, inceptiones ſeu recommendationes baccalariorum & huiusmodi. Neque etiam legatur ordinarie niſi cum ſpeciali licentia ſuæ facultatis non absque rationabilibus cauſis obtinenda. Extraordinarie vero in diebus feſtivis duplicibus & dominicis ante prandium non legatur ſine licentia ſuæ facultatis, Nec præſumat aliquis baccalarius vel ſcolaris legere extraordinarie aliquem librum ordinarie legi in conſvetum ſine etiam licentia facultatis ſuæ. Quicunque vero ſcolaris his diebus non legibilibus lectiones ordinarias audierit vel ipſe extraordinarie horis non legibilibus vel librum ordinarie legi conſvetum legerit, non acqvirat ſibi tempus promotionis ad gradus talis facultatis, ſine diſpenſatione ſuæ facultatis, non absque legitima & rationabili cauſa impendenda.

Item ſtatuimus & ordinamus, quod nullus poſſit ſimul acqvirere tempus ad gradus in diverſis facultatibus.

Statuimus & ordinamus, quod nullus debet recipere aliquod mandatum jurisdictionis a conſervatoribus privilegiorum Univerſitatis vel eorum vices gerentibus vel aliquo eorundem niſi ſuper hoc habeat teſtimonium rectoris pro tempore exiſtentis, quod ipſe ſit talis, qvare merito huiusmodi privilegiis uti debeat & gaudere.

Statuimus & ordinamus, quod nullum ſuppoſitum univerſitatis trahat aliud ſuppoſitum in eadem reſidens ad forum alicuius conſervatoris univerſitatis vel eius vices gerentis extra muros ciuitatis Hafnenſis, quamdiu poterit illud in civitate ſecure convenire, & ſibi infra civitatem juſtitiæ via non præcluſa fuerit.

Statuimus & ordinamus, quod mandato per dominum Rectorem de miſſa Univerſitatis pro certa hora decantanda quodlibet univerſitatis ſuppoſitum non legitime impeditum, in loco præfixo eiusdem horæ principio compareat. Quod ſi aliquod univerſitatis ſuppoſitum tardaverit, vel ſe abſentaverit, aut ante finem miſſæ & ſermonis poſt miſſam fiendi exiverit, pœnæ trium ſolidorum irremiſibiliter exigendorum ſubjacebit.

Item quia cura nobis eſt maxima, ut quorundam pravorum & perverſorum ſcolarium noxiis appetitibus obviare comodoſe poſſemus, ſtatuimus & ordinamus, quod nullus præſumat ſupervenientes de novo ſcolares, qvos vulgo beanos vocant, indebitis executionibus gravare, verbis inhoneſtis impetere, aut alias injuriis vel contumeliis facto vel verbo inferendis moleſtare.

Statuimus & ordinamus, quod magiſtri & ſcolares diſcoli, indecentes habitus deferentes, bellicoſi, ebrioſi, noctivagi, lenocinantes, fures, tabernarum

& aliorum locorum ſetidorum freqventatores, taxillorum luſores, ſtatutorum & mandatorum Rectoris & univerſitatis contemptores, ſeu transgreſſores, privilegiorum abuſores inſolentes, & præcipue curialium & civium offenſores, & alia vitia conſimilia exercentes, unde plurimi ſcandalizantur, ſi non deſtiterint poſt monitionem competentem, per ſuſpenſionem a lectionibus vel retardationem a gradu, aut ſuſpenſionem ab uſu libertatum & privilegiorum ac commodorum univerſitatis per certum tempus juxta qvalitatem facti ad arbitrium rectoris & quatuor decanorum puniantur, & tandem incorrigibiles ab honoribus privilegiorum & conſortio membrorum univerſitatis penitus excludantur.

Statuimus & ordinamus, quod ſi magiſter vel ſcolaris curialem, ciuem aut incolam civitatis Hafnenſis vulneravit, aut alias læſerit caſualiter vel inconſulto calore, emendet, ſi culpabilis fuerit repertus, ad arbitrium rectoris & quatuor decanorum. Quod ſi diffinito conſilio & per inſidias per ſe vel alium, quod abſit, curialem vel civem aut incolam Hafnenſem ſeu membrum univerſitatis vulneraverit & enormiter læſerit aut hoſtia domorum effregerit, aut habitationibus hominum inſultus fecerit, aut mulieres violenter rapuerit, aut homines nocturno tempore invaſerit inſolenter, ipſo facto privatus ſit libertatibus & privilegiis univerſitatis, nec per ea defendatur, donec poſt emendam condignam Deo, univerſitati, & parti læſæ impenſam, gratiam univerſitatis mereatur obtinere.

Statuimus & ordinamus, quod ſi contigerit aliqvem magiſtrum vel ſcolarem propter delictum ſuum a communione vel honoribus univerſitatis uſu commodorum, libertatum aut privilegiorum ipſius univerſitatis ſuſpendi ad tempus vel ſimpliciter reſecari, nullus de univerſitate præſumat illi, durante huiusmodi poena, cohabitare, aut honorem priſtinum impendere, aut alias quovismodo, præſertim in actibus ſcolaſticis communicare ſeu participare, niſi in caſibus a jure permiſſis, qui vero contrarium fecerint, poſt monitionem competentem ſimilibus pænis puniantur.

Item quoniam univerſitas noſtra officiatis & ſervitoribus, quibus omnes univerſitates generalium ſtudiorum uti ſolent carere neqveat, ideoqve & de eorum diſpoſitionibus providere laboramus, ſtatuimus ergo & ordinamus, quod omnes & ſinguli officiati tam univerſitatis, quam ſingularum facultatum præſtent corporaliter ſua juramenta debita, anteqvam ſe de executione ſuorum officiorum intromittant.

Statuimus & ordinamus, quod bedelli anteqvam admittantur, jurent ad manum Rectoris juramentum intitulandorum, deinde jurent officium ſuum fideliter exercere, ſecreta univerſitatis & magiſtrorum ſi audierint non revelare, & eisdem honorem prout decet ubique impendere, & non exigere a magiſtris & ſcolaribus munera inconſveta, munera autem conſveta eſſe volumus, quæ ſingulæ facultates circa promotiones & gradus ſuos pro bedellis ordinaverint, præter quæ a quolibet ſuppoſito in ſingulis quatuor temporibus unum ſolidum erunt recepturi.

Statuimus & ordinamus, quod officium bedellorum ſit omni die ad minus ſemel rectorem viſitare & inqvirere, ſi indigeat eorum miniſterio, indilate mandatis rectoris parere, feſta & vacationes, lectiones, diſputationes & hujusmodi per ſcolas ordinarie legentium proclamare, congregationes fideliter intimare, rectores cum ſceptris honeſte conducere, & qvoscunqve venientes ad congregationem, qvos ſciverint non juraſſe, hos Rectori & Decanis revelare, & qvos non

intitulatos

intitulatos sciverint audiviſſe lectiones ultra quindenam, hos magiſtris, doctoribus, licentiatis, & baccalariis legentibus, ut coram illis non legant denunciare, & alia conſimilia facere, prout in studiis generalibus eſt conſvetum.

Statuimus & ordinamus, qvod nullus bedellus communis poſſit ſe abſentare extra civitatem per integrum diem ſine licentia rectoris, quodqve rector non poſſet illi dare licentiam abeſſendi ultra triduum ſine licentia qvatuor decanorum, qvod ſi aliter fuerit abſens, ſit officio ſuo privatus ipſo facto.

Statuimus & ordinamus, quod notarius univerſitatis præſtet juramentum intitulandorum, & quod fideliter & diligenter exercebit officium ſuum, ad bonum & honorem univerſitatis & ſuorum ſuppoſitorum, quodqve eorum ſecreta non revelabit, nec ſcribat ſcienter pro abuſoribus privilegiorum aut transgreſſoribus ſtatutorum, & ſtabit contentus in ſallario per univerſitatem deputando, nec aliqvod amplius exigat vel recipiat, niſi mere voluntarie & ſcienter ſibi plus offeratur.

e.

Ordinatio de novi Rectoris electione. 1481.

Anno Domini milleſimo quadringenteſimo octuageſimo 1° in profeſto ſancti Nicolai, Doctor *Petrus Alberti* vice domini doctoris *Erici* Decani Haffnenſis, tunc Rectoris, finita miſſa univerſitatis & ſermone latino fecit congregationem conſiliariorum Vniverſitatis, vt moris eſt, in qua congregatione continuatus fuit dominus doctor *Ericus* in Rectoratu & vnanimiter concluſum erat, quod de poſt deberet tantum ſemel in anno eligi Rector Vniuerſitatis, & hoc poſt miſſam Vniuerſitatis ad beatam virginem tertia feria penthecoſtes, qui manebit per illum annum integrum & non amplius pro illa vice.

f.

Hanc ordinationem inſecuta fuiſſe videtur mutatio ſtatuti de electione novi Rectoris ſupraſcripti, quam idem liber, in folio membraneo cæteris ſtatutis poſterius adſuto, talem repræſentat:

Statuimus & ordinamus, novi rectoris electionem ſemel in anno celebrandam, ſcilicet tertia feria pentecoſtes, quoniam hic dies erectionis Vniuerſitatis noſtre aniuerſaria perpetua memoria recolenda erit, ita tamen quod prius fiet miſſa Vniuerſitatis & ſermo latinus ad clerum *) Vniuerſitatis, quibus deinde finitis ad electionem novi rectoris in nomine dei procedatur.

Item ſtatuimus & volumus, quod Rector noviter electus infra quindenam a tempore ſue electionis die, quo conveniencius fieri poteſt, faciat per bedellum ſtatuta Vniuerſitatis legi alta & intelligibili voce coram omnibus, ne aliquis per ignorantiam eorundem ſe valeat excuſare.

Item ſtatuimus & ordinamus, quod preter hanc miſſam loco & tempore antedictis celebrandam tres alie cum ſuis ſermonibus latinis ad Vniuerſitatem quolibet anno ordinentur, prima in eccleſia ſancti Petri in profeſto eiusdem ad vincula, ſecunda vero in eccleſia ſancti Nicolai in profeſto ejusdem, tertia in eccleſia ſancti Clementis in profeſto beati Lucii Pape, qvoniam hunc Roſkildenſis diocefis, in qua Vniuerſitas noſtra fundata exſtat, patronum ſe habere recognoſcit,

*) "Clerum Univerſitatis" adscripsit *A. Magnæus.*

ſcit, & talibus diebus, quibus miſſa & ſermo fiunt ad Vniuerſitatem, nolumus ab aliquo in quacunque facultate legi ordinarie.

g.

Decretum A. 1497, *de benefactoribus Univerſitatis Haſnienſis, cum Catalogo librorum.*

Preterea ordinatum & ſtatutum eſt anno dominice incarnationis milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſeptimo, dominica infra octavas Johannis baptiſte, quod de cetero ſingulis annis poſt veſperas ante vigiliam Petri & Pauli Apoſtolorum fient vigilie in ſummo choro, in Eccleſia beate Marie virginis per Canonicos pro memoria domini doctoris *Petri Alberti* & amicorum eius, ſequenti vero die ſcilicet in vigilia predictorum Apoſtolorum faciet Vniuerſitas miſſas animarum celebrari in choro eiusdem Eccleſie, preſentibus omnibus ſuppoſitis univerſitatis & offerentibus pro memoria fundatorum & omnium benefactorum eiusdem Vniuerſitatis, pro qua quidem memoria facienda predictus *Petrus Alberti*, artium liberalium magiſter, decretorum doctor, medicinarum Licentiatus, huius civitatis Haffnenſis conſul, viginti quatuor volumina infraſcripta ad liberariam & uſum Vniuerſitatis prefate contulit.

Hos ſubſcriptos libros contulit doctor *Petrus Alberti* ad liberariam & uſum Vniuerſitatis.

Primo Decretum.
Item Decretales.
Item Sextus & Clementine.
Item Diſputationes Nicolai Siculi & conſilia quorundam doctorum.
Item Reportatorium Panormitani.
Item Caſus breves totius corporis legum.
Item Angelus ſuper inſtituta.
Item Margarita poetica.
Item liber Petri Candidi in libros Apiani.
Item Vocabularius Poetrie.
Item Dictionarius.
Item libri Auicenne.
Item queſtiones ſuper librum Auicenne in pergameno.
Item liber medicinalis notabilis in pergameno.
Item caſus longi Sexti & clementinarum.
Item Corona beate virginis.
Item Pyro ſuper Inſtitutiones.
Item lilium medicine.
Item textus veteris artis cum copulatis.
Item queſtiones Verſoris ſuper totam Logicam.
Item Textus Phiſicorum & de anima.
Item Textus totius nove Logice.
Item Queſtiones ſuper libros Phiſicorum & de anima.
Item Queſtiones ſuper tota logica.

CCXXVI.

Statuta Facultatis utriusque Juris, cum variis annotatis, ipsa Universitatis Hafnienſis primordia concernentibus.

Extant hæc omnia in Codice chartaceo, Manuſcriptorum Bibliothecæ Regiæ Hafnienſis antiqvioris Collectionis No. 3199, forma 4ta. Ex ipſis Statutis *Er. Nyerupius* b. m. nonnulla inſeruit libro: *Hiſtoriſk-ſtatiſtiſk Skildring af Tilſtanden i Danmark og Norge i ældre og nyere Tider*, Tom. II *(Udſigt over vort Fædrenelands Litteratur i Middelalderen)*, pag. 412-15.

Quoniam in omnibus maxima sunt Dei dona a ſuperna collata clemencia Sacerdocium et Imperium, illud quidem diuinis miniſtrans, hoc autem humanis preſidens: quibus tanquam duobus luminaribus ex uno eodemque principio procedentibus, in militanti eccleſia mirifice rutilantibus omnis humana exornatur vita. Quid enim pontificali auctoritate maius et sanctius, a qua canonica emanauit sapientia, quæ res diuinas bene diſponit pariter et humanas. Hec namque ſi bene intelligatur et ſcicitur, per eam tam ſpiritualia bene regi poſſunt quam temporalia. Imperiali vero celſitudine quid ſublimius quæ noctibus ſub equalitate dierum utens, quatenus ſubjecti sui illeſi ſeruentur ac ſollicitudine liberati ſub omni quiete conſiſtant, ciuilem diſponit prudenciam, que non permittit homines in paupertate viuere neque mori in anxietate. Hec ſunt itaque (canonica inquam ſapientia et legalis ſciencia) artes boni et equi omnium aliorum digniſſime, per quas noxius appetitus ſub certis juris limitibus refrenatur, juſticia in terra colitur, iniquitas expellitur, pax inter mortales conſeruatur et concordia, quæ alias extra mundi terminos exularet, reuocatur. Quis itaque niſi cecus prorſus et ignarus harum ſcienciarum non cernit preeminentem dignitatem, quibus mortales diſcunt juſticiam colere, alterum non ledere atque sua cuique jura ſeruare. Hiis equidem ſcienciis noſtram venerandam matrem Utriusque Juris facultatem cernentes innixam et ſuper ipſis veluti duabus columpnis ereis erectam pariter et fundatam, hoc ad effectum deducere feſtinamus, ut cum Juriſconſulto recte dicamus, Juſticiam columus, boni atque equi noticiam profitemur, equum ab iniquo ſeparantes, licitum ab illicito diſcernentes, bonos non ſolum metu penarum verum eciam premiorum quoque exhortatione efficere cupientes veram philosophiam non simulatam affectantes. Sed quis queſo illotus et immundus alium arguet de immundicia atque extraneis adhibere medicamina dignus judicabitur qui domi . . . . . finit putreſcere. Nemo profecto, dummodo inter homines non pecora vt aiunt verſabitur. Quare ut digni reddamur, qui tam magnam tamque ſanctam vtriusque juris facultatem profitemur et repreſentemus, ſollicite attentis, nedum per experienciam quam ex aliis generalibus ſtudiis ſumpſimus verum eciam per futurorum negociorum in noſtra dicta facultate veriſimiliter emergendorum diligentem conſideracionem quam ut ſcriptum in Romanis ſanctionibus invenimus: humanum genus volubile eſt et quidem manere in diem nunquam valens, vnde nulla lex neque ſenatus conſultum prolatum in republica Romanorum videtur ad omnia ſufficienter ab inicio promulgatum ſed multa indigere correctione ut ad

nature varietatem et eius machinaciones ſufficiat. Summopere nobis viſum eſt vt cuidam ſtatuto alme matris noſtre Vniuerſitatis ſatisfacientes certas conſtitucio-nes et ordinaciones quibus dicte noſtre matris vtriusque juris facultatis membra et ſuppoſita digne dirigamus et ad virtutum premia que in ipſa copioſa sunt recto tramite deducamus, putrida vero que curam reſpuerint abſcidamus condemnemus et ipſis publicaremus. Hinc eſt quod nos Decanus ceteriqve antenominatam matrem noſtram vtriusque Juris facultatem repreſentantes legitime convocati et congregati, diuino nomine in graciam humiliter invocato, cum mutua deliberatione et vnanimi conſenſu ſubſcripta ſtatuta et ordinaciones in honorem Dei omnipotentis et felix noſtre ſepedicte facultatis augmentum atque ejus membrorum vtilitatem et profectum collegimus, condidimus et in ſcriptis ſub forma, quæ ſequitur, redegimus atque omnibus quorum intereſt publicare ſuis loco et tempore mandavimus ut quenam noſtre prefate facultatis ſuppoſita obſeruare volumus, ab ipſis omnibus recte intelligantur et cognoſcantur cum ab eorum obſeruatione neminem per ſupinam ignoranciam in futurum excuſari volumus.

In nomine Sancte Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen.

De Decano Facultatis vtriusque Juris.

In primis ſtatuimus et ordinamus, quod perpetuis temporibus decima die menſis Octobris quæ eſt altera poſt feſtum Dyoniſii eligetur nouus Decanus facultatis vtriusque Juris per Doctores, licentiatos et baccalarios ad congregacionem dicte facultatis pertinentes legitime vocatos, qui quidem Decanus ſic electus jurabit ad manus Decani precedentis ſe fideliter ſuum officium executurum et per annum integrum erit in officio permanſurus.

Item ſtatuimus et ordinamus, quod officium noſtri Decani ſit congregaciones ſui facultatis fideliter per cedulam cauſam congregacionis continentem facere: In congregacionibus vniuerſitatis deliberaciones ſue facultatis ſuper articulis per Dominum Rectorem propoſitis, fideliter ipſi Rectori reddere et curam gerere quatenus actus ſcholaſtici dicte ſue facultatis continue diligenter et vtiliter fiant ad Vniuerſitatis et facultatis incrementum atque ſcholarum profectum; Negligencias Doctorum, Licenciatorum ſiue baccalariorum legencium ordinarie vel extraordinarie ad facultatem referre, ſi ab ipſo premoniti in priuato ſe non emendauerint. Statuta facultatis manutenere et procurare pro poſſe ſuo ut eciam ab aliis obſeruentur et transgreſſoribus penam juxta ſtatuta facultatis adhibere et generaliter omnia que nouerit pro bono et commodo facultatis ſue eſſe pro poſſe procurare et contraria impedire.

Item ſtatuimus et ordinamus quod Decanus noſtre facultatis intra octo dies proxime et immediate ſue electionis dein ſequentes, ſtatuta ipſa dicte noſtre facultatis omnibus ſuppoſitis noſtris in vnum ſub pena trium ſolidorum conuocatis per se leget et publicabit ipſa ad virtutes et ſcientias exhortando.

Qualiter Doctores incedere debeant.

Item ſtatuimus et ordinamus quod Doctores in actibus ſcholaſticis et cum veniunt ad Vniuerſitatem ſeu ad facultatem aut ad actus vel cerimonias earundem et precipue quum collegiatim conveniunt debent in ſuis habitibus doctoralibus quibus in cathedra inſigniorum tempore vſi fuerint, incedere et ſedere ac honores recipere et inuicem deferre et ordinem inter ſe ſeruare ſecundum ordi-

nem

temporis quo ad noſtrum collegium Doctorum fuerunt recepti et admiſſi ſic quod prius receptus ad collegium ſequenti preferatur.

De modo legendi & librorum ordinacione.

Item statuimus et ordinamus quod doctor siue licentiatus ordinarie de mane legens in jure canonico intret ſcholas ſingulis diebus legibilibus hora ſexta et lectionem continuet vſque ad ſeptimam incluſiue atque legat in aliquo quinque librorum decretalium. Qui vero lecturus est in decreto ſcholas intret hora poſt meridiem prima vſque ad ſecundam continuaturus, qua hora intrabit ordinarie legens in nouis juribus et suam lectionem uſque ad terciam horam continuabit.

Item ſtatuimus & ordinamus quod ordinarii in jure ciuili hoc modo ſeruabunt ſuas lecturas; ita quod de mane legens ſimiliter intret hora ſexta per integram horam continuaturus et legat vno anno in Codice alio vero anno in ff (Pandecto) veteri. Hora vero prima poſt meridiem vſque ad ſecundam legatur in Inſtitucionibus, et hora ſecunda usque ad terciam incluſiue legatur vno anno in inforciato, reliquo vero anno in ff nouo et ſic viciſſim. Et legantur in libris Codicis et fforum tituli qui magis ſunt vtiles et practicæ ſubſeruientes ita eciam quod non contingat eosdem titulos in C. et ff. legere.

Item ſtatuimus et ordinamus, quod diebus legibilibus et ordinariis ac horis quibus doctores ordinarii legerint, baccalarii noſtræ facultatis nequaquam extraordinarie legant niſi loco doctorum ordinariorum ad legendum inſtituti fuerint vel ordinariis aliunde occupatis, ne vacet auditorium, ipſi horam talem legendo de licencia ordinarii, qui tunc legere deberet, occupauerint. Similiter baccalarii non preſumant legere eundem librum quem eodem anno Doctor eſt lecturus ipſum in lectura preveniendo aut ſecum concurrendo in eadem.

De vacationibus.

Item ſtatuimus et ordinamus, quod vacationes quolibet anno incipiant in octauis beatorum Petri et Pauli Apoſtolorum uſque ad diem craſtinum Aſſumpcionis glorioſiſſime virginis Marie incluſiue durature quo quidem die Doctores ſuas lectiones reſumant vſque ad feſtum Michaelis continuaturi: a quo die uſque ad vndecimum diem menſis Octobris ſ. craſtinum craſtini ſancti Dyoniſii excluſiue vacabunt Doctores et in predicto die vndecimo nouum noſtrum ordinarium incipi volumus.

Item ſtatuimus et ordinamus, quod quilibet baccalariorum noſtre facultatis per collegium doctorum requiſitus teneatur et debeat in dictis vacacionibus in octauis Petri et Pauli incipientibus quibus facultas arcium ſolemniter ſeruat diſputacionem quodlibeticam, diſputare de quolibet eo modo prout declarat dicte facultatis arcium ſtatutum: ſub pena non admiſſionis ad licencie gradum.

De ſtudentibus noſtre facultatis et eorum ſtatu.

Item ſtatuimus et ordinamus, quod ſtudentes noſtre facultatis, quos decet ſecundum Juris precepta viuere honeſte: alterum non ledere jus ſuum cuique tribuere: veſtiant ſe decenter, veſtibus ſcolaſticis et longis taliter ſe in publico hominum aſpectu gerentes ut in ipſis non appareant ſigna leuitatis.

Item

Item ſtatuimus et ordinamus et inviolabiliter obſeruari volumus juxta formam ſtatuti alme noſtre Vniuerſitatis deſuper editi, quod nullus noſtrorum ſcolarium, qui ad promociones aſcendere nititur vel ſe per facultatem defendi ſperauerit arma invaſoria et offenſoria tam de die quam de nocte deferre publice uel occulte preſumat ſub pena repulſionis a noſtra facultate.

Item ſtatuimus et ordinamus, quod nullus ſcholarium de nocte per plateas indecenter vagare preſumat sub pena ſimilis excluſionis a facultate sua. Quodque, ſi quisquam taliter vagare repertus captus fuerit pro ſua redemptione infra triduum facultas non inſtabit.

Item ſtatuimus et ordinamus, quod ſcholares noſtri debent continue audire omnes lectiones doctorales ſue facultatis in qua promoueri intendunt: et ſimiliter alias lectiones per licenciatos et baccalarios ordinarie siue extraordinarie legendas audiant continuo, alioquin veri ſcholares non reputabuntur quoad gradum in ſua facultate adipiſcendum.

Item ſtatuimus et ordinamus, quod baccalarii et ſcolares noſtri debeant intereſſe diſputacionibus, repeticionibus et aliis ſolennibus actibus Dominorum Doctorum neque ante finem eorundem a ſcholis recedant.

Item ſtatuimus et ordinamus, quod omnes doctores, licenciati, baccalarii et ſcholares noſtre facultatis quandocunque et qvociescunque miſſe vel ſermones per Vniverſitatem ſint vel fuerint celebrande ſeu ſervandi, debent hora debita et competenti ante miſſe inicium in domo principalis ordinarii de mane in antiquis in jure canonico legentis comparere et decenter cum eo per parem numerum ſecundum eorum primogenita ſeu ſtatum et dignitatem, eccleſiam in qua actus talis celebrandus eſt intrare ſub pena reſecacionis a Collegio ſi Doctor uel licenciatus fuerit; excluſionis a gradibus ſi baccalarius uel ſcholaris. Idemque obſeruari volumus aliis diebus quibus ſolennes et publici actus in noſtra facultate vel Vniuerſitate ſunt celebrandi.

Item ſtatuimus et ordinamus, quod ſcholares noſtre facultatis faciant ſe ſpecialiter intitulari, ſi in jure canonico ſtudere voluerint, per ordinarium principalem in eodem die mane legentem, ſi vero in jure civili per ordinarium principalem die eodem ſimiliter legentem, nec ſe transferant de vna ſerie ad aliam . . legentis et ſcitu (?) ſui ordinarii per quem intitulatus fuerit.

De promouendis ad gradum baccalariatus.

Item ſtatuimus et ordinamus, quod nullus ſcholaris in Jure canonico uel ciuili ad gradum baccalariatus admittatur niſi per tres annos cum medio in hoc ſtudio uel alio priuilegiato jura canonica uel ciuilia modo ſupradicto audiuerit diligenter et poſtquam lectiones ſuas et ſtudium ſuum tanto tempore laudabiliter continuaverit poteſt ſe exhibere examini Doctorum de collegio qui eum ad gradum baccalariatus debent admittere, ſi repererint eundem ſciencia ydoneum ac moribus et conuerſacione vite honeſtum.

Item ſtatuimus et ordinamus dictum ſtatutum limitando, quod ſcholaris, qui audiuerit leges per triennium continuum volens promoueri in jure canonico lucrabitur in eodem annum. Et verſa vice ſi audiuerit canones per continuum triennium volens in jure ciuili promoueri annum lucrabitur. Similiter Magiſter in artibus audiens leges uel canones volensque in eis promoueri lucrabitur annum.

Item

Item ſtatuimus et ordinamus, quod volens promoueri ad gradum baccalariatus, ſoluat priusquam ſe ſubmittat examini, Doctori ordinario de mane in facultate in qua promoueri intendit legenti: duos florenos renenſes, quod eciam obſeruari volumus in promouendo ad licenciam.

Item ſtatuimus et ordinamus, quod promouendus ad baccalariatum in Jure canonico priusquam ad examen admittatur probet per ſuum juramentum uel alias legitime ſe audiuiſſe continue lectiones in decreto ſi quis in Decreto legerit. Similiter promouendus ad baccalariatum ſiue in jure canonico ſiue ciuili doceat ſe hic uel in alia famoſa Vniuerſitate publice ſub doctore repetente reſpondiſſe.

De forma examinis.

Item hanc volumus eſſe formam examinis in jure canonico pro gradu baccalariatus, quod die legibili ad hoc prefixo doctores ordinarie legentes uel eorum loca tenentes compareant in auditorio Canoniſtarum de mane hora ſexta et aſſignent promouendo aliquam decretalem non nimis difficilem in antiquis pro puncto: quam decretalem idem promouendus hora veſperarum uel circiter in loco ſibi prefixo rediens recitabit: continuando primo Rubricam et ipsam ſinuando (?) ac deinde decretalem aſſumens ipſam per breuis et longi caſus poſicionem recitabit et ex textu lecto notabit. Quo facto Doctores ſecundum ordinem ſuum decretalem ipſam et ea quæ circa ipſam per promouendum notata ſunt impugnabunt non nimis laxe nec eciam nimis rigoroſe ſed duntaxat ingenium et ſtudium promouendi perquirendo. Et idem per omnia obſeruabitur in promouendo in Jure ciuili hoc adiecto quod ſibi aſſignabitur lex aliqua pro puncto ex eo libro in quo Doctor ordinarie de mane illo anno legerit.

Item ſtatuimus et ordinamus, quod baccalariandus ad gradum admissus ad (?) ſtatim tempore admiſſionis ſue ſoluat facultati noſtre ad manus Decani quatuor florenos renenſes et tempore quo principiauerit ſoluat pedellis Vniuerſitatis vnum ſimilem florenum.

Item ſtatuimus et ordinamus quod intra quindenam proximam a tempore ſue admiſſionis computandam debet principiare more conſueto niſi cum eo per Dominos Doctores de Collegio legitime ex racionabili cauſa fuerit dispenſatus.

Item ſtatuimus et ordinamus quod modus principiandi pro gradu baccalariatus in noſtre facultate erit iſte. Baccalariandus in jure canonico vnam decretalem, in jure vero ciuili vnam legem quam ille duxerit eligendam: premissa diuini nominis invocacione cum arenga juris canonici vel ciuilis commendatoria ſolemniter cum tota ejus materia vel maiori in quantum audientes permiſerint leget et completa lectura ſua reſpondebit vni baccalario ſeu ſcholari noſtre facultatis arguere volenti ad quatuor argumenta et vnam replicam. Quo facto Doctor ordinarius omni arenga recommandatoria poſtpoſita cum quadam breui exhortacione ipſum pronunciabit baccalarium, demum ipſe baccalarius promotus vel ſi plures fuerint primus inter eos omnibus preſentibus graciarum referat actiones.

Item ſtatuimus et ordinamus, quod baccalarius pro feſto ſue incepcionis ſeu principii ne grauetur expenſis non dabit in menſa niſi ſex fercula, neque alemanicam propinabit cereuiſiam, niſi propter excellenciam et honeſtatem perſone uel ex alia cauſa racionabili per Collegium Dominorum Doctorum ſecum fuerit ſuper hoc diſpenſatum.

Item ſtatuimus et ordinamus, quod quicunque ſcolarium qui in hoc feli-

ciſſimo ſtudio *haſſnenſi* gradum baccalariatus adeptus fuerit aut per triennium in aliqua facultate juris canonici vel ciuilis hic ſtuduerit et poſtmodum ad alia ſtudia ſe transferendo gradum baccalariatus licenciam aut doctoratum ibidem aſſumpſerit, in penam, quod huic ſtudio hunc honorem non fauit, reuerſus nullo inquam tempore ad ſtudium iſtud in Collegio Doctorum facultatis Juris recipiatur, ſed perpetuo ſit et maneat, ab honore Collegii predicti et emolumentis ipſius ſegregatus et excluſus.

De promouendis ad licenciam.

Item ſtatuimus et ordinamus quod baccalarius volens promoueri ad gradum licencie in jure canonico vel ciuili debet in eodem poſt baccalariatum audire continue per duos annos cum dimidio lectiones doctorales et Licenciatorum et poſtea legat per annum continuum niſi per Collegium Dominorum Doctorum ante annum vltimum admiſſus fuerit ad lecturam vel ſibi iniunctum per Collegium vt legat.

Item ſtatuimus quod licenciatus in jure canonico volens gradum baccalariatus in jure ciuili adipiſci debeat per duos annos audire continuo modo ſupradicto pro gradu baccalariatus et volens promoueri poſtea ad licenciam in eodem jure debet legere duobus annis vel ſaltem audire per vnum annum et per alium legere. Sed Licenciatus juris ciuilis volens promoueri in Jure canonico debet audire per annum cum dimidio modo ſupradicto pro gradu baccalariatus adipiſcendo, et ſi poſtea voluerit promoueri ad licenciam debet legere per tantundem tempus vel per vnum annum audire et per dimidium annum legere.

Item quod baccalarius volens promoueri ad licenciam debet ad minus ſemel in publico ſub doctore illius facultatis in qua promoueri deſiderat cathedram tenente, reſpondere tam ipſi doctori ſi arguere voluerit quam baccalarius et ſcholaribus vniuerſis ſibi arguere volentibus et dabit baccalarius reſpondens ipſi doctori preſidenti tres marchas lubicenſes.

Item quod nullus doctor aliquem baccalarium preſentabit Collegio Dominorum Doctorum ad ſubeundum examen pro licencia obtinenda niſi eum primo diligenter in priuato examinauerit et eum ydoneum crediderit, ſuper quibus juramentum Decano facultatis preſtabit.

Item quod baccalarius audiencia, lectura et actibus ſupradictis modo et forma predictis peractis volens ad licenciam promoueri debet per Doctorem legentem in illa facultate in qua promoueri deſiderat Collegio Dominorum Doctorum et Cancellario Vniuerſitatis vel eius vicesgerenti preſentari qui ſimul et vnanimiter examen aperiant et locum et tempus examinis ipſi promouendo preſigant.

Item quod baccalarius examinandus debet venire cum decenti comitiua hora et loco ſibi deputatis ad recipiendum puncta ſui examinis. Et ſi eſt canoniſta debet ſibi aſſignari canon ſeu capitulum in decretis et decretalis in antiquis et ſuper illis ſtudebit per octo horas et tunc comparebit eadem die cum honeſta comitiua circa horam veſperarum in camera examinis et primo premitti vnam breuem diuini nominis invocacionem qua expedita intrabit lecturam decreti primo premittendo ſummam et extunc immediate lecturam decretalis et premittat ſimiliter ſummam Rubrice vt eſt moris et finita lectura doctores arguent et fideliter examinabunt promouendum.

Item in jure ciuili ſimili modo aſſignabuntur due leges vna in illo libro qui

de

de mane legitur ordinarie ſiue ſit Codex ſiue digeſtum vetus et altera in libro qui illo anno ordinarie non legitur. Et ſimili modo in examine premitti ſumma Azonis antequam deſcendat ad legem Codicis vel Digeſti complendo ſucceſſiue lecturam et reſpondendo doctoribus ut moris eſt.

Item quod Domini Doctores vnacum Cancellario vel eius Vicario debeant fideliter baccalarium examinare et ipſum examinatum ſi ydoneus videatur approbare et ad licenciam admittere quem ſic approbatum Dominus Cancellarius ſi preſens fuerit vel ejus vices gerens pro preſentato habeat et teneat et ei licenciam impartiet, ita tamen quod ad minus talis promouendus approbetur a maiori parte examinatorum preſencium. In qua approbacione uel reprobacione quilibet doctor habebit votum ſuum, ſiue juris Canonici tantum ſiue juris ciuilis tantum fuerit doctor, ſiue approbandus ſit in jure ciuili ſiue in jure canonico.

Item ſtatuimus et ordinamus quod baccalarius ſubiiciens ſe examini pro licencia ut dictum eſt, debet ſoluere cuilibet doctori de collegio vnum florenum renenſem et duas faculas cereas ſiue duo torticia cerea quorum quodlibet continebit quatuor marchas cere.

Item ſtatuimus et ordinamus quod promouendus ad licenciam approbatus ſoluat ſtatim admiſſione facta Decano facultatis ad vtilitatem ipſius facultatis quatuor florenos renenſes et pedello vnum florenum renenſem.

De doctoriſandis.

Item ſtatuimus et ordinamus, quod volens doctorari recipiet inſignia a doctore ſuo qui eum preſentauit ad ſubeundum examen pro licencia obtinenda ſi ſit in loco, vel commode eum habere poſſit, alias poterit recipere alium doctorem qui tum ſit de collegio doctorum.

Item ſtatuimus et ordinamus quod aula doctoralis noſtre facultatis ſeruetur in eccleſia beatiſſime virginis Marie Haffnis: et erit hec forma. Intrans namque doctoriſandus cum doctore ſuo et decenti comitiua eccleſiam primo locum capiat in inferiori cathedra et legat vnum canonem in decreto, ſi in jure canonico vel legem in pandecto veteri ſi in jure ciuili fuerit doctoriſandus, premittens quandam breuem diuini nominis invocacionem atque reſpondeat vni licenciato ſi haberi poterit, alioquin baccalario vel ſcholari noſtre facultatis in alia tamen facultate birretato arguere volenti ad argumenta prout tempus qualitas et preſencium condicio paſſe fuerint. Mox cum doctore ſuo ſuperiorem cathedram aſcendat. Interim aliquis doctorum ſiue magiſtrorum ad id ydoneus in loco patenti, circa medium aule ordinato orationem faciat tam juris quam doctoriſandi recommendatoriam. Qua peracta Doctor promouens incipiat ſuam collacionem ſimiliter juris uel Canonici uel ciuilis ſiue vtriusque recommendatoriam, poſt quam promouendus arengam ſuam in laudes ſue facultatis peroret in fine peticionem inſigniorum a Doctore ſuo ſubnectens. Deinde Doctor promouens peticione audita conferet inſignia doctoralia ſecundum ordinem, ſcilicet librum clauſum et apertum, oſculum pacis, annulum aureum et birretum rubeum. Receptis itaque inſigniis nouellus Doctor principiabit unam decretalem in antiquis uel legem in Codice, per hanc actum ipſum concludens. Ac demum ſingulis rite peractis Doctor promouens quibuscunque preſentibus ſecundum honores et dignitates ſuas dicat graciarum actiones. Quibus dictis incipiatur canticum Te deum laudamus et deſcendat Doctor

tor nouellus tenens in manibus candelam ceream accenſam quam offeret in altari glorioſiſſime Virginis Marie.

Item ſtatuimus quod nouellus Doctor teneatur veſtire decenter et honeſte Doctorem ſuum promouentem, vel ſoluere duodecim florenos renenſes eidem, quod ſtabit in arbitrio promouendi, et ſi plures fuerint ſimul promouendi redit in releuamen ipſorum, et ſimiliter pedellos Vniverſitatis duodenis vlnis panni ledenſis veſtire teneatur.

De graduatis alienis ſuperuenientibus.

Item ſtatuimus et ordinamus quod baccallarius in aliquo generali ſtudio rite promotus et approbatus qui ſe petierit recipi et ut baccalarium in aliqua facultatum juris canonici vel ciuilis in hoc felici ſtudio *haffnenſi* admitti, teneatur et debeat in ſua admiſſione ſoluere facultati quatuor florenos renenſes et pedellis vnum florenum renenſem et idem volumus obſeruari in doctore uel licenciato alterius Vniuerſitatis petente ſe hic recipi et ut talem admitti.

Item ſtatuimus quod doctores licenciati ac baccalarii in aliis generalibus ſtudiis rite promoti et petentes ſe in hoc felici ſtudio *Haffnenſi* vt tales recipi et admitti teneantur et debeant in ſua admiſſione jurare obedienciam decano facultatis juris qui pro tempore fuerit ac reuerenciam cuilibet Dominorum Doctorum de collegio facultatis eiusdem exhibere.

De juramentis graduandorum.

Item ſtatuimus et ordinamus quod offerens ſe examini pro gradu baccalariatus vel licencie in aliqua predictarum facultatum obtinendo antequam ad examen admittatur, debet ſuper ſequentibus iuramentum ſibi delatum per Decanum facultatis ſolenniter preſtare, primo quod tempore modo et forma ſuperius deſcriptis audiuerit et legerit complete et quod nec dedit nec promiſit nec dando nec promittendo per ſe uel alium convenit pro gradus baccalariatus uel licencie obtinendo.

Item quod ſi contingat eum reprobari non imputabit hoc alicui Doctori nec contra ipſorum aliquem ob hoc odium uel rancorem nec alicui eorum moleſtiam uel quodcunque diſplicibile inferat uel inferri procurabit uel permittet.

Item examinatus pro gradu baccalariatus, antequam baccalarius pronuncietur juret Decano facultatis quod incipiet infra tempus ſuperius ſtatutum et quod non exhibeat vltra illa in menſa quæ ſupra ſunt ordinata niſi ſecum ſuper hoc fuerit diſpenſatum.

Item quod ſcolaris examinatus antequam baccalarius pronuncietur juret obedienciam Decano et collegio Dominorum Doctorum et reuerenciam cuilibet Doctorum exhibere. Et idem jurabit baccalarius ſtatim poſtquam fuerit examinatus pro gradu licencie et per Doctores ſeu per maiorem partem Collegii approbatus.

Item quod ſcolaris antequam baccalarius et baccalarius examinatus, antequam licencietur et licenciatus antequam inſignia doctoratus recipiet et admittatur, juret quod gradum alibi non reiterabunt.

Item quod baccalarius examinatus pro gradu licencie et approbatus juret inſignia doctoralia alibi non recipere.

Item

Item quod ſcolaris baccalarius ſeu licentiatus producti iurent predicta iuramenta non infringere ac contra ea non venire, per ſe uel alium directe uel indirecte ſeu diſpenſacionem ſuper eis non obtinere nec obtenta vti.

Item quod predicti et alii volentes ad aliquam facultatum predictarum admitti debent iurare predicta ſtatuta et collegii Doctorum firmiter obſeruare et ea nullatenus impugnare et idem iurent doctores volentes admitti ad collegium Dominorum Doctorum.

Reſeruamus tamen nobis et ſucceſſoribus noſtris liberum arbitrium et plenam poteſtatem ſupradicta ſtatuta addendi et abrogandi ipſaque minuendi mutandi et corrigendi ac interpretandi, nec non ſuper eis diſpenſandi in toto uel in parte quando et quoties pro honore vtilitate et profectu noſtrarum facultatum viſum fuerit oportunum ac cum condicio perſonarum euidens hoc exegerit et racio idem ſuggeſſerit equitatis.

* * *

Petrus Alberti artium & decretorum Doctor medicinarum Licentiatus almæ Vniuerſitatis ſtudii generalis Haffnenſis Vicecancellarius & vtriusque iuris facultatis Decanus, conſul eiusdem ciuitatis fuit.

Primus Doctor promotus in vniuerſitate Haffnenſi in iure canonico.

2^{dus} Doctor *Tilmannus* de Röremunda, qui ibidem factus eſt baccalaureus iuris canonici & licentiatus.

3us Doctor *Criſtiernus Petri*, qui fuit baccalaureus & ibidem factus Licentiatus ordinis ſancti Johannis Jheruſolomitani.

Item Magiſter *Jacobus* prior ordinis ſancti Benedicti in Otonia promotus eſt in Baccalaureum & licentiatum.

Item Dominus *Laurentius* de Veſteruigh canonicus regularis promotus eſt in baccalaureum.

Item Magiſter *Johannes* de novo caſtro promotus eſt in baccalaureum tempore quo fuit Decanus facultatis artium.

Item Magiſter *Johannes Martini* ordinis ſancti Bernardi Sorenſis fuit promotus in baccalaureum.

Item Magiſter *Ingemarus* baccalaureus Roſtokcenſis receptus eſt ad legendum in iure canonico, ut temptaretur, quia ignarus erat ſed preſumptuoſus.

Item Doctor *Ditleuus* baccalaureus promotus Louanii & in Doctorem promotus Bononie receptus eſt pro doctore ad facultatem vtriusque iuris anno MDXII.

Item Doctor *Anthonius* ordinis premonſtratenſis receptus eſt ad vniuerſitatem pro paruo tempore legit & factus eſt prepoſitus burglanenſis.

Item Magiſter *Nicolaus* de Vorbergh baccalaureus vtriusque iuris promotus in utroque iure receptus ad facultatem anno Domini MDXVI.

Anno Domini MD. ſub venerabili & egregio viro artium & decretorum Doctore medicinarum licentiato huius alme vniuerſitatis tunc temporis vicecancellario conſule ciuitatis Haffnenſis *Magiſter Ditleuus Smiter* repetiuit.

Sub venerabili & egregio viro artium & decretorum doctore medicinarum licentiato tunc temporis vniuerſitatis Haffnenſis vicecancellario *Magiſter Nicolaus*

colaus Petri de Worbergh vtriusque iuris baccalaureus repetiuit C. ad noſtram de proba qui reſtrinxit ſuum intentum ad tres concluſiones, annectendo cuilibet concluſioni duo corollaria. In qua quidem repetitione affuit ſereniſſimus Dominus Rex Dacie &c. Dominus *Criſtiernus* a principio actus vsque ad finem, anno Domini MDXVI. quinta feria penthecoſtes.

Hæc in fronte Codicis annotata.

1530. Lutherani eccleſiam collegiatam Haffnis prophanabant, ſed 1531. 4ta feria in octauis Martini reſtituunt.

Ex Actu Doctorali prædicti Nic. Petri de Worberg.

Iheſu Chriſti nomine inuocato eiusque genitricis beatiſſime Marie virginis auxilio premunitus, hunc actum agredior, in quo proponam Domino Baccalario C. ad noſtram de proba, quod repetere intendit. Circa quam quidem repetitionem vnam mouebo queſtionem, ad quam idem Dominus Baccalarius per aliquas concluſiones & corrolaria reſpondebit, quas queſtiones & corrolaria pro poſſe nititur defenſare, quibus pactis huic actui finem imponemus. Domine Baccalarie, aſſumatis C. & declarate nobis mentem veſtram, quo breuius poteritis.

Audiuiſtis laudabilem iuridicam & fundamentalem expoſitionem & declarationem C. ad noſtram de proba, qve tam notabilis & clara eſt, vt vix patebit locus dubitandi. Tamen ut obſeruemus Scole conſuetudinem, vnicum mouebo dubium, iſtud videlicet:

Vtrum Regis Danorum conſtitutio reus cuius olim preſidio iura ab actore probata poterat omnino euertere & per negationem ſe defendere, ſit hodie per propriam ſublata.

Licet partes huius queſtionis poſſent diuerſimode probari & improbari, ne tempus videatur inutiliter deduci, ſed Dominus Baccalarius materiam ſuam declarabit, & arguere volentibus locus prebeatur de huiusmodi probationibus & improbationibus ſuperſedebo pro preſenti. Et ſi aliqua contra queſtiones & declarationem eius opponere poſſum, tempore permittente, proponam. Ideo incipiatur.

Aliquibus partibus huius actus utcunque peractis, reſtat pars alia, que licet breuior ſit, ſolet tamen difficilior reputari & merito, quia difficile eſt multis & omnibus complacere. Dominus Baccalarius & ego vna cum eo ex conſuetudine obligamur ad referendum gratiarum actiones hiis, qui facultatem juridicam hoc actu honorarunt, & Scolas ſuis argumentis & documentis illuſtrarunt.

CCXXVII.

CCXXVII.

Notata in fronte variorum librorum in bibliotheca deperdita Eccleſiæ b. Virginis Hafniæ.

Deſumta ſunt partim ex Apographo *A. Magnæi* in *Collectaneis Bartholinianis* Tom. VIII. in bibliotheca Univerſitatis Hafnienſis; partim ex ſcedulis nonnullis autographis *A. Magnæi*.

1. *In fronte poſtillæ Lyræ.*

Liber Monasterii Duhollem in Inſula Morſzöö.

2. *In fronte Boni Univerſalis de proprietatibus Apum.*

Erit pro uſu fratris Erasmi Olavi liber iſte, conventus Helſingburgenſis, ordinis fratrum predicatorum.

3. *In Petri Nigri Clypeo Thomiſtarum.*

Memoriale fratris Franciſci Kanuti, pro Conventu Helſingburgenſi.

4. *In fronte Compendii Theologiæ Bernoldi de Cæſariâ.*

Iſtum librum dedit Honorabilis Dominus Ericus, vicarius in Eccleſia Sancti Olavi Helſingöer, pro uſu fratrum Minorum de obſervantia de domo ſancte Anne vulgariter dicta, qve domus eisdem fratribus de obſervantia pro inhabitatione et uſu ſuis feria tertia ante feſtum Sancti Michaelis anno incarnationis dominice 1496 fuit auctoritate apoſtolica aſſignata. Qvicunqve in ea ſtuduerit, pro ipſo domino Erico Dei miſericordiam implorabit, pro cujus etiam ſalute perpetua tuam Deus humiliter depoſcimus pietatem.

5. *In fronte Sermonum diſcipuli.*

Hos diſcipuli Sermones legavit Honorabilis vir Dominus Symon Nicholai, Fratribus ordinis Minorum de obſervantia, Conventus Helſingoerenſis, anno 1497.

6. *In fronte Compendii Juris Petri Ravennatis.*

Hunc librum Dominus Johannes Tyconis legavit Conventui Helſingörenſi, qvi obiit Haſnie anno Domini 1516.

7. *In fronte Operis de Contractibus.*

Memoriale fratris Erasmi Olavi, pro Conventu Helſingörenſi, ordinis fratrum predicatorum. M. D. 17. Sed qvi alienaverit, in eternum pereat.

8. *In fronte Pantheologiæ fratris Rayneri.*

Liber Johannis Germani, presbyteri, collatus per eundem Conventui fratrum Ordinis Carmelitarum in Helſinghör.

9.

9. *In fronte libri qvi dicitur Supplementum.*

Liber fratris Nicholai Andree, qvem legavit Bibliothece in Helſingör Conventu Ordinis fratrum Beatiſſime Dei genitricis et Virginis Marie de Monte Carmeli.

10. *In fronte Richardi de Mediâ Villa in Sententias Lombardi.*

Iſte liber eſt Conventus Sancte Anne prope Helſingör, ordinis fratrum Minorum, conceſſus Conventui Lundenſi ejusdem Ordinis, ad tempus: cui fideliter reſtituatur. Anno Domini 1518.

11. *In fronte Scriptorum Thomæ de Argentinâ.*

Pro Conventu Helſingerenſi Sancte Anne.

12. *In fronte Joannis Gerſonis de Imitatione Chriſti.*

Hunc librum emit frater Nicolaus Criſtierni, Carmelita, artium Magiſter, pro ſuis votivis perceptis in Commune Landiscronenſe Anno Domini M X D V. (sic! rectius MDXV). Orate Deum pro eo.

13. *In fronte Vocabularii in Mammetractum.*

In uſum fratrum Minorum Conventus Lundenſis.

14. *In fronte Proceſſus Judiciarii Johannis de Urbach.*

Thennæ bog gaff Swend Jeibsſun, ſom Burgmeſter wor i Neſtwed, till Sancti Benedicti Kloſter i Ringſtæde, for ſyn ſaligheed.

15. *In fronte Epiſtolarum Hieronymi.*

Dominus Laurentius Bertoldi, Canonicus Roſkyldenſis, contulit Monaſterio Ringſtadenſi librum iſtum Epiſtolarum Jheronimi.

16. *In fronte Bibliorum Hieronymi.*

Textus iſte Biblia, utrumqve continens Teſtamentum, attinet Biblioteche fratrum Minorum Domus Roſkildenſis civitatis.

17. *In fronte operum Thomæ de Aqvino.*

Liber fratris Nicolai Criſtierni Carmelite, in Artibus Magiſtri &c. filii conventus Skelſkörenſis, Provincie Dacie. Orate Deum pro eo.

18. *In Summâ Innocentii* 10. *de pœnitentia.*

Frater Simon Conventualis in Monaſterio Sancti Thomæ de Paraclito, et Profeſſus Regule Sancti Auguſtini ſecundum inſtitutionem Venerabilis patris et Sancti Viri Willelmi Abbatis, poſſidet hunc libellum.

19. *In fronte Sententiarum Petri Lombardi.*

Iſtrum librum contulit Monaſterio de Paraclito Nobilis vir Dominus Petrus Reberſun, Cantor Eccleſie Roſkildenſis in memoriam ſui. Orate Deum pro eo.

CCXXVIII.

Diploma Johannis Archiepiſcopi Lundenſis de Universitate Hafnienſi. 1479.

Ex Apographo b. m. Professoris *Abrah. Kallii.*

Johannes dei gratia Archiepiſcopus Lundenſis Svecie primas et Apostolice sedis Legatus Venerabilibus viris Dominis Rectori Doctoribus Magiſtris Licenciatis Baccalariis et Scolaribus Vniuerſitatis generalis ſtudii Haffnenſis nobis in Criſto ſincere dilectis, cum noſtro ſauore. Salutem virtutumque et scienciarum continuum incrementum paſtorale officium quod nobis Domino deo diſponente in ſua ſancta eccleſia commisſum exstat nos frequenter ſolicitat, ut ea a nobis maxime aduertentur que Chriſti fideles nobis ſubiectos in moribus et virtutibus abundare faciant et demum a mortali vita in bonis opibus consumata ad felicium patriam quam virtutibus paratam eſſe firmiter credere tenemur tranſmittant. Quamobrem omnem que nobis poſſibilis eſt ſtudemus diligentiam adhibere quatenus in eccleſia dei docti viri habeantur qui veluti (*Lang.* velud) ſplendor fulgeant firmamenti ac ſicut ſtelle in perpetuas eternitates permanſuri ad iuſtitiam et ſanctimoniam valeant plurimos erudire. Speranteſ etiam ex hac certa (*Lang.*) nostra ſolicitudine et diligentia talentum a domino nobis creditum in terram nos fodiſſe nequaquam existimari. Vniuerſitati igitur veſtre ſtudii generalis haffnenſis, per dominum magiſtrum Petrum Alberti decretorum et medicinarum licenciatum vestrum vicecancellarium nobis ſincere dilectum cui in hac parte vices noſtras ſubdelegauimus feliciter erecte, animo gracioſo affecti eandem erectionem ſic ut prefertur nomine noſtro ymmo verius apoſtolico factam ac omnia alia circa erectionem huiusmodi neceſſaria nobis a ſancta ſede apoſtolica exſequi demandata cathedrarum videlicet ſingularum facultatum erectionem Rectorie inſtitutionem ac aliorumque officiorum ordinationem que in literis ſanctiſſimi domini noſtri Pape ſua vera bulla plumbea ſigillatis nobis deſuper erectis lacius explicantur per eundem magiſtrum Petrum A. ex noſtra commiſſione exſequta ratificamus et tenore preſentium approbamus et pariformiter generale ſtudium quatuor facultatum videlicet ſacre theologie vtriusque iuris medicine ac liberalium artium *perp*etuis futuris temporibus duraturum apoſtolica auctoritate in haffnia erigimus, cathedras ſingularum facultatum inſtituimus ac Rectoriam in omnibus vniuerſitatibus generalium ſtudiorum eſſe conſuetam ibidem fore deputamus. Et Reverendum in Criſto patrem Dominum Epiſcopum Roſkildenſem ffratrem nostrum qui pro tempore fuerit in cuius dyoceſi hoc ſtudium erectum eſt et pro nunc de nouo in omnem cautelam apoſtolica auctoritate ut prefertur erigimus perpetuis temporibus eiusdem ſtudii Cancellarium per ſanctam ſedem apoſtolicam ffactum creatum conſtitutum et deputatum eſſe declaramus qui omnibus futuris temporibus per ſe vel per ſuum vicarium ydoneum ad talia exſequenda ſubſtitutum omnia et ſingula per eandem ſanctam ſedem apoſtolicam ſibi delegata exſequi habebit. Statuta preterea pro huiusmodi ſtudio vniuerſitatis veſtre cum conſilio veſtro collecta XLVII in numero cum quadam prefatione premiſſa quorum minutam originalem collacionatam et auſcultatam nobis reſeruamus. Pauca pro tempore ordinamus quoniam melius iudicamus pauca

ydonea effundere quam multis inutilibus homines pregrauare et illa cum oratoribus ve*ſtris* ſuper hac re ad nos miſſis quos benigne ſuſcepimus et audiuimus tranſmittimus debita cum inſta*ntia* ſupplic*antes* ut hec ſtatuta modica gratanter acceptetis et per vos et veſtros inuiolabiliter obſeruetis et obſeruari faciatis, ne per tranſgreſſionem horum ſtatutorum a nobis ordinatorum apoſtolica verius quam noſtra auctoritate Dei p*atris* omnipotentis beatorum Petri et Pauli apoſtolorum eius et ſancte ſedis apoſtolice et noſtram indignacionem incurrere velitis ipſo facto. Si vero caſus aliquis in ſtudio veſtro emerſerit horum ſtatutorum laqueis non *inno*datus pro veſtra induſtria humanis varietatibus curabitis obuiare. Pro ſingulis autem facultatibus quoniam ſ*pecia*libus egeant ſtatutis ſ*ecundum* mores et conſuetudines aliorum generalium ſtudiorum et prout vobis melius videbitur expedire, lacius et ſpecialius ordinare fideliter laboretis. Euntes *ergo* in vineam domini fructum bonum afferetis in ea fideliter laborando vt ſimplices et rudes moribus et ſcientiis veſtris illuminati pariter et edificati de virtute in virtutem ire valeant et ut vos de laboribusque veſtris laudem et honorem in preſenti et premia eterna et gloriam in futuro mereamini reportare. Datum Lundis Anno domini Milleſimo quadrageſimo ſeptuageſimo nono quarto Kalendas Decembris Noſtro ſub Secreto preſentibus inferius impenſo.

(*Sigillum illaeſum ex cera rubra filis ſericis rubri et caerulei coloris adpendet*).

(*In tergo*) MCDlxxix 4 Kls Decembris Jo Broſtrop Archiepiſcopus Lundenſis ſuper ſtatutis et ordinationibus per eum factis in vniuerſitate haffnenſi.

CCXXIX.

Epiſtolæ Regis *Chriſtiani* I. vel ad eum ſcriptæ.

Excerpta, & Manuſcriptis *Bartholinianis* in Bibliotheca Univ. Havnienſis Tomo B. inſerta, ex Manuſcripto chartaceo olim Muſæi Comitis *Rantzovii*, quo continentur Epiſtolæ ſcriptæ vel a *Chriſtiano* I. Rege vel ad eundem Regem. Sed licet, teſte *Bartholino*, ex ſtylo apparuit ſeu ſcriptura, ejusdem Regis tempore eum codicem exaratum fuiſſe, tamen plurimis in locis valde vitioſe ſcriptus fuit, quæ menda emendare non licuit. Nonnullæ harum epiſtolarum in *Pontoppidani Annalibus eccleſiæ Danicæ* nec non in Collectione (*Suhmii & Sandvigii*) *Samlinger til den danſke Hiſtorie* jam impreſſæ, iterum hic exhibentur.

Copia ſubſeqvens domini Regis Dacie &c. Venerabilibus magnificis & nobilibus Decano & Capitulo maioris, necnon honorabilibus prioribus prelatis capitulis Eccleſiarum, & clero civitatis Coloniam miſſa.

Chriſtiernus &c. Venerabilibus & magnificis ac nobilibus amicis & conſangvineis noſtris precariſſimis, Decano & Capitulo maioris, necnon honorabilibus prioribus prelatis capitulis eccleſiarum, & clero civitatis Colonienſis, ſalutem & ſincere devotionis affectum. Qvanqvam vobis forſan inſolitum ſit a regnis noſtris agendarum rerum & occurrentium novitatum litteras recepiſſe, qve marinis reuma-

reumatibus & ponti vadis laceſſitis tellurem germanicam ab oris iſtis iungunt, nos tamen qvia ex antiqvo Alamannie proſapie ſangvinis ſoboles noviſſima propagati, ad hunc ſolum aliene plantacionis adinſtar qvaſi inſertus ſurculus vehebamur, unde glorioſa regnorum noſtrorum dyademata nobis a ſupremo numine allata ſunt. Nichilominus deſiderabilis voluptas in radice nativi germinis perſeverat, unde minime heſitemus, qvia ſicut maieſtas noſtra ſtatum & honorem veſtrum benivolentia & ferventiſſima caritate complectitur: Sic offerente ſe caſu erga nos, in hiis preſertim qve iuris & iuſtitie moderamina expetunt, promptiſſimam & effectualem ſolertiam adhibebitis. Hec qvidem premiſimus, ut nobilitates & prudencie veſtre intelligant, qvod licet ingens & importabile ſit offenſionis peringratum & cives Colonienſes nobis illatum ludibrium; multo maior extat noſtre in vos confidencie & mercitudinis amplitudo, qve nos preconcepte vindicte retardat livoribus. Speremus qvoqve per prudentiſſima veſtre ſapientie media, qvod debite ſatisfactionis impendia qve contra eos & ab eis inferenda ſunt, & ad qve vobis Reverendo patri domino *Marcello* Epiſcopo Schalholtenſi poſtulato Nidroſienſi cives tenentur predicti, licet ad id vsque induci nullatenus potuerunt, finem ſortientur optatum. Eqvidem qvoniam lugubre ſpectaculum in noſtrum principumqve vilipendium Epiſcopiqve pretacti iniuriam, in ipſum crimine flagranti patratum, ea qve per Colonienſes in ipſius dudum exitiabilem congeſta fuerunt perniciem vobis coram geſta fuere & vulgo univerſo perſpectante preſumpta recenſere ſigillatim poſtponimus. Inauditum qvidem & deteſtabilem auſum non ſolum divinis ſed & humanis legibus perhorrendum nulla in enarracionis regula collocatum, qvod layca manus pontificem, regium oratoremqve a conſpectu Romani Pontificis ad Principem redeuntem, qvi ſecure libertatis debuiſſet ideo gaudere tutela, in domeſticis laribus, infra emunitatem eccleſiaſticam, ſub ſalvo conductu, nullo politico crimine noxium, ipſorum ab annis plurimis tanqvam civem, qvi ſue eis artis remediis beneficia plurima contulit, demiſſis violenciarum magiſtris & familia civitatis, violenter comprehenderit, ſubrepſerit, & ſolo proſtrato ex ſacratis epiſcopalibus manibus annulis preciosis impetuoſe extractis, & in erumpnam maiorem per civitatis plateas confuſibiliter circumduci, duris mancipari carceribus, cathenis artioribus vinculari, ineptiſſime concluſum & detentum fetidis ſociari ſtercoribus & crudeliter pertractari. Illicoqve ipſo in foveam iactitato, crudeli impetu omnem ipſius contubernalem familiam & domeſticam, qvosdam etiam invaleſcentia egretudinis acerrima laborantes inhumaniter eiecerunt a curia, & ipſo crudelitatis conatu nulla pietate devicti, ſed aſperiores & duriores effecti, perſonalem epiſcopi iacturam, & caſum, bonorum ſuorum manumiſſione complebant. Nam imminente occaſu & nocturnis imminentibus latebris, nondum laſſata ingluvies canina rapidaqve voragine lupinoqve ad paſtum inſatiabili hyatu, non exſpectatis qve in promptu aderant clavibus, ciſtas, ladulas, promptuaria & abdita ſingula, in qvibus res domeſtice ſervabantur, fractis ſeris ſerarunt; iocalibus, clenodiis, pecuniarum notabilibus ſummis, tam noſtris qvam ſuis muneribus preciosis nobis a principibus deſtinatis, privilegiis litteris nobis ſub clauſura miſſis apertis & lectis, ſceleſtiore qva poterant machinatione ſubtractis, & intempeſte noctis ſilentio ea qve commode exportari poterant tumulacius ad propria deferentes; nichilqve qvod oculis videri & manibus contractari poterat, averca ambitio reliqvit intactum, eius cunctam ſupellectilem diſpergendo. Qvod illuceſcente phebo nichil in nuda domo

preter bancos & menſas & vacuas ciſtas & promptuaria ac coqvinaria minus valentia penitus potuit reperiri; de qvibus acceſſito notario inventaria confecerunt, ut furta nocturna contegerent. Deniqve ut Epiſcopum prelibatum maiora labeta facere poſſent infamia, qvatenus eo pereunte res obtinerent ſublatas, emulis & notoriis inimicis ſuis in curiam & cameram introductis, diverſas litteras confinnerunt (xerunt?) qvibus extranea ex aliis apicibus appendentes ſigilla, crimen falſitatis in ipſum, ac ſi illorum commentator extiterit doloſe inpactum retorqvebant. At poſtea qvia domino miſerante qvi ſolvit compeditos, ſolutus evaſit, non qvidem, ut inpingunt, fugitivus abſceſſit, autqve ut Colonienſes ſcribunt, penali animadverſione multari qvomodolibet formidaſſet: Sed cognoſcens qvod ſub forcia inimicorum incorrupte fidei non poteſt ſperari tutela, & ubi ſana fides non eſt, iuſtitia miniſtrari non poteſt, ſe ad tutiores contulit, preſidium eqvitatis, ad gremium ſcilicet & gratiam illuſtris principis Ducis Juliacenſis &c. nepotis noſtri dilecti. Et omni mora ſublata tam ipſe dux qvam Epiſcopus crebris litteris & oratoribus ſe ad examen admitti iuſticie, in qvo ſe reſponſum daturum & recepturum iuxta iuris ordinem, offerebat, ad qve litteraliter minas & blasphemias a Colonienſibus reportavit. Reſponſis tandem finalibus apud prefatum ducem ſeptem menſium ſpacio expectatis, poſt qvas cum ſe ad noſtram preſentiam obtuliſſet, nos ſue qverele examinatis iudiciis, ne repentinam iniurie noſtre & ſue videremur flagitare vindictam, per reſponſales noſtras ac demum per oratores noſtros obtulimus ipſis Colonienſibus prelibatum Epiſcopum ſiſtere iudicio & arbitrio principis cuiuscunqve loco & rei accommodi, dummodo & ipſi absqve omni fugitivo velamine ſe ad id flectere vellent, qvi primum noſtre oblacionis affectum ſilentii taciturnitate obaudiunt. Nec eſt eis aliqva excuſatio, qvia ſi eo colore nephas ſuum palliare nitantur, qvod dicant ſuperioribus hoc volentibus aſtitiſſe, reſpondebimus in tanto ſacinore non ſolum auctores & duces, ſed & complices & participes deſtinari penis, ut probetur obnoxios omnes non tantum culpe ſed pene futuros, qvi contra prepoſitos & domini ſacerdotes pollutas manus irreligioſa temeritate iniiciunt: precipue qvi id a domino habentibus poteſtatem preſumunt; qvi ergo ex prophano obſeqvio eis merita circa Deum eſſe poterant, qvibus eo divinis & humanis legibus ſupplicia irrogantur, nempe brachium ſeculare ei invocare conſvevit Eccleſia, qve si recte diſcutimus, notiſſimis ratione & auctoritate probabitur ab hiis duntaxat fieri poſſe, qvibus & in qvos & contra qvos ex auctoritate incumbit. Alias enim abſurdum eſt, & facti via non iuris. Clarum enim eſt per eos ad hanc praviſſimam factionem auctoritati ordinarie minime fuiſſe parendum, qve in Epiſcopum nullam etiam delegati habuit poteſtatem: nec etiam Legati de latere, infra cuius legationis ambitum non extitit. Nec ſpecialis in eum fuerat a ſuperiori ſede ad ea ſuperioris reſcripto ſuffultus. Sicut *Nicolaus* qvintus tunc apoſtolice ſedis preſul per ſuas nobis reſponſales plurimum ſe excuſans reſcripſit. Et dato licet non conceſſo qvod cura apprehenſionis committi potuerat ordinario exeqvenda, vim & robur nullum obtinuit cedula commiſſionis papiera, qvia nullo pragmatico vel autentico munimine ſubſiſtebat. Unde in re tanta & criminali ubi deponentis agebatur civili interitu, illi parendum non fuerat, illa preſertim qve extra curiam vive vocis oraculo factam protenditur, licet eius tenorem & mandatum in qvodam fabuloſo ſuo decreto qvidam *Wenemannus* multis punicis coloribus aviſare extraneis plurimum connominacione videtur. Nichil aliud videre videmur, qvam qvod cives prefati ſcienter ne-

ſcii

ſcii & preſumptuoſe indocti. Potuerunt enim & debuerunt vitare laqveum, & iurisconſultos re adhuc integra habuiſſe commonitos, qvorum plurimos in Colonienſi gimnaſio obtinent, & ipſorum inherere conſiliis, ſic qvoqve iuſtitia tanto iri profligatum compulſa non foret. Itaqve vobis perteſum non ſit, prenarrata omnia perlegiſſe, qve licet vobis prius nota fuerint, in unam tamen ſcripture conſiliata indaginem ſic in mentis veſtre arcanis recenti teſta ſe offerent, qvatenus delicti magnitudinem & execrande preſumptionis culpam veſtro diſcretio perponderet. Et qvia inviti pari forte bonos & inſontes puniri cum malis vellemus, veſtras amicitias accuratiſſime exhortamur & attente rogamus, qvatinus dictos ingratum & cives Colonienſes ſvaſos hortatibus veſtris efficere velitis, & nobis ac prenominato Epiſcopo ad condignam provocacione emendam, vel ſaltem ad ſubeundum pariter prout obtulimus, principis loco & rei accommodi arbitrale iudicium. Alioqvin excuſari volumus ſi qverelam noſtram, ipſorumqve exqviſitum & execrabilem auſum, regibus fratribus noſtris cariſſimis principibus dominisqve & amicis noſtris cum eorum offenſa usqve ad plenam ſatisfactionem deferre curabimus, veſtrum reſponſum per latores preſentium preſtolantes. Valete magnifici nobiles & honorabiles amici noſtri cariſſimi ſemper incolumes, qvibus nos offerimus viſceroſius preparatos.

Copia littere Regis Dacie &c. ad Archiepiſcopum Colonienſem miſſa.

Criſtiernus dei gratia regnorum Dacie &c. Reverendiſſimo in Chriſto patri & orthodoxo principi, ſacri imperii Electori, *Theoderico* Colonienſi Archiepiſcopo, duci Weſtfalie & Angarie, conſangvineo noſtro dilectiſſimo, ſalutem & ſincere dilectionis affectum. Meminimus, qvod alias ob litteras veſtras nobis directas, per qvas Maieſtati noſtre ſuggerere videbamini, qvatinus repreſſalia & arreſta in bonis, rebus, & perſonis *Burgenſium* civitatis veſtre Colonienſis, occaſione atrocis & sacrilege manuum iniectionis, detentionis, ſpolii, & violencie in ſaluo conductu, in Pontificem, Oratorem noſtrum & in noſtra legatione a ſummo pontifice ad oram noſtram & preſentiam revertentem; per ditiones & dominia veſtra decreto ſubtollere & revocare vellemus. Ad qvas ſicut pro tunc rei qvalitas affectabat, ex civitate noſtra Bergenſi veſtre reverende paternitati reſponſales noſtras remiſimus. Sed qvia ut videre videmur, dicti Colonienſes patrati criminis & inauditi facinoris pudorem infamie non formidant, qvin ymmo pro viciſſitudine & ſatisfactionis impendiis, ad qve nobis & dicto Epiſcopo tenentur, nos & ipſum iniurioſis contumeliis per terras & loca diverſa laceſcunt, inherentes tenoribus cedule qvam qvendam *Wenemarum* aſtruunt per ſuum ſtatuiſſe decretum, manu cui aſcribitur fore conſcriptam. Qvam ſi perſpectatius perlegiſſent, patulo eos rubore perſunderet, & liqvidis argumentis funeſta & deteſtanda ſuccumberet ipſorum pernicies, cum cedula ipſa preſumptionem criminis magis & magis accuſet. Utilius enim & honeſtius fuiſſe in primordiis & re adhuc integra recenſemus, ac pertinentius de poteſtate pretenſa, meritisqve ſcribentis, ſingulisque circumſtantiis in re tam gravi, qva de pontificis civili agebatur interitu, diſcuſſiorem & ſolerciorem indaginem commodaſſe, & ad leges canonicas recurriſſe, qve nichil preter iuſtum & eqvum exaudire noſcuntur. Cum apud eos in Colonienſi gymnaſio clariſſimi & inſignes copioſo in numero habeantur, qvo-

rum neminem preter paucos in conceptaculis virulentis livorum & odium foventes hoc dicerent hoc civibus ipſis conſultum dediſſe. Qvod in archiepiſcopos & epiſcopos ſue legacionis per bullam apoſtolicam interdicta ſibi omnimoda poteſtate, a fortiori in extraneos, nec ſacri canones dictant, aut ratione aliqva practica ſervat qve commiſſionibus qve per vive vocis oraculum pretendantur, precipue in arduis & criminalibus, qve iudicialem indaginem expetunt extra curiam ſtetur aut illis obtèmperari qvomodolibet debeat per maxime papiree cedule, de qva fari potius fabuloſum & ridiculoſum exiſtit, qve in vim illius Epiſcopum elicuerit, detineri, percuti, in vulgo confuſibiliter trahi, carcerari, cathenari, bonis rebus & clenodiis tam noſtris qvam ſuis ſpoliari, apocriſarium & oratorem noſtrum in eorum ſaluo conductu confidentem; licet ut notorium extat Emiſſarii regum ubiqve pleniſſima debeant ſecuritate potiri. Cum neqve auctoritas ordinaria in ipſum Epiſcopum iurisdictionem habuerit; neqve ex latebris carcerum, ſicut in ſuis aſcriptionibus impingunt, fugitivus abſceſſit, cum ſibi tum licuerit de manibus inſurgentium, & forcia emulorum, torculentoqve conatu & frementium iniuſtiſſimis auſibus, aſſiſtente miſericordia dei, qvi ſolvit compeditos, ſe liberum vendicare; qvi cum fori ſcribentis non foret, ſe tamen obtulit ſtare iuſtitie . . . . . eo ſi & in qvem tum de ſibi in eum attributa poteſtate conſtaret, qvod optinere neqvivit. Itaqve non obſtantibus omnibus ſupraſcriptis, ſi huiusmodi temerarie patrata ipſi Colonienſes in melius emendare voluerint, Nos habentes ad veſtram reverendiſſimam paternitatem reſpectum & reverenciam ſingularem, ne boni cives veſtri & inculpabiles malorum ſubeant penas, oblacionem per noſtros oratores alias factam Colonie, & noviſſime nunciis civitatum Henſe apud Lubich approbavimus, qvod nos prelibatum Epiſcopum in cauſa huiusmodi iniuriam & ſpolii, dictamini cuiuscunqve principis vel domini non partialis, in locis convenientibus & accommodis, ſiſtere parati erimus, dare & recipere, ſi eqvanimiter & ipſi fecerint, qvatenus auditis partibus qvicqvid in iuſtitia & honore dixerint decernendum, per partes irrefragabiliter obſervetur. Alioqvin ſi contempſerint, neceſſe erit nobis per nos, amicos colligatosqve noſtros, ipſos Colonienſes realiter & perſonaliter viis & modis nobis accommodis & oportunis plectere ultione condigna, donec de cunctis preſumptis conatibus plenarie ſatisfecerint, veſtramqve amicitiam attentiſſime obſecrantes, qvatenus per exhibicionem preſentium dictos Colonienſes de noſtre intentionis ſerie aviſare velitis, & proinde nos de ipſorum propoſito reddere certiores. Licet enim ipſi cives veſtri culpam huiusmodi in paternitatem veſtram retorqvere moliuntur, nos per aſſertionem fide dignorum & ipſius Epiſcopi ſumus pleniformiter informati, qvod non veſtri ſed ſui violenciam huiusmodi & ſpolium patraverunt. Gratias enim exqviſitiſſimas vobis prelibatus Epiſcopus coram nobis & concilio noſtro referebat de pia & viſceroſa compaſſione & benignitate veſtra, qvibus a vobis semper fatetur ſe paternaliter fuiſſe preventum. Valete, Reverendiſſime pater & princeps illuſtris conſangvinee amantiſſime ad vota cui nos intimis ex precordiis offerimus preparatos. Datum in caſtro noſtro Copenhaven, anno LVII. noſtro Regali ſub ſecreto, Ydus May.

Copia

Copia littere ſereniſſimi Regis regnorum Dacie &c. ad Archiepiſcopum Colonienſem miſſa.

Chriſtiernus dei gratia &c. Reverendiſſimo in Chriſto patri *Theoderico* Colonienſi Archiepiſcopo. Illuſtris princeps, amice noſter precariſſime, reminiſcimur qvod alias ex civitate noſtra Bergenſi regni noſtri Norvegie ad litteras paternitatis veſtre reſpondendo inſtancius affectavimus, qvod velletis Conſulatum & cives veſtros Colonienſes commoneſacere ad affectum, qvatinus pecunias, clenodia, iocalia & bona qveqve ex cameris & curia reverendiſſimi patris domini *Marcelli* Epiſcopi Schalholtenſis &c., Conſiliarii & patris noſtri dilecti, necnon privilegia noſtra, litteras & ſcripturas notabilis importancie, ac ſecreta noſtra munimenta, per ſuos familiares ſeu miniſtros ſeu qvoscunqve per eos deputatos ablata, ſublata & aſportata reſtituerent vel reſtitui facerent integraliter, & tam nobis qvam ſibi de damnis verecundia & intereſſe debitam preſtarent emendam. Et qvia ut videre videmur ſurda & absqve reſponſis moliuntur aure pertranſire, & nondum qvid ſuperinde egeritis, cognoſcere certitudinaliter potuimus. Qvamobrem cum advertamus iuſtitiam veſtram, forſan gravioribus implicitam occurrentibus, rem noſtram veriſimiliter neglexiſſe, eandem attente & affectuoſe rogamus, qvatenus in hac re pro finali reſponſo deſideriis noſtris accurrere ſolerter non pigeat, & ipſorum erga nos ſompnolenciam excitare, qvatenus ad reſtitutionem & emendam huiusmodi faciendas voluntate promptiori deliberent. Alioqvin qvicqvid in eos & ſuos & ipſorum bona facturi mediante iuſtitia per nos & amicos ac nobis adherentes erimus, pro tanti vindicta facinoris noverint arrogari. Super qvibus veſtram reverendam paternitatem & ipſos reddimus aviſatos. Nec eos ſufficere arbitramur tergiverſationem coloratam per eorum litteras intimatam, cum Cardinalis *Nicolaus de Cuſa* in archiepiſcopos & epiſcopos infra ſue legationis terminos, derogatoria obſtante clauſula & a fortiori in alios, qve ſue iurisdictioni non ſuberant, nulla fretus fuerat poteſtate: Sive qvod ad id a ſede apoſtolica mandatum recepiſſet ſpeciale, qvod dominus *Nicolaus* Papa noſtris oratoribus dediſſe conſtanter negavit, qui Rome ipſum reverenter intuitu noſtro tractaverat. Neqve ſue fuerat intentionis ut aſſeruit, oratorem noſtrum ſolemniter a ſede apoſtolica ad nos revertentem, qvi ubiqve potiri debuit libertate, in via facere retardari, ſive tam pernicioſe & confuſibiliter ſpoliari: cum de dicto rerum ſpolio eciam idem Cardinalis ſe vehementer excuſet tanqvam preter ipſius mandatum commiſſo; ut per ſeqvelam ipſi civitati maneat imputandum, ex eo permaxime qvod dictum Epiſcopum in ſalvo conductu civitatis arripere preſumpſerunt. Optime etiam ſcientes qvod vigore federis inter archiepiſcopos & ipſos prelatos, epiſcopos alienos & ambaſiatores principum etiam reqviſita detinuiſſe minime debuiſſent. Datum in caſtro noſtro Hafnenſi, noſtro ſub ſecreto, anno domini MCDLV menſis Decembris.

Copia ſereniſſimi Chriſterni *regis Dacie &c. miſſa ad* Fridericum *Imperatorem &c.*

Sereniſſimo & invictiſſimo principi domino *Friderico* divina favente clementia Romanorum Imperatori ſemper Auguſto, duci Auſtrie, Carinthie &c. fratri noſtro

noſtro cariſſimo, *Criſiernus* dei gratia Dacie, Norvegie &c. ſalutem & ſincere devotionis affectum. Sperabamus Imperator exelſe, promotione ſanctiſſimi domini *Calixti* Pape III. iocundis & laudabilibus dudum de ſue ſanctitatis ſcientia & meritis ac multiplicium probitate virtutum rumoribus intellectis, qvod ſua perſpicaciſſima ſapientia nonnulla, qve eius deceſſor in regno noſtro Norvegie, qvorundam ſubrepcione conſultus in fractionem litterarum ſuarum & in preiudicium pragmatice exauctorationis, cui cum ſereniſſimo fratre noſtro Rege francorum in regnis noſtris innitimur, & in temeracionem admiſſorum & conceſſorum per dominum *Eugenium* primo, & demum per ipſum *Nicolaum* qvintum ſummos pontifices pro natione Germanica, cui incorporati exiſtimus & uniti, ſtatuerat, qve in dicto regno noſtro graviſſimorum malorum fomitem preſtiterunt; ut odioſis conceptis livoribus pericula guerre, & pontificum, baronum, militum, & ſpectabilium procerum noſtrorum mortes ac ſeditiones, cum noſtri ſtatus periculo extemplo ſuborte ſint de proximo, qve ſupra modum accreſcere formidemus: Ipſe dominus Apoſtolicus utilius & prudencius emendaret. Sed proch dolor! Sereniſſime Ceſar, qvod verebamur, accidit, & qvod timebamus, advenit. Nam preſatus dominus ſummus pontifex, in ipſis ſue creationis primordiis, nobis adhuc obitum alterius ignorantibus & novitatibus ad nos de ſua creatione nondum delatis, oratoribus noſtris, qvi per annum Rome fuerant retardati inexpeditis remiſſis, qve deceſſor inconſulte egerat, non reformavit in melius, qvin ymmo ad diſcriminoſum eventum & multo maius periculum preſtitit incentivum, nam qvorundam nobis non faventium ſuggeſtionibus, ut intelleximus, propulſatus, e veſtigio predeceſſoris geſta, qve per evidentiſſimas rationes & cauſas per litteras & oratores noſtros perſvaſimus revocari, licet bona ipſum ſanctiſſimum patrem intentione feciſſe putemus, incaute tamen, rata habuit & reſcriptis ſtrictioribus executioni demandari decrevit. Conveniſſe tamen ſperamus apoſtolice dignitati, ut cum ſupportacione loqvamur, in rem tam gravem parumper ſubſiſtere, donec propoſitum noſtrarum Eccleſiarum & regni totius ſingulorum merita luculentius perſpectaſſet. Abſit ſanctitatem ſuam cauſari a nobis, in qvam nemini chriſtiano licere credimus invehere qvicqvam indignum; execramur tamen perniciem ſuggerentium, qvi propter privatum affectum moliti ſunt Chriſti vicarium circumvenire ſuſurris, ut nos in eccleſie Noricane privilegiis, iuribus, libertatibus & preſcriptis conſvetudinibus noſtris, nullo unqvam tempore per ſummos pontifices temeratis, tanto cum diſpendio privaremur, qvibus nulla lex innoxios privat. Hec, Ceſar exelſe, ſuccincte perſtrinximus, qvatenus Imperialis magnitudo ceteriqve Reges & principes orthodoxi evidenter cognoſcant, nos huiusmodi nobis & regno noſtro ac eccleſiis Noricanis illata patienter ſuſtinuiſſe modeſtia filiali: Etiam (teſtamur deum) ſuſtinemus, ne ſedem apoſtolicam lederemus, usqve ad corone & ſtatus noſtri periculum manifeſtum, & pro ſummi pontificis reverencia iugum oneris eius obedienter ſubivimus. Sed cum videamus indies talia in maiorem perniciem excreſcere, amplius diſſimulare non poſſumus, & cum Parliamento conſilio generali & eccleſiarum prelatis in hanc ſententiam perſiſtere intendamus, qvod, qvia incitamur, ſit pocius abeundum, & ſeqvelam talium mandatorum pretenſorum retinere ſuſpenſam cum minori qva poterimus Eccleſie Romane offenſa, qvam regni noſtri perdere non noſtris demeritis dominatum. Nam pridem a comitatibus regni accuratiſſime exhortati ſumus, qvod ea, qve de conſervandis eccleſiarum privilegiis & iuribus in noſtra

coro-

coronatione iuravimus, obſervemus. Qvamobrem qvia prefatus ſanctiſſimus dominus Papa perſepius & oratoribus pro noſtra & regni ac eccleſiarum parte pulſatus, preces & inſtantias noſtras obaudire videtur, Imperatoriam maieſtatem tanqvam eccleſie ſancte ſupremum advocatum adire decrevimus, fraternis cum inſtanciis obſecrantes, qvatenus placeat prelibatum ſummum pontificem & reverendiſſimos dominos Cardinales per Imperiales epiſtolas acuratius informare, qvatenus ad vitanda pericula imminentia, infinitorum perditionem & recidivam animarum regni noſtri predicti, ad pacandam effuſionem ſangvinis innoxii, & ad precavendam ſtatus noſtri ruinam; cum in tanto contradictorio res deducta ſit, ut ſi votis ſummi pontificis obtemperare nitemur, ad rebellionem populos incitabimus, ſi in iuramentis preſtitis perſiſtere voluerimus, ſedem apoſtolicam offendemus; dignetur Eccleſias Noricanas paternis confovere affectibus, iura, privilegia & laudabiles conſvetudines ipſorum conſervare intacta, optatumqve eis Archiepiſcopum inſtituere: memineritqve ſanctitas ſua, qvod ſepe minora tolleranda ſunt, ut graviora pericula evitentur. Et qvia pro ſingulis particularibus, qve indaginem prolixiorem affectant, oratio compendioſa non ſufficit, mittimus ad imperialem preſentiam ſpectabilem & egregium virum *Geminianum Triviſanum*, aule noſtre contubernalem & procerem Scutiferum, noſtrum oratorem & ambaſiatorem noſtrum pleno mandato ſuffultum, qvi ipſam de ſingulis de noſtra intentione in premiſſis & aliis plenius informabit; cui dignetur Ceſarea Excellentia in dicendis & referendis dare credencie plenam fidem, ipſumqve noſtri contemplatione ſuſcipere opido commendatum. Datum in caſtro noſtro Copenhaven regni noſtri Dacie, idus Aprilis, anno domini M. qvadringenteſimo LVI. noſtro ſub regali ſecreto.

Excelſi principis Regis Criſterni *Dacie Norvegie copia ad Regem Aragonum* Alfonſum *miſſa.*

Sereniſſimo & exelſo Principi *Alfonſo* dei gratia Aragonum, Jeruſalem & Sicilie Regi &c. fratri noſtro precariſſimo *Chriſtiernus* eadem gratia &c. ſalutem & ſincere dilectionis affectum. Subiit animum, inclite Rex, rebus admodum graviſſimis nos urgentibus, deſiderium noſtrum, qvod ad felices ſucceſſus fortunarum veſtrarum optatibus accommodavimus ſcedulis, preclariſſimo famato preconio glorie veſtre geſtiamus affatim veſtram regalem excellentiam affluentiori ſorte provehi & eminentiori faſtigio exornari; cum neminem alium at etate noſtra, intelligamus ſapientia, providencia ac potentia tanta preditum, qvi freqventes barbarorum aggreſſus accommodatius ſuburgere valeat, & de *Chriſtianorum* finibus exturbare. Offert in preſentiarum ſe locus, ut affectum noſtrum apicibus noſtris & litteris exaramus, ac congaudentes felicibus rebus fortunisqve veſtris, fraterna aperiamus fiducia qvantis in hiis aqvilonaribus angulis paganorum inſultibus angemur. Cum nobis cum Tartaris, Cumanitis, Erpionibus, Manbris, & Lapis, ferociſſimis nationibus continua pugna concreſcat, extemplo bellicis contra eos exercitemur congreſſibus. Nam cum regnum noſtrum Norvegie vadis & terminis extendatur latiſſimis, qve pro ipſius amplitudine menſium iter exſuperet, contraqve noſtros gentiles ad invicem . . . . . qvi in expeditionibus ſuis centum & qvinqvaginta millium numerum armatorum excedat,

qvos nos licet diuturnis ſubegimus congreſſibus, & regno noſtro fecimus tributarios, perſepe clandeſtinis turmatim noſtros aggrediuntur inſultibus, & rapinis & animarum ac animantium ſpoliis laceſcunt, prout & noſtri vice verſa ſuos devaſtant: Et preter id, qvod diximus, nova nos *Chriſtianorum* guerra impellit, qvam rex Swecorum etiam temerarie contra nos invehere non veretur, licet captis municionibus ſuis & preſidiis ſubactis fortiſſimis ſuperbam ipſius frontem pacavimus. Expectamus cum rege Anglorum nova diſſidia propter terram noſtram Yflandie, unde incitari timemus ad ſibi diffidentiales litteras deſtinandum. Sed pro hiis omnibus gravius mentem noſtram perturbant & angunt ac multiformi invehunt diſplicentia, qve in ipſo regno noſtro Norvegiæ dominus *Nicolaus* Papa qvintus & demum modernus ſummus pontifex inceptarunt, unde execrabilis & horribilis contingebat eventus, qvi populos & militiam & univerſas communitates regni contra ſtatum eccleſiaſticum exitiali furore replevit, & contra maieſtatem noſtram inſurgere concitavit. Hoc non promeruit Regum Norvegie devota religio & ad Romanam eccleſiam firma devotio. Nam ſanctus *Olavus* rex noſter predeceſſor annis qvadringentis nondum effluxis fidem Chriſti primus accepit & demum totum regnum convertit, fundatis & dotatis ex ere regio inſigni metropoli & tredecim eccleſiis ſuffraganeis. Qvo propterea ſummi pontifices & concilia generalia religioſa pro viciſſitudine, privilegio & conſtitutione irrefragabili & perpetua ſtatuerunt, qvod in Archiepiſcoporum & Epiſcoporum inſtitucionibus & confirmationibus, regis pro tempore, tanqvam fundatoris patroni votum & conſenſus expectetur per Papam. Ex eo permaxime, qvod omnes Eccleſie Noricane ultra dotem priorem feudis regalibus potiantur. Et Archiepiſcopus pro tempore hoc fruatur privilegio, qvod ſupremus regni conſiliarius ſit & regius locum tenens, in cuius abſentia ipſe regni gubernacula moderetur, & contra barbaros expeditiones congreget, acies diſponat, caſtra componat, & ſibi omnes in caſtris obtemperent; unde Regem ſibi creditum, fidum, idoneum, & experientia certa probatum Archiepiſcopum oporteat optinere. Tamen neſcimus qvo omine vel qva iuſtitia dominus *Nicolaus* Papa prefatus pridem poſtulationem canonicam ad vacantem Nidroſienſem eccleſiam de perſona Epiſcopi viri Reverendiſſimi magnum ſcientie & virtutis, multorum Regum & principum neceſſarii, tunc poſtulacionis tempore apoſtolice ſedis Legati, in multis facultatibus graduati celebratam, eccleſie, cleri, epiſcoporum, ſuffraganeorum in noſtra coronatione preſentium, baronum, magnatorum & procerum unanimi voto expetitam, & cum noſtris maximis inſtantiis affectatam; ut qvendam irreligioſum, nobis incognitum, invalidum, lingve ignarum, & ad eccleſie officium nobis nullo pacto congruentem, cum hoſtibus noſtris & inimicis ſecretam intelligentiam habentem perficeret, reiecit: & vacuum ad nos revertentem, ne alterius proviſioni coram nobis obſiſteret in via detineri, ut dicitur, ordinavit, iocalibus, clenodiis, pecuniarum ſummis, libris, & cunctis ſuis ſupellectilibus magni valoris, tam noſtris qvam ſuis in notabili numero ſpoliari, in noſtrum ſingularem contemptum, cum inter res epiſcopi prefati aderant privilegia, littereqve noſtre, & principum ad nos ſecretiores, & importancie; qve etiam in preſentem diem ſic ablata iniuſtiſſime retinentur, qvod barbaricam rabiem non credimus preſumpſiſſe. Sperabamus enim nuncios & oratores noſtros ad ſedem apoſtolicam tanqvam ad patrem pacis & concordie miſiſſe absqve cuiuscunqve impulſione ſecuros. Nec inſtantias litteris & oratoribus crebrius in contrarium

trarium replicatas advertit, donec ſubtrahebatur a ſeculo. Poſtmodum ſanctiſſimo domino Papa moderno ad apicem apoſtolatus aſſumpto, reſumpſimus fiduciam ſingularem pro ſuis ſapientia & meritis, per ſuum deceſſorem inconſulte geſta prudencius emendari. Sed qvid dicemus, Rex clariſſime. Qvod verebamur, accidit, & qvod timebamus, advenit. Nam repente in ſue creationis primordiis, in maius noſtrarum eccleſiarum & regni contemptum, emulorum noſtrorum ſuggeſtione preventus, nobis inſciis, ymmo de ſua adhuc creatione penitus ignorantibus, rata habuit & confirmavit. Irreligioſum illum, cui predeceſſor proviserat, pro pace eccleſie reſignare volentem, admittere voluit, ymmo litterarum patrocinio, ut rediret, fulcivit: Oratoribus noſtris tum ad hunc preſentibus, inexpeditis & absqve reſponſis ad nos remiſſis. O qvam deflendum ſpectaculum! non cauſamur ſanctitatem ſuam qvam circumventam iudicare poſſumus, ſed condolemus infauſtis fatis in nobis, qvod liceat fieri inproperium (?) illud, qvod nulli etiam minimo ingerit principi chriſtiano, ut Epiſcopus non optatus detur invitis. Unde non pax, non utilitas, ſed diſcordie & mortes ac ultimum ſtatus noſtri excidium expectetur, ſicut qvi ſtatim ſeqvebatur docuit rerum eventus, qvod ſuſcitata ſeditione propterea in regno ipſo, Bergenſis Epiſcopus vir clariſſimus, prelati, barones, cruenta morte multati ſunt: Nobisqve optio data ſit, qvod pro ſubſiſtentia libertatum & privilegiorum regni & eccleſie, effectualiter ſicut in noſtra coronatione iuravimus, laboremus, niſi regno privari velimus. Hec omnia, Rex illuſtriſſime, longa narratione narrata perſtrinximus, ut aperte intelligat regia magnitudo, qvam importabile onus a ſede apoſtolica nobis imponitur, ut propter unum hominem nobis promovendum invitis tante cladis furor ſubreperit, ſtatus noſtri periculum expectetur, & infinitarum formidemus interitum animarum, ſi Noricanus populus ad ritum & obſervantiam ſe Ruthenorum contulerint. Qvamobrem cum preces noſtre non penetrent, & inſtantiis noſtris ſummi non patent pontificis aures, fraternitatem veſtram hiis primitivis apicibus ſub ſingulari fiducia duximus obſecrandam, qvatenus dominum Apoſtolicum, qvem intelleximus vobis precipuo nexu coniunctum, ad noſtram complacentiam ſingularem, per veſtrum ſpecialem Oratorem interpellare velitis, qvatenus poſtpoſitis qvibuscunqve contrariis, poſtulacionem in ſuo robore admittat, & alteri aliunde provideat. Res enim neceſſario exigit ipſum poſtulatum in eccleſia tollerari, niſi ſummus pontifex obedientia, & nos regno privari velimus. Et qvia ad ſufficientem veſtre Maieſtatis informationem narratio preſens non ſufficit, ad veſtram regalem preſentiam, ſpectabilem & egregium virum *Geminianum Triviſanum*, aule noſtre regalis Palatinum contubernalem & procerem noſtrum oratorem & Ambaſiatorem noſtrum pleno ſuffultum duximus mandato deſtinandum. Cui ſuper premiſſis & aliis referendis dignetur Regia magnitudo ſicut nobis ipſis dare credencie plenam fidem, ipſumqve noſtri contemplatione ſuſcipere benigne opido commendatum. Datum in Haven, ſexto Kalendis Junii, anno domini milleſimo qvadringenteſimo qvinqvageſimo ſexto, noſtro ſub regali ſecreto.

Copia Sereniſſimi Regis Dacie &c. ad Cardinalem Sancti Angeli miſſa.

Chriſtiernus dei gratia &c. reverendiſſimo in Chriſto patri domino *Johanni* miſeratione divina ſacroſancte Romane Eccleſie Sancti Angeli in foro piſcium dyacono

acono Cardinali, amico noſtro ſinceriſſimo, ſalutem & ſincere dilectionis affectum. Qvamvis pridem ad litteras paternitatis veſtre ultimo nobis delatas reſponſales noſtras direximus, confidentes in cauſa Nidroſienſis Eccleſie pro veſtra informacione ſufficere: Sed qvia de poſt adventancium relatibus dictum nobis ſuggeritur, qvod P. V. R. ſuggeſtionibus minus veris preventa in priore opinione tenacius perſeverat, qvo minus reſignatio domini fratris *Henrici Kaldiſon* de Nidroſienſi Eccleſia, qvam tamen non poſſidet, acceptetur; & ad id apud ſummum Pontificem & Collegium ſatagat ſolertia accurata, ſicut etiam retulit Orator noſter ad nos nuper reverſus. Idcirco Reverendiſſime pater, amice precariſſime, hec ſi vera ſunt, & qvantumcunqve bone intentionis dictamine fiant, ad fame veſtre cumulum non accedunt, qvod dicta reſignatio retardetur aut non fiat, qvod fomitem miniſtrabit cladis graviſſime & caſus irreparabilis eccleſie antedicte, & ſtatus regni ac cleri, & ruine teterrime plurimorum. Idcirco ad illa vitanda, in qve nos & noſtros facile proinde credimus percurſuros, Reverendiſſimam P. V. duximus aviſandam, qvod noſtre & conſilii regni noſtri Norvegie Epiſcoporum & magnatorum, & capituli ac cleri totius intentionis irrevocabilis, & ſententia finalis extitit & eſt, ut plene P. V. R. intelligat propter cauſas, qvas ſummo Pontifici ſcripſimus, vobis per copiam miſſas, & obſtante iureiurando per nos in & ad regnorum noſtrorum introductione primaria preſtito, & demum qvando regium diadema recepimus repetito; cui, licet dominus Apoſtolicus non obſtare in litteris ſuis ſvadeat, nulla ymaginabili via vel ingenio nos, qvi ſumus ſacro criſmate delibuti, contravenire intendimus: qvod ſi nos non aſtringeret, non fuiſſet per ſedem Apoſtolicam & generalia conſilia approbatum. Et qvia mala fide votum & iuramentum ſpontaneum, non coactum, de reſignando eccleſiam ſervare contemnit, ac qvia ſe talem exhibuit, ut in articulis pridem domino Pape per nos miſſis continetur, qvod non admitti ſed omnino refutari meruerit, etiam cum miſſivis & arte ſuſcitavit in regno inter magnatos inteſtinas diſcordias, qvod pridem bellicoſo certamine, occaſione ſui, barones & milites, prelati & de clero qvamplurimi mutuis occubuere mucronibus, & inter ceteros colende memorie *Turlavus* Bergenſis Epiſcopus in illo concertantium fremitu crudeli morte interiit; ut tam ſceleſti facinore ſtatus Regius in dicto regno iri poterat profligatum. Qvod ſi, ut famatur, tanto neceſſitudinis glutino vobis aſtringitur, potens ſui merito eſtis ſvaſionibus oportunis. Qvamobrem veſtram R. P. cum omni qva ſincera affectione valeamus obnixius obſecramus, qvatenus dicta eccleſia, qve iam ſeptennio viduata flebiliter perſeverat, ipſius dicti fratris *Henrici* reſignatione admiſſa, per induſtriam R. P. V. & operam reſtituatur ſue canonice libertati. Affectantes qvatenus ſanctiſſimo patri domino ſummo Pontifici dignemini pro noſtra parte filialiter ſvadere, qvatenus dignetur ſanctitas ſua ad vitanda ſimilia Eccleſiarum diſcrimina, de beneficiis Eccleſiarum regnorum noſtrorum precipue cathedralium, non ad qvorumcunqve ſuggerentium votum, providendo vel inſtituendo, absqve certa & veridica rerum gerendarum notitia, ſeu nulla prius intimatione nobis facta, diſponere. Nam Rome per qvendam *Ericum* Swecum hoſpitalis S. Brigide rectorem, in regnis noſtris, precipue in Yſlandia multe novitates preſumuntur, ſicut in informatione preſentibus introcluſa videre poteritis. Valeat veſtra paternitas felicibus ſucceſſibus & optatis. Anno domini MCCCCLV(I) noſtro ſub Regali ſecreto.

Copia

Copia ſeqvens Archiepiſcopi Lundenſis & Epiſcopi Roſkildenſis ad dominum Apoſtolicum miſſa.

Sanctiſſimo in Chriſto patri domino *Kaliſto* divina providentia ſacroſancte Romane & univerſalis eccleſie ſummo pontifici, *Tuvo* Archiepiſcopus Lundenſis & *Olavus* Epiſcopus Roſkildenſis reverentiam debitam & devotam ad pedum oſcula beatorum. Receptis pridem veſtre ſanctitudinis litteris materiam qvorundam articulorum criminalium Reverendo patri domino *Marcello* Schalholtenſi obiectorum continentibus, volentes prout decet obedire filios mandatum exeqvi apoſtolicum; licet propter duram immanitatem gverrarum, qvas huic regno Rex Swecorum crudelibus & freqventibus infert aggreſſibus, tam cito ad invicem convenire neqvivimus. Cum rex predictus nec ſacris edibus aut clericali ordini deferat ut nos continuis ad rerum tuitionem eccleſiaſticarum incredibilibus ſumptibus, usqve ad extremam facultatum eccleſiarum noſtrarum egeſtatem invigilare oporteat in ſue ditionis terminis conſtitutos. Tandem oportunitate captata, ſicut beatitudo veſtra in litteris prefatis nobis iniungit, Regiam Maieſtatem habuimus inſtantius adhortatam, qvam ad omnem proſecutionem iuſtitie comperimus propenſiorem. Sed qvia ſibi & nobis viſum fuit eqvitati & iuſtitie convenire, in tali & tanta re, ubi de crimine exitiali, preſertim in pontificem, eiusqve conſiliarium & ſpecialiter dilectum, apud ſuam Maieſtatem & ceteros magna opinionis fama emeritum, in pluribus facultatibus graduatum, agitur; contra qvem iuxta ſacrorum ſententiam canonum, qvibus in hoc proceſſu nos inniti expediat, graviſſima ſit moderaminis diſcuſſione & luce clarioribus indiciis procedendum, qvod per noſtram incuriam iuſtitia non ledatur, & inſonti non inferatur iniuria, ſicut certi ſumus Beatitudinem veſtram nichil aliud exoptare; preſertim & tumultuorum ſtrepitum & piarum mentium ſchandalum vitaremus. Sed qvia, ſicut intelleximus, Regia ſerenitas per ſuas litteras V. B. ſcribit, diligenti examine de ſuo mandato facto in certis locis non ita geſtum fuiſſe compertum dicitur, ſicut in ipſis articulis continetur. Nos etiam qvod per ipſum illa patrata ſint in iſtis regnis, qve ſibi obiiciuntur ſue legationis tempore, probari poſſe non comperimus, unde merito de ceterorum obiectorum in articulis contentorum ſubſiſtencia inpendulum veriſimiliter heſitandum iudicare poſſumus. Et ad hoc plurimum facit, pater ſanctiſſime, qvia prefatus Epiſcopus de nobis facta commiſſione percipiens, ſpontaneo & libero animo, non vocatus nec tractus, noſtris ſe preſentavit conſpectibus, noſtroqve iudicio nulla exeptione previa ſe ſubmiſit, debita ſibi iuris defenſione ſalva, paratum ſe offerens veſtre ſanctitatis & ſancte apoſtolice ſedis ac noſtris iuſſionibus obedire; ſuam qvoqve defenſionem replicam nobis preſentavit in ſcriptis. Qvo propterea regia celſitudo deliberato nobiſcum ſuggeſtum ſenſuit, qvia cauſa dictorum obiectorum ex prenarratis rationabile contineat dubium, ſicut in ſue defenſionis obſtantiis liqvide iudicari poteſt, ut nos propterea animos noſtros ſuſpenſos interim tenere oporteat, donec veſtro Apoſtolatui duxerimus referendum; ut Beatitudo veſtra clarioribus evidenciis colligat, an predicti criminales articuli ſint invidia vel odio adinventi, & per ſubrepcionem ſuggeſti, aut per aminiculum rei iudicate extincti. Et tunc de benignitate & gratia apoſtolica ab huiusmodi obiectis antedictum Epiſcopum dignemini facere redimitum, vel qvo ordine ulterius dirigamur, remiſſis nobis iudicialiter actis & actitatis ac proceſſibus, unde probationem efficacem dictorum articulorum coram aſſertis

commiſſariis factam eliqvidare poſſimus, ſanctitas veſtra pro ſerenitate conſcientiarum noſtrarum paratis filiis obedientie eiusdem ſanctitatis veſtre ſignificare dignetur, cui nos & eccleſias noſtras devote & humiliter commendamus. Scriptum ſub teſtimonio ſigillorum noſtrorum, anno domini milleſimo qvadringenteſimo qvinqvageſimo qvinto, menſis Februarii &c.

Copia domini Regis glorioſi Dacie Sw. Nor. &c. ad Cardinalem Sancti Sixti miſſa.

Chriſtiernus dei gratia &c. Reverendiſſimo in Chriſto patri domino *Jo.* miſeratione divina ſacroſancte Romane eccleſie tituli S. Marie in Tranſtibrini presbytero Cardinali, ſancti Sixti vulgariter nuncupato, amico noſtro precariſſimo. Qvod nondum veſtre R. P. cognitus aut ſpecialis neceſſitudinis nexu coniunctus P. V. apicibus noſtris provocare confidimus, hanc nobis fiduciam preſtitit preclara fama virtutum, conſcientie, ſcientie & ſapientie veſtre. Talem qvidem nobis expedire, & rei, de qva ſcripturi ſumus accommodatiſſimum iudicamus, cum illa, qve deſideria noſtra ſinceriter flagitant, ſi pacientem & eqvanimem auditorem vendicare poterint, certi erimus, iuſticiam profligatum non iri. Reverendiſſime pater, etſi in cauſa Nidroſienſis eccleſie multa ſint, qve ad affectum domini *Henrici Kaldiſen* pro religionis ſcientie teſtimonio & fame, graviſſimorum etiam mentes demulceant; qvia illa in ſuperficie tamen opinionum contingunt, ſperamus P. V. R. non hominum opinionibus delectari, qve falluntur ſepe & fallunt, ſed in interiori medulla hominum indagare cordis intrinſeca, qve ex operibus dignoſcuntur. Et qvia experimentaliter cognoſcimus, tria fore, qve eccleſiam ipſam Nidroſienſem in controverſia occurrenti, ymmo & Coronam noſtram laceſcunt, & magnis ac formidabilibus exponunt periculis, videlicet qvam dictus dominus *Hinricus* per continuam & longam in Romana curia moram, opinionem, & favores dum degebat in privatis contraxit; & immaniſſima emulorum crepido, qvos dominus *Marcellus* ſuſtinet, ſuſurrans; & latiſſima marium freta terrarumqve ſpatia, qve a nobis Romanam curiam ſeparant: ut qve diſtantia non preſtat, detractio ſubruat inſurgentium, & pacis emula ambitionis vorago, qve illos duos dudum intimos disiunxit amicos. Verum cum hoc mordaciſſimum contentionis virus totum regnum noſtrum Norvegie tanta admodum congerie diſſenſionum perturbet, qvod recidivam infiniti populi ad priora ſcismata, & ſtatus noſtri periculum vereamur; poſteaqvam ſummus Pontifex inſtantias noſtras remedia flagitantes oportuna obaudit, nec compareat, qvi pupillis eccleſie in lateribus aqvilonaribus conſtitutis miſereatur, importune ad hoſtium ſancte Romane eccleſie pulſare decrevimus, illam filiali devotione commoneſacere & a ſompnolentia excitare, veſtramqve R. P. cui veritatem & iuſtitiam magis fore amicam ſperamus, coram tremendo Dei iudicio obſecrantes, qvatenus lapſum tantarum animarum regni predicti, veſtre circumſpectionis zelo & opera vitare velitis. Et enim parochiales eccleſie in ipſo Regno habentur viginti tria milia*) qve magnam in partem in dyoceſi Nidroſienſi & Bergenſi ſituantur, qvarum prima ſeptem iam annis proprii balatum paſtoris ignorat, alia violenta pridem pontificis

*) [exceſſivus numerus, cui & in Mſ. linea qvædam ſubducta]. Nota *Bartholini.*

ificis nece vidua perſeverat. Cetere vero dyoceſes adeo in remotis conſiſtant, qvod vadis & alpibus ab illis disiungantur latiſſimis, qvod non ſit illarum pontificibus facile eis paſtorali cura adeſſe. Meminerit etiam V. R. P. qvod licet a ſummo Pontifice & aliis qvam pluribus Maieſtati noſtre dominus *Hinricus* prefatus multarum nobis laudum preconiis efferatur, nos tamen & noſtri alium qvam vidimus, probavimus, & ex geſtis ſuis palpavimus, reputare & iudicare non poſſumus; qvi licet facultate & profeſſione P. V. ſit proximus, deum iuſtitiam & veritatem in conſcientie veſtre archanis pro rebus omnibus optinere minime dubitamus. Potens enim eſt apoſtolica ſedes ſibi aliunde providere, ut exitiale periculum regno ſubmoveat. Mittimus propterea ſpectabilem virum *Geminianum Triviſanum,* palatinum aule noſtre regalis, ſcutiferum noſtrum, Ambaſiatorem & oratorem noſtrum, ad preſentiam domini ſummi Pontificis & veſtram, qvi V. R. P. latius informabit, cui in dicendis pro noſtra parte & referendis, tanqvam nobis fidem credulam adhibere velitis. Datum &c. Idus Junii anno domini &c. LVI. noſtro ſub regali ſecreto.

Copia Regis Dacie &c. ad Papam, in facto interfectionis Epiſcopi Bergenſis, & promotorialis pro domino Joachim *electo.*

1456. *Aprilis.*

Sanctiſſimo & beatiſſimo in Chriſto patri domino *Calixto* divina providentia ſancte Romane & univerſalis eccleſie ſummo pontifici, *Chriſtiernus* dei gratia Dacie Norwegie &c. reverentiam & devotionem filialem. Scripſi alias veſtre beatitudini, qve ſi caſu aliqvod litera retardata ſit, per latorem preſentium illum duxi attentius replicandum lugubrem funeſtumqve caſum, qvi paucis diebus nondum decurſis in civitate Bergenſi regni mei Norvegie dolenter inualuit. Replicatis apicibus regiis communiqve adventantium fama S. V. innoteſcere potuit, qvod cruenta manus impiorum in venerabilem Epiſcopum eccleſie pontificem, virum vite ſpectabilem at moriturum turpi necis iactura irrepſerint, in ſacras edes ſpolia ignem & tumultuoſum etiam mortis ſuperiniciendo furorem. Qvo propterea, beatiſſime Pater, eccleſia tam temerario auſu timetur ſubjicienda eccleſiaſtico interdicto. Sed qvatenus ab indigenis & ordinaria ac dyoceſana lege ſubiectis tantus culpe reatus patratus non fuerit, ſacris canonibus inſontes puniri non debere, mandantibus ſperatur clementia V. S. paterne pietatis oculis dictam eccleſiam & ipſius clerum miſericorditer prevenire. Cum vero noviſſime, ne Eccleſiam antedictam contingeret in tanto tribulationum profluvio diuturne vacationis ſubire diſpendia, Archidyaconus & Capitulum ipſius Bergenſis eccleſie vocatis vocandis, & ſingulis in talibus ſervandis de iure & conſvetudine ſervatis, ad ſucceſſoris pontificis electionem die ſtatuta, invocata ſpiritus ſancti gratia, proceſſerunt unanimiter, & concorditer nemine diſcrepante venerabilem virum *Joachim Grubb* Canonicum Roſkildenſem, in ſacerdotio conſtitutum, nobili proſapia Regni noſtri Dacie procreatum, litteratum, maturum, gravitate virtuoſa refertum, defectum tamen etatis aliqvalem ad pontificalem dignitatem patientem, nominaverunt & elegerunt. Cui ego propter aggreſſus, qvos continue patiebatur eccleſia, cuſtodiam & curam rerum temporalium Eccleſie tantum commiſi. Qvocirca ne Eccleſia memorata & devotus populus diſpendia graviora prop-

propter dictum caſum incurrat, qvi timetur alias veriſimiliter onerare ſanctitatem veſtram filiali cum devotione attentiſſime duxi exorandam, qvatenus dignetur interdictum Eccleſiaſticum, ſi qvod forſitan Eccleſia & civitas noſcitur incurriſſe, detollere & relaxare, & optatum ac electum antiſtitem clementi de apoſtolice ſedis gratia cum diſpenſationis munere ſuper etate ac ceteris defectibus confirmare. In qvo, beatiſſime pater, non ſolum michi, qvi in ipſam electionem pro iure Regio conſenſi, ſed univerſitati & parliamento regni mei Norwegie de ipſius bono & utili futuro regimine ſpem indubiam obtinentibus, veſtra ſanctitas complacebit. Reminiſcere enim dignetur S. V. qvod ſicut perſepius V. S. ſcripſi, neminem dictam eccleſiam adipiſcere poſſe niſi privilegiis, iuribus & libertatibus corone & eccleſiarum ſalvis. Datum in Copenhaven, noſtro ſub regali ſecreto &c.

Ad ſummum Pontificem in cauſa Eccleſie Monaſterii Roſkildenſis contra B.

Sanctiſſimo & beatiſſimo in Chriſto patri domino *Caliſto* divina providentia ſancte Romane & univerſalis eccleſie ſummo Pontifici, *Criſtiernus* dei gratia &c. Reverentiam devotam & filialem. Regie Maieſtatis officium non ſolum in ſpeculum a ſuperis inſtitutum dignoſcitur, ut ſuperintendat ſecularibus & prophanis, ſed ut ex uberantiori ſtudio eccleſiaſticos tueatur ſtatus, & religionis divine obſervantias favorabili aſſiſtentia proſeqvatur: qvatenus ubi eccleſiaſtica diſciplina non ſuppetit, providentia Regalis ſuccurrat. Sane, pater beatiſſime, dudum ad obviandum litibus & gravaminibus Eccleſiarum precipue cathedralium regni mei Dacie, qve propter proviſiones apoſtolicas in dictis eccleſiis extraneis & extra regnum oriundis factas perſepius emergebant, ſancte memorie *Nicolaus* Papa Qvintus veſtre ſanctitatis deceſſor per litteras ſuas michi addixit, qvod de cetero nulli extraneo debetur, ut promittitur provideri, niſi prius meo expreſſo optento conſenſu. Nichilominus poſtea calida ſuggeſtione preventus, Prebendam vacantem in cathedrali eccleſia Roſkildenſi, non tamen ad ſedem apoſtolicam devolutam, clauſis ordinarii collatoris manibus, cuidam *Bürgero* aſſerto Prepoſito Upſalenſi contulit, & ad illam admitti mandavit. Ad qvam reverendo patre Epiſcopo & capitulo ea, qve de ſuis demeritis nondum in lucem prodierant ignorantibus, licet in ſingulare diſcrimen & preiudicium ordinacionum & ſtatutorum eccleſie, fuit admiſſus. Verum qvod iuxta eccleſie ſtatuta ac per eundem *Bürgerum* iuramento firmata, per ſeptennium vel circiter, per ſe vel procuratorem legitimum, nusqvam ut moris eſt comparuit nec deſervivit eccleſie neqve obſeqvabatur: Unde neglecto divino cultu & aliis miniſteriis, propter ipſius abſentiam iudicibiliter Eccleſia gravabatur; licet per intervalla terminorum ſecundum formam iuris eciam ex ſuperhabundanti citatus expectatus & iterum expectatus comparere contempſerit. Qvinymmo ſe preſumptorie reddidit. Continuato ſcilentio etiam preteriri, Beatiſſime pater, non licet, qvam ſuperba & elata fronte idem *Bürgerus* negotiorum principum ſecreta ingerit, polluto ore Regum honorem dilacerat, & contra Maieſtatem per cavillationes ſuſurrando & ſeditiones ſcriptis & verbis in hoc regno meo ſuggerit & diſſeminat. Qvo propterea indignum foret & res fieret expreſſi periculi, crimine leſe Maieſtatis conſperſum in venerabili illa tollerare eccleſia, & monſtrum illud teterrimum cum venerandis Canonicis capi-

capitulariter conſedere. Qvem potius tanqvam virulentum expediat contagium evitare. In admirationem enim & ſtuporem univerſi tabeſcunt, qvod tantorum ſcelerum patratorem Romana Eccleſia tolleret & impunitum relinqvat. Ego qvidem prefato Reverendo patri Epiſcopo miſſis relationibus regiis intimavi, qvod in illa Eccleſia nullo pacto, nulla ratione propter predicta ſcelera ſufferre intendo tamqvam regni mei viliſſimum hoſtem. Qvocirca, beatiſſime Pater, hec ſcripta ad ſanctitudinem veſtram recenſere decrevi, non qvod hominis indigni & non magne condicionis animadverſionem anhelem, ſed ut eadem S. V. plene facta ipſius intelligat, ac privationem ipſius canonicam ac reiectionem eius utilem ac proviſionem alteri viro provido ydoneo & utili in veſtra Romana curia exiſtenti factam, gratas & ratas apoſtolica auctoritate haberi dignemini, & ipſam filiam Romane Eccleſie Roſkildenſem Eccleſiam, qve in omnibus ſe V. S. & Sancte apoſtolice ſedi humiliter & devote ſubmittit, a tam peſtifero & procaci homine redimere ſibi perpetuum ſilentium imponendo. In qvo gratiſſimam & placidam michi efficiet complacentiam, offerendo me filiali cum devotione ad veſtre ſanctitatis beneplacita & gratuita. Datum in caſtro noſtro Copenhaven Dacie, die qvarta decima menſis Novembris, anno domini &c. LVI. meo ſub regali ſecreto.

Copia Litere ad Cardinalem de Columpnâ in cauſa Eccleſie Roſkildenſis miſſa die 14 *Dec. contra B.*

Chriſtiernus dei gratia &c. reverendiſſimo in Chriſto Patri domino *P.* miſeratione divina tituli S. Georgii ad aureum vellus, ſancte Romane Eccleſie Dyacono, Cardinali de Columpna, conſangvineo & amico noſtro cariſſimo. Reverendiſſime in Chriſto pater & illuſtris princeps conſangvinee noſter precariſſime. Pridem V. R. ſcripſimus per litteras noſtras de ſtatu Nidroſienſis Eccleſie & periculis graviſſimis ob illam incautam proviſionem formidabiliter imminentibus, obnixiusqve ſupplicavimus, qvatenus V. R. P. accuratiori attentione dignetur per veſtram ſollicitudinem prefatam eccleſiam a tot & tantis anfractibus in tranqvillum ſiſtere & efficere redimitam, ſicut ut ſperamus orator noſter pridem pro hac cauſa deſtinatus latius V. R. P. pro noſtra parte expoſuit. Iterum, Reverendiſſime pater, novum patimur cerberum, qvi licet opere precio vires gerit infernas, & alas, qvibus in altum volet, non habeat, polluto tamen ore & lingva doloſa, litteris & mendaciis hinc inde contra Maieſtatem noſtram ſuſſurra a curia huc ſuggerit & diſſeminat. Unde graviores ſeditiones exoriri poſſent. Qvo propterea ipſum canonicatu & prebenda Roſkildenſi iuridice & iuſtitia mediante privari fecimus, cum indignum ſit crimine leſe maieſtatis reſperſum frui gratie beneficio. Qvocirca V. R. P. acuratiſſime deprecamur, qvatenus apud ſummum Pontificem & ubi expedire videbitis, operam dare dignemini, ut dicto *Burgero* ſuper dictis canonicatu & prebenda perpetuum ſcilentium imponatur. Affectamus deniqve, qvod dilecto nobis *Johanni Petri* Canonico Roſkildenſi in Romana curia exiſtenti, cui per prefati Burgeri privationem eſt ordinaria auctoritate proviſum benignis patrociniis & favoribus, comtemplatione noſtra adeſſe Paternitas V. clementer dignetur. Pro novis noveritis, Conſangvinee amantiſſime, ſtatum regnorum noſtrorum in preſentiarum ſatis felicibus dirigi. Nam retroactis diebus *Karolum*, qvi ſe Swecorum nominat Regem ex eo, qvod reqviſitus ſe recuſavit dare nobis-

cum ad pacem, navali claſſe perſonaliter invaſimus, & munitiones fortiſſimas ac terram centum leucarum Gallicarum latitudinis opulentam & populoſam Ölandiam nominatam ab eo in noſtram ditionem ſubegimus. Eo usqve ad extrema regni ſui fugato, qvem cum expeditionibus ſuis indubie viciſſemus, niſi qvod congeries glacierum ſupereminens nos tranſvadare, ulteriora prohibuit. Valete feliciter, Reverendiſſime pater & conſangvinee amantiſſime, cui nos ad vota noſtra offerimus preparatos. Datum in caſtro noſtro Copenhaven Dacie, die qvarta decima menſis Decembris anno domini &c. LVI. noſtro ſub regali ſecreto.

Copia ad Papam in cauſa Nidroſienſis Eccleſie miſſa.

Sanctiſſimo in Chriſto Patri domino *Caliſto* divina providentia ſancte Romane & univerſalis eccleſie ſummo pontifici, *Chriſtiernus* dei gratia &c. devotionem & reverentiam filialem. Propter imminentes & perurgentes graviſſimas & perneceſſarias cauſas, ſtatum meum, Eccleſiarum & corone regni mei Norvegie concernentes, ac alias ad V. S. & Reverendiſſimorum dominorum Cardinalium preſentiam, ſpectabilem & egregium virum *Geminianum Triviſanum*, palatinum aule regalis, procerem & ſcutiferum noſtrum duxi Oratorem & Ambaſiatorem meum cum pleno mandato deſtinandum, de mea eccleſiarum & magnatorum Regni mei Norvegie intentione ſufficienter inſtructum. Cui in ſingulis V. S. dicendis & exponendis pro mea & ipſorum parte, dignetur S. V. dare credencie ſicut michi plenam fidem. Valeat S. V. feliciter & longeve ad proſperum regimen eccleſie ſancte Dei. Cui me & regna mea humiliter recommendo. Datum in caſtro meo Hafnienſi Dacie, idus Junii anno domini &c. LVI. meo ſub regali ſecreto.

Ad dominum Geminianum *Rome pro confirmatione privilegiorum.*

Chriſtiernus &c. Spectabilis vir & orator noſter fidelis, ſalutem. Poſt receſſum veſtrum a nobis deliberavimus vobis mittere & mittimus copias qvasdam Privilegiorum regni noſtri Norvegie preſentibus introcluſas, qvas ubi erit expediens, prout vobis communicato Reverendiſſimi domini Cardinalis de Columpna & correctoris conſilio videbitur expedire, impetrare confirmationem laboretis pro oſtentione & defenſione iurium corone noſtre & eccleſiarum Norvegie. Unius privilegii principium eſt: *Clemens* Epiſcopus. Alterius: *Urbanus* Epiſcopus. Item mittimus vobis copiam privilegii nobis conceſſi a *Nicolao* Papa V. ſuper prima inſtantia, cum proiecto confirmationis quam cupimus a moderno ſummo Pontifice optineri. Et ſuper hiis honorabilis *Gerardus Schere* Canonicus Revalienſis lator preſentium vos plenius informare, & aſſiſtenciam vobis facere nobis promiſit oportunam. Vos autem in noſtris negociis preſertim Nidroſienſis eccleſie fideliter & ſolicite laboretis, qvod omnino Corona noſtra & Eccleſie Noricane in ſuis perſeverent iuribus, privilegiis & libertatibus, iuxta noſtrum, parliamenti regni Norvegie deſiderium, ſicut vobis commiſimus & mandavimus. Datum in caſtro noſtro Copenhaven anno domini &c. LVI. die prima menſis Auguſti, noſtro ſub regali ſecreto.

Ad

Ad Papam in cauſa Revalienſis Eccleſie pro confirmatione Electi.

Sanctiſſimo in Chriſto patri domino *Caliſto* divina providentia ſacroſancte Romane & univerſalis Eccleſie ſummo pontifici *Chriſtiernus* dei gratia Dacie &c. devocionem & reverentiam filialem. Crebris litterarum mearum apicibus dudum & noviſſime per oratorem meum ad ſedem apoſtolicam propterea deſtinatum acuratiſſimis obſecrationum inſtantiis Beatitudinem V. habui exoratam, qvatenus vacantibus eccleſiis precipue cathedralibus, in regnis dominiisqve meis, dignaretur ad ſubmovendum clades & ſeditiones ac diſcordias differenciarum turbines, qve perſepius formidabiliter in eccleſiis ingruunt, permaxime qvando canonicis electionibus eccleſiarum legittima non interveniente cauſa reiectis, extraneis & non affectis providetur perſonis. Sicut nuper proch dolor! in civitate mea Bergenſi contingebat occaſione Eccleſie Nidroſienſis. Et qvia ſicut michi nuper innotuit, Eccleſia Revalienſi in Lyuonia paſtore orbata, capitulum dicte Eccleſie ſervatis ad id ſervandis, venerabilem virum &c. rite & canonice elegit, virum etate ac moribus & vita promeritum, & ſicut veridico ſuggeſtum teſtimonio habeo, ipſi Eccleſie rebusqve ac regimini utilem & accomodum. Cum vero pater beatiſſime, ipſa Eccleſia regie fundationis erecta per meos predeceſſores ac dotata ſit, unde mihi ius patronatus in ipſa ab antiqvo incumbat, ut ea ſperare ſiducia qveam, qvod iuxta morem ſummorum pontificum predeceſſorum ſuorum Beatitudo V. regio iure ac electi meritis exigentibus, gratam ſe clementer votis & precibus filialibus exibituram eandem duxi filialiter exorandam, qvatenus precibus meis in eccleſie antedicte exaudicionis gratiam intellectis, prefato Electo confirmationis beneficium & apoſtolice ſanctitudinis favores oportunos inpartiri dignetur, cui me filiali devocione offero recommiſſum. Datum in Copenhaven, ultima die menſis Julii, anno domini MCDLVI. noſtro ſub regali ſecreto.

Ad dominum Caliſtum *Papam in cauſa Teucrorum & Pruthenorum.*

Sanctiſſimo & beatiſſimo in Chriſto patri domino *Caliſto* divina providentia ſancte Romane & univerſalis Eccleſie ſummo pontifici, *Criſtiernus* dei gratia regnorum Dacie Nov. &c. reverentiam & devotionem filialem. Etſi pater beatiſſime, qvantus ſit ſollicitudini veſtre optatus pervigil apoſtolice moderationis inſtinctus, anxie mentis ferventiſſimus zelus urens in concentaculis & ſanctitudinis veſtre arcanis compaſſive miſerationis affectus, laboris indefeſſi aſſiduitas & ſancti operis irrevocabilis ſtabilitas, qvibusqve ſtudiis per inevariabilis providencie veſtre indaginem traditum veſtro regimini a Chriſto gregem ex totis precordiis ab imminentibus paganorum aggreſſibus tam laudabili opere facere . . . . . reddimitum nemo heſitat divinitati cognitum libens & gratum, qvod in cano venerandoqve ſenio ſtudiis ardentiſſimis flagitat, & accuratiſſimis viribus laborare non definit, nec laſſatos invaleſcentia artus ſiſtere aut continere permittit, non parcit expenſarum profluviis, qvatenus ingens & importabile infidelium iugum qvo indefinenter fides catholica premitur, hoc noſtro evo per veſtre beatitudinis vigilanciam excutietur. O qvam deflendum & lacrimabile omen, Pater ſanctiſſime, oculacius & patulis livoribus in ſuis membris patitur Chriſtus, procellis ſulcantibus tumente freto Petri navicula fluctuat. In foribus luporum rabies truculenta

lenta inſultat, & nemo percipit corde, & fugam grege petente, ne ovile torpeat, ne in ruinam labatur, occurrit vigilantiſſimus paſtor, oves ad arua & paſcua revocat. Sed qvid cum Chriſto in montem ſollicitudinis ſolus oraturus relinqvitur. Solus cum Chriſto marinos curarum vortices caleat. Solus cum Chriſto ex littore in ponto feſſos diſcipulos revocat. Solus cum Chriſto patrem obſecraturus in horto ſecedit. Nemo cum paſtoris vigilantia oneris partem aſſumit, nullus curarum ſupportat crepidinem, & qvod deterius oves degeneres per deſerta vagantes balatum vocantis obaudiunt. Qvid ergo in tremendo iudicio dicturus eſt Chriſtus, oves precioſo ſangvine ſuo redemptas per hanc, qve dicta eſt, incuriam in baratrum & tyrannidis perfidi Machometi voraginem relinqvi abſorbendas. Hoc, pater ſanctiſſime, cordis mei intima compaſſivi meroris aculeo adeo penetravit, qvod pridem Reverendo patre *Paulo Juſtiniano* Bergenſi Epiſcopo procuratore meo pro parte veſtre Sanctitudinis referente, lacrimas & gemitus audientes omnes continere non poterant. Qvo propterea licet innumerabiles, qvi regna mea circumdant, paganorum ſuſtineo impetus, & infidelium populos, cum qvibus diuturnis & cotidianis exercitamur congreſſibus, & tandem maiorem in partem michi ſunt redditi tributarii: Nichilominus relatione dicti Epiſcopi in cauſa Teucrorum diligencius intellecta, iuxta qvod veſtram Sanctitatem dixerat affectaſſe, per eundem cum preſentibus certos informacionum articulos duxi veſtre beatitudini deſtinandum. Cui dignetur ſanctitas veſtra in negotio preſentis narrationis, & eccleſie Nidroſienſis, ac in cauſa ordinis Pruthenorum, dare credencie plenam fidem. Paratus obedientie eiusdem beatitudinis filius piis & honeſtiſſimis ac Deo gratiſſimis votis, iuxta omnem poſſibilitatis modum in omnibus flagranti deſiderio complacere, cui me & regna mea benedictioni apoſtolice humiliter recommendo. Datum in caſtro meo Stocholmenſi Regni mei Svecie, die viceſima ſexta menſis Novembris, anno domini &c. qvinqvageſimo ſeptimo, meo ſub regali ſecreto.

Ad Papam Caliſtum *in cauſa Bergenſis Eccleſie.*

Sanctiſſimo & beatiſſimo in Chriſto patri domino *Caliſto* divina providentia ſancte Romane & univerſalis Eccleſie ſummo pontifici, *Criſtiernus* dei gratia &c. reverentiam devotam & filialem. Ad has regiones & regalem preſentiam Reverendus pater *Paulus* Bergenſis Epiſcopus per ſanctitatem veſtram proviſus ſe contulit, per litteras apoſtolicas michi obnixius commendatus, qvi inter cetera ſubcredencia michi pro parte veſtre ſanctitatis expoſuit, qvod de cetero in regnis & dominiis meis de beneficiis eccleſiaſticis, niſi perprius conſenſu & preſentatione Regia affectatis, diſponere ſive providere non intendit. Et qvia pater beatiſſime, hoc ſalutare veſtre ſanctitudinis propoſitum anfractum multarum difficultatum & diſcordiarum, qve propterea in regno meo diſpendioſius emerſerunt, qvod non electis nec affectis, votis non accedentibus Regiis, beneficia Eccleſiaſtica precipue in eccleſiis cathedralibus collata fuere, ſicut proh dolor in Nidroſienſi eccleſia exitialiter contingebat, detollere vitareqve poterit; gratanter recepi, veſtre Beatitudini exqviſitiſſimas & filiales devotas gratias referendo. Qvocirca obtentu Sanctitudinis veſtre & ob reverentiam ſancte apoſtolice ſedis matris mee Oratoris mei conſenſum & preſentationem de dicto Epiſcopo ad Bergenſem Eccleſiam regni mei factam ratam habendo & gratam, Epiſcopum preſatum gratanter

&

& benigne ſuſceptum ad ſuam ſedem & ipſius liberam & actualem poſſeſſionem admiſi: Et ſanctitatis veſtre & plurium dominorum teſtimoniis commendatum, redire ad curiam Romanam procuratorem meum inſtitui. Cui ſuper forma & iure meis introitus ad regnum meum Svecie, ac cauſis reverendi patris domini *Marcelli* Epiſcopi Schalholtenſis, veſtre ſanctitati aliqva commiſi fideliter referenda. Qvem benigne clementerqve ſanctitas veſtra exaudire dignetur, & habere obnixius recommiſſum. Valeat beatitudo veſtra feliciter & longeve, cui me & Regna mea humiliter recommendo. Datum in caſtro Stocholmenſi regni mei Swecie, die XVII. menſis Novembris, anno domini &c. qvinqvageſimo ſeptimo, meo ſub regali ſecreto.

Ad eundem Papam Caliſtum *in cauſa Lincopenſis Eccleſie.*
1458. *menſis Februarii.*

Sanctiſſimo & beatiſſimo in Chriſto patri domino *Caliſto* divina providentia ſancte & univerſalis Eccleſie ſummo pontifici, *Criſtiernus* dei gratia Dacie Nor. &c. devocionem humilem & reverentiam filialem. Suſcepto primo tempore regni a me Swecie regali regimine, accuratiori ſtudio meis incumbit precordiis, qvatenus iuxta votum regium in coronatione mea de componendis & ſalubriter ordinandis ſacroſanctis eccleſiis operam adhibeam indefeſſam. Et qve ex officio regie dignitatis non ſuppetunt, ad ſancte apoſtolice ſedis & veſtre ſanctitatis arbitrium remittantur. Sane, pater beatiſſime, cum regnum meum Svecie per vaſta Regionum ydyomatum & terrarum ſpacia extendatur, qvod epiſcopales parochie ſiue dyoceſana iurisdictio non ſolum diſtent terminis ampliſſimis, ſed morum & conſvetudinum diverſarum indigenas contineant, adeo ritibus diſtantibus, qvod facile Regius ſtatus & integritas fidei informidabilem iacturam vereantur veriſimiliter profligatum, niſi magnis adhibitis ſtudiis tales preficiantur pontifices, qvi non ſolum per indaginem paſtoralis ſollicitudinis preſideant, ſed qvatenus ovile ſibi creditum a monopoliis & ſeditionibus nitidum foveant. Cum itaqve Eccleſia Lincopenſis in regno noſtro prefato antiqva dignitate Epiſcopali & non minus divinorum ſtatutorum ſanctificio precolenda, cui Deo devotus vir reverendus ipſius antiſtes annis plurimis utiliter & laudabiliter preſidebat & in preſentiarum preſidet, ſcientia, moribus & devotione preclarus, propter maturum & confectum laboribus ſenium & invalitudinem artuum in preſenciarum diſpendioſa comminetur incommoda, nocituris qvoqve magis indies timeatur urgeri incuriis; & qvia venerandum antiſtitem propter invaleſcentiam artuum amovere iudicatur indignum, communi voto conſultum eſt, ut ſalvo ipſius honore, Eccleſie provideatur profectibus, & per ſedis apoſtolice & veſtre ſanctitatis decretum, eo ab Eccleſia nullatenus revocato, venerabilem virum Eccleſie metropolitane Upſalenſis canonicum, virum egregium, litterarum ſcientia preditum, virtuoſum & morum venuſtate pollentem, in rebus agendis exercitatum, & ad regimen eccleſiaſticum circumſpectum, prelibato Epiſcopo, illius vita comite, in coadiutorem adiungere, & ad vitanda qve poſt prefati antiſtitis deceſſum diſcordiarum & impreſſionum fomenta, qve imminere timentur, dictam Eccleſiam, diſpoſitioni ſanctitatis veſtre & apoſtolice ſedis ex nunc ex certa ſcientia hac vice duntaxat reſervare, iure conſentiendi Regio ſaluo. Super qvo exqviſitiſſimas ſanctitati veſtre & filiales preces humiliter porrigimus, ſuper qvibus Reverendiſ-

ſimus pater dominus Cardinalis de Columpna meo nomine veſtre ſanctitati ſollicitabit commiſſum & benivolum patrocinium. Datum &c.

Ad Papam Caliſtum *in cauſa adeptionis Regni Swecie per dominum Regem.* 1457. *Mathei Apoſtoli.*

Sanctiſſimo & beatiſſimo in Chriſto patri domino *Caliſto* divina providentia Pape Tertio, *Chriſtiernus* dei gratia regnorum Dacie Nor. Swe. &c. reverentiam debitam & devotionem filialem. Subiit animum, pater beatiſſime, rerum occurrentium, qve in regnis meis aqvilonaribus novitates emergunt, veſtro apoſtolatui reſerare non qvidem eventus ambigui, ſed qve iugiter patulis ſe offerunt evidenciis, ut ſanctitudo veſtra, qve ab oris iſtis vadis vaſtiſſimis & maritimis reumatibus diſtare cognoſcitur, luculenter intelligat Barbaros, Agarenos & Trachos, qvorum impulſibus e regione Europa qvominus tota comprimitur & ut ſacrilegis & prophanis cultibus ſubdatur nullo preter ſanctitatem veſtram angitur inſpectore, faciebus & nominibus licet diverſis cruentum in Chriſtum domini fomitem geſtans, iſtis cernuntur non abeſſe a locis. Hii ſiqvidem montana, qve regna mea Svecie & Norvegie usqve ad finitima Ruthenorum itinere menſis & menſis circiter circumambiunt, firmatis per lucos & ſilveſtria ſedibus, nullo uſuali humano cibo niſi crudis carnificinis veſcuntur, gelidis & ſubterraneis in latibulis degunt; perſepe qvoqve fines regnorum predictorum cum centum qvinqvaginta millibus & ultra tantis diſcriminoſis aggredi incurſibus ſoliti fuerant, cuncta igne, gladio & ſtrage ſeviſſima populantes, fatoqve miſerando ſacras diripientes edes, non parcebant ſexui, ſtatui vel etati, maximam captivorum catervam ſepius abducentes. Verum qvod pridem predeceſſores mei, & ego noviſſime tam importabile paganorum iugum non ferentes, replicatis ex regnis meis Dacie & Norwegie expeditionibus, militarium & qviritum armatorum qvorum copioſo in numero optinent proſtratis & captis ipſorum ducibus, & ſtrage urgenti exercitibus extinctis, qvi ultra ducenta paſſim milia perierunt. Regie ditioni tandem ſubacti & tributarii redditi ſunt, & timorata obedientia michi obediunt. Interea Lapis, Mambris, Erpionibus ſic vocatis paganorum ferociſſimis nationibus a priore potentatu evulſis & regie ditioni ſubactis, dum regna mea ſub tranqville pacis amenitate decumberent, qve paganorum & ſcismaticorum viribus exturbatis nichil titubarent adverſi, *Karolus Kanuti* cuiusdam filius, qvi Regni mei Suecie ſceptrum pridie occupabat, non ſatis ratus, qvod regnum predictum, ad qvod verſutia ſe & calida machinatione intruſerat, & iugo extreme ſervitutis oppreſſerat, invidam mentem qva felices regnorum prefatorum emulabatur ſucceſſus, ad novas diffidencias & guerras ſuccurrendum convertit, & qvod negabant vires, doloſis monopoleis cum dictis paganis & Ruthenis conſpiravit, per regna predicta, incendia, rapinas & mortes plaga lamentabili, ratus qvod cum ad defenſam patrie urgeremur neceſſario cogebamur adiuvatam militiam ſatisqve numeroſam contra Theucrorum fauces ob apoſtolice ſedis reverenciam transmittendam in patria detinere hoſtium inſultus undiqve formidantes. Nec ei ſatis fuerat clariſſimum regnum meum Svecie inter cetera vetuſta nobilitate inſigne, qvod nudius tertius ſceleratis & ſeditioſis ambitionum commerciis perturbaverat, periuriis & ſacrilegis auſibus ſceleſtiore obſcenitate ſedauerat, in commilitones invidus & tumultuoſus ambitor, in proprios ſicarius cives, in ſubditos populator, in neceſ-

ſarios

ſarios predo, in extraneos exactor argutus, libertatis eccleſiaſtice audax violator, in ſacras edes prophanus, religionis hoſtis & cleri, legum patriarum & municipalium ſanctionum subverſor notorius, eccleſieqve mandatorum confractor. Qvid plura, iuſticie acerrimus hoſtis & cunctorum edulium ſcelerum. Hec pater ſanctiſſime, diutius non poterat ſuſtinere divinitas, qve ſicut virtutum eſt ſedula propagatrix, ita criminibus oportune vindictam exagitat, oppreſſorum & publice rei iacture lamenta recenſuit, ut idem *Karolus* finali animadverſione, totius regni iudicio ſceptro & corone indignus faſtigio conventione publica declaratus, turpi fuga pulſus eſt. Sicut pridem prelatorum, magnatorum & parliamenti regni Svecie apicibus, veſtre ſanctitati ad plenum innotuit. At vero poſteaqvam dicto *Karolo* eiecto, vocatus electus unctus & coronatus, plenam Regni uno tantum caſtro excepto, poſſeſſionem adeptus fui, *Karolus* memoratus iterum qvod iuſte perdiderat, iniqvis machinationibus ſatagebat. Nam dictum caſtrum Wyborgh vocatum in faucibus Ruthenorum miro murorum & turrium ordine communitum, qvod tunc eius nomine tenebatur, videns ſe absqve ſpe a regno fugatum, accerſitis Ruthenorum & aliarum gentium diverſarum cuneis, tam celebre clenodium, catholicorum inexpugnabile defenſorium, ex qvo Ruthenos, Cumanos Erpiones & nationes ceteras a Romane Eccleſie ritibus diſſidentes humiliari poſſunt & inpendulum ponere titubantes, illis aperire & traditione peſſima ſubigere molitus eſt. Unde ad invaſionem & cedes iſtorum regnorum additus pandebat. Sed invaluit celeſte imperium, qvod deſtinata militia mea, qve concite advocari poterat, a paucis ultra XXX milia nece multati vel fuga devicti ſunt, munitionem illam, qvam perſepe VII. annorum ſpaciis fruſtra dicte nationes vallaverant, tertia die obſidionis, cuſtodibus in partem igne exuſtis, ceteris ſe in decurſum aqvarum ex muris ſpontaneo precipitio datis, multis etiam ſe ultro in captivitatem redigentibus, mei vicerunt, qvod nec qvidem humano ingenio fieri umqvam potuiſſe preſumit, ſed potius Dei Genitricis, cui ſe mei devote devoverant, oraculo impetratum. Nichil in preſentiarum remanet in ipſo Swecie regno meis ditionibus alienum. Datum &c.

Ad Ducem Mediolanenſem ad optionem Svecie 1457.

Criſtiernus dei gratia &c. illuſtri principi *Franciſco Sforzia* duci Mediolani & Anglerie, comiti Papie & domino Cremone &c. amico noſtro ſinceriſſimo, ſalutem & ſincere dilectionis affectum. Meminimus priore tempore, dum reverendus pater *Marcellus* in Nidroſienſem tunc Archiepiſcopum poſtulatus, orator noſter a Romana curia ad maieſtatem noſtram per civitatem veſtram Mediolanum ſe conferens, noſtras vobis litteras detulit, per qvas veſtro honori congaudebamus, & feliciſſimo fortune veſtre augurio letabamur, ac qvod poſtmodum qvanta cum benignitate & gratia eundem ſuſceperitis, longa narratione expoſuit, oblationes veſtre magnificentie gratiſſimo affectu recepimus. Interea vero guerris impliciti graviſſimis, tam gravati paganorum inſultibus, qvi regna noſtra Swecie & Norvegie exprope comminus ſatagunt cum malorum aggreſſibus vicinorum nullo ocio arma ſiſtere poteramus. Cum vero noviſſime ſaventibus ſuperis & marte iubare nobis feliciter ardente, hoſtem noſtrum ferociſſimum *Karolum* Regem a regno Swecie, qvod ipſe iniuſte poſſederat, ejecimus, & fugitivum extere

&

& peregrine regionis incolatum ſubire coegimus; ac glorioſo triumpho electus & vocatus ab omnium Baronum ac procerum cetu, & coronatus Regni prefati integre & pacifice ſuſcepimus & obtinemus principatum, qvampluribus vaſtiſſimis terris & locis usqve ad Ruthenorum & Bulgarorum ac incultarum diverſarum gentium fines noſtro dominio ſubiugatis. Hec, princeps magnifice, vobis inſinuare curavimus, nullatinus heſitantes, qvod felicium fortunarum noſtrarum eſtis zelotes & ſinceriſſimus fautor, ſicut & veſtri ſtatus glorieqve imcrementa accuratiſſimis deſideriis flagitamus. Et qvia regnum noſtrum Swecie vaſtis adeo mari terraqve diſtenditur ſpaciis, qvod loca & ditiones Theucrorum ſive Trachorum non remote conterminat, anhelanter intendimus deo favente contra ethnicos & perſidos infideles aliqvid ſuo tempore armis & potentia innovare. In predictis, & in negociis Reverendi patris Epiſcopi Scalholtenſis, Nidroſienſis poſtulati aliqva Reverendo patri *Paulo Juſtiniano* Bergenſi Epiſcopo procuratori noſtro ad Romanam curiam properanti, magnificentie veſtre referenda dedimus, qvem in ſuis negociis velitis optinere favorabiliter recommiſſum. Gratias qvidem vobis de veſtra in nos benevolentia exqviſitas referimus, offerentes nos & noſtra cum omni mentis ſinceritate preparatos. Datum in caſtro noſtro Stocholmenſi regni noſtri Svecie die XVIII. menſis Septembris anno domini &c. qvinqvageſimo ſeptimo, regnorum noſtrorum Dacie Ghotorum & Slavorum decimo, Norwegie octavo, Svecie vero anno primo, noſtro ſub regali ſecreto.

Ad Cardinalem de Columpna. 1457. *menſe Octobri.*

Chriſtiernus dei gratia &c. reverendiſſimo in Chriſto patri & illuſtri principi conſangvineo noſtro amantiſſimo domino P. miſeratione divina ſacroſancte Romane eccleſie tytuli ſancti Georgii ad aureum vellus Dyacono Cardinali, ſalutem & ſincere dilectionis affectum. Litteras veſtras, Reverendiſſime P., per ſpectabilem militem *Geminianum Treviſanum* palatinum aule noſtre regalis, oratorem noſtrum, ex Roma recepimus, qvas cum veſtre incolumitatis nuncie fuerint animo iocundo excepimus, gratias immenſas P. V. referentes, qvod ſicut eiusdem Oratoris relatione didicimus, in negociis ſibi per nos commiſſis favorabilem aſſiſtenciam preſtitiſtis, licet reſponſum domini Apoſtolici, qvod nuper conſilio & Parliamento regni noſtri Norwegie deſtinavimus in cauſa Nidroſienſis Eccleſie, timeamus eis non plenius placiturum, ut ea Eceleſia manebit deſtituta. Scripſit nobis & paternitas veſtra de proviſione facta de Bergenſi eccleſia, cuius proviſum nobis attentiſſime commendaſtis. Noſcat V. P. qvod mortuo deceſſore Capitulum qvendam ex optimatibus regni noſtri Dacie elegit in Pontificem, qvi iuxta morem iſtarum eccleſiarum eſt poſſeſſionem adeptus, cui, ut cognoſcimus, aſſiſtit totum conſilium Regni, absqve cuius nutu nobis foret difficile aliqvid innovare: Et qvia orator noſter prefatus dictum exproviſum laudavit V. P. intuitu, cuius gratia etiam faceremus, cum tempus ſe obtulerit, rem illam, habebimus viſceroſius preparatos. Datum in caſtro noſtro Stocholmenſi regni noſtri Svecie, die B. Mathei apoſtoli, noſtro ſub regali ſecreto.

Ad

Ad Cardinalem Senenſem Eneam. 1457. *menſis Octobris.*

Chriſtiernus dei gratia &c. reverendiſſimo in Chriſto patri domino *E.* miſeratione divina tituli ſancte Praxedis ſancte Romane Eccleſie Presbytero Cardinali, amico noſtro ſinceriſſimo, ſalutem & ſincere dilectionis affectum. Qvid dicemus Reverendiſſime pater, qvo omne id geſtum ſit, qvod inter tot & tantos perſecutionum turbines, qvibus Reverendus Pater dominus *Marcellus* Epiſcopus Scalholtenſis, conſiliarius noſter dilectus, iniuſte, ut ſperamus, invehitur, unde forſitan res noſtre debitis non potiuntur favoribus; Deus, qvi de excelſis humilia reſpicit, ſublevatqve oppreſſos, ſuſcitavit novos cardines, qvi hoſtium militantis eccleſie ſtudio accuratiori ſuſtentent, qvi rigorem pietati contemperent, qvi eminus virtutem diſcutiant, & regionum ac regnorum moribus ſuorum iudiciorum metam componant. Famam veſtrarum preclariſſimarum virtutum, pater Reverendiſſime, dicto Epiſcopo ſepius referente intelleximus, cum adhuc in minoribus eratis Majeſtatis Imperatorie neceſſarius. Sed in preſentiarum preter id P. V. magis aſtringimur, qvod noſtras & ipſius Epiſcopi cauſas ex ipſis veſtris piis affectibus optinuiſtis oppido commendatas, ſicut ſpectabilis miles *Geminianus Treviſanus*, Palatinus aule noſtre regalis, orator noſter, nobis diffuſius explicavit. Unde eidem P. V. referimus gratias immortales ob eadem, obnixius affectantes, qvatenus exinde rerum & negociorum noſtrorum placeat vos gratuitum reddere promotorem. Nos vero P. V. tanqvam noſtre Maieſtatis patrem & amicum ſingularem omni cordis cum affectu paratiqve ſumus & erimus cum noſtris amicis ad omnia, qve ſciverimus P. V. proficua grata & accepta. In facto Nydroſienſis Eccleſie reſponſum domini apoſtolici conſilio & parliamento Regni noſtri Norvegie deſtinavimus, formidamus per illud votis noſtris, ſed magis Regni non fore plenius ſatisfactum, prout de clementia ſedis apoſtolice ſperabamus. Reverendiſſime pater, perſonam dicti domini Epiſcopi *Marcelli* viri clariſſimi, V. P. honoris & fame alumpni, ſuppliciter tanqvam nosmetipſos duximus commendandam. Valeat veſtra Paternitas proſpere & longeve. Datum &c.

Cardinali de Columpna in cauſa Eccleſie Lincopenſis. 1458. *Februarii.*

Chriſtiernus dei gratia &c. reverendiſſimo in Chriſto patri & principi illuſtri, domino P. miſeratione divina ſacroſancte Romane eccleſie tytuli ſancti Georgii ad aureum vellus Dyacono Cardinali, Conſangvineo & amico optatiſſimo. Relatibus adventantium, ex ipſis qvoqve noſtris apicibus pridem demiſſis ſucceſſus noſtros ſelices precipue in regno noſtro Svecie vobis innoteſcere non ambigimus, qvod in precenciarum adverſariis cunctis pacatis generalem in regnis noſtris vendicavimus pacem, preter id qvod zelus religionis animum noſtrum concitavit ad viſcera pietatis, ne ordinem Beate Marie Pruthenorum tantarum preſſurarum iniuſte patiamur agitari anfractibus, ut propterea Sereniſſimo fratri noſtro cariſſimo Polonie Regi, patrie ipſius ordinis detentori, guerras & diffidentias intulerimus, & donec deſipuerit ab illicitis uſibus, perſeverare intendimus. Et ad id nos ſingulariter movit ſancte ſedis apoſtolice reverentia, cui ordo prefatus noſcitur immediate ſubiectus; unde merito ordinis iniuriam ad ipſam ſedem apoſtolicam referamus. Gratum & acceptum habentes, qvod veſtra P. ſanctiſſimi domini Pape in rem iſtam mentem conciliet, qvatenus religionem, qvam plantavit, dex-

tera ſua protegat, & ne per incuriam obrui patiatur. Ceterum R. P. conſangvinee amantiſſime, qvod reverendum *Paulum* Bergenſem Epiſcopum regiis preveniebamus favoribus, veſtra electiſſima amicitia ſuper omnia nos allexit, unde fiduciam gerimus ampliorem, qvod vice verſa non pigebitis in rebus nobis gratis diligentiam efficere accuratam. Inter cetera illud animum noſtrum perurget, ut ſacroſanctis eccleſiis debite reformacionis aſſiſtentiam impendamus: Et in preſenciarum cathedralis Lincopenſis Eccleſia in regno noſtro Svecie qvidem inſignis & honorandiſſime vetuſtatis, cui preeſt Reverendus & decanis (?) pontifex *Nycholaus*, ſub cuius Regimine ipſa Eccleſia in ſacris ſtatis & divinorum cultu glorioſe usqve enituit, iam ſupercreſcente mature gravitatis ſenecta ad regiminis labores incompos efficitur. Unde ipſius Epiſcopi invaleſcentia cotidiana urgente a priori bono regimine notabilis Eccleſia ipſa collabitur; & qvia indignum foret propterea eundem antiſtitem, qvi ſuo evo tam laudabiliter gubernavit, a ſedis ſue dignitate repellere, utilius iudicium, Coadjutorem adiungi, cuius aminiculis prioris boni regiminis excemplo veſtigia non labantur. Et communi noſtrorum iudicio venerabilis vir ſue probitatis & virtutum, mundi ac nobilitatis proſapia dignus & utilior eſſe cenſetur. Qvare omni cum affectu P. V. obſecramus, qvatenus ſanctiſſimo ſummo pontifici, cui de hac materia litteras ad veſtram relationem ſcribimus, hec aperire velitis, & inſtantius impetrare, qvatenus vita Epiſcopi comite, prefatus Epiſcopi coadiútor per preſulem apoſtolicum deputetur, & dicta Eccleſia exnunc ſedi apoſtolice, cum vacavit, hac vice reſervetur, iure conſentiendi regio ſalvo, ex cauſis in noſtris litteris allegatis. In qvibus nobis P. V. faciet complacentiam ſingularem. Datum &c.

Ad dominum Portigalenſem Cardinalem in cauſa Nidroſienſis Eccleſie.

Criſtiernus dei gratia &c. reverendiſſimo in Chriſto patri & illuſtri Principi domino P. miſeratione divina ſancte Romane Eccleſie tytuli ſancti Euſtachii Dyacono Cardinali, Conſangvineo & amico optatiſſimo, ſalutem & ſincere dilectionis affectum. Cum dignitas veſtre illuſtris proſapie nobiſcum, ſicut ipſa preteritorum geſtorum experientia liqvet, conſangvinitatis nexum conciliet, illam tum nobis permaximam ingerat voluptatem. Replicatis litterarum veſtrarum apicibus, Maieſtas noſtra freqventare & oppignorare decrevit, qvatenus recenſitum caritativi glutinis vinculum ſedulitatis & neceſſitudinis inter nos fruges adaugeat & corroboret permanſuras: tantoqve uberius, qvanto qvos ponti, freta & terrarum moles disiungunt, flagrans benivolencie ardor coniungat. Sit igitur utriusqve noſtrum officium ad alterutrum fiducia, neceſſitudo & caritas & compar obſeqvendi voluntas. Qvo propterea, reverendiſſime pater conſangvinee amantiſſime, ut in preſenciarum vobis in nos & erga nos in rebus & votis gratibus eventibus amplam preſtemus fiduciam flagitare & affectare a paternitate veſtra primitus incipimus. Eandem accuratiſſime obſecrantes, qvatinus pro noſtra ſingulari complacentia dignemini per effectum & affectum perſonam, ſtatum & honorem reverendi patris domini *Marcelli* Epiſcopi Scalholtenſis conſiliarii & patris noſtri predilecti viri clariſſimi, magni ſcientie & virtutis, cui cum a certo graviſſimam cognoſcamus illatam a maliloqvis & invidis fore iniuriam, opere precio famam & honorem ipſius manere cupimus illibatum. Super eo qvoqve necnon in cauſa Nydroſienſis eccleſie Reverendo patri Epiſcopo Bergenſi preſentium baiulo qvem

oppido

oppido veſtris permotivis favoribus commendamus, nonnulla V. P. commiſimus referenda, offerentes nos gratiſſimo animo ad qveqve veſtre P. beneplacita preparatos. Datum in caſtro Stockholmenſi Regni noſtri Svecie die XVII. Novembris, anno domini &c. LVII. noſtro ſub regali ſecreto.

Ad Cardinalem Bononienſem in cauſa Bergenſis Eccleſie.

Criſtiernus dei gratia &c. reverendiſſimo in Chriſto patri domino P. divina miſeratione tytuli ſancti Laurentii in Lucina ſancte Romane Eccleſie Presbytero Cardinali amico noſtro precariſſimo ſalutem & ſincere dilectionis affectum. Literis veſtré Reverendiſſime paternitatis pridem receptis, qvibus V. P. Reverendum patrem *Paulum* Bergenſem Epiſcopum effecit attentiſſime commendatum, viſis & examinatis, qve nobis expoſuit, qvia ex totis mentis noſtre affectibus, qvantum ſalvo iureiurando poſſimus, ſancte apoſtolice ſedi cupimus obtemperare & ſtudioſius complacere, veſtre etiam reverendiſſime Paternitatis obtentu, qvam ad Maieſtatem noſtram referente nobis oratore noſtro a curia Romana nuper reverſo intelleximus amicabiliter affectam, ipſum Epiſcopum contemplatione P. V. libenter vidimus, gratanter recepimus ad ſuam Bergenſem Eccleſiam, eiusqve actualem poſſeſſionem admiſimus, & feliciter expeditum ad Romanam curiam & paternitatem veſtram Procuratorem noſtrum remittimus. Qvem nunc vice verſa V. R. P. obnixius commendamus, eandem obſecrantes qvatenus in re ſuper qva Maieſtati noſtre ſummopere complacebitis, Reverendum patrem dominum *Marcellum* Epiſcopum Scalholtenſem, conſiliarium & patrem noſtrum dilectiſſimum, ipſius honorem & famam habere dignemini affectuoſius commendatas. Tanto qvidem fidencius ſcribimus, qvanto a maliloqvis & ſuarum ſcientie & virtutum invidis inſontem calumpniari cognoſcimus. Ipſe etiam Bergenſis Epiſcopus in negotiis prefati Scalholtenſis Epiſcopi & in cauſa Nidroſienſis Eccleſie P. V. nonnulla referendum a nobis in commiſſis accepit. Valeat V. P. cui nos afferimus toto mentis affectu paratos. Datum in caſtro noſtro Stocholmenſi Regni noſtri Svecie die XVII. menſis Novembris, anno domini &c. LVII. noſtro ſub regali ſecreto.

Ad Cardinalem de Columpna.

Criſtiernus dei gratia &c. reverendiſſimo in Chriſto patri & illuſtri principi domino P. miſeratione divina ſacroſancte Romane eccleſie tytuli ſancti Georgii ad aureum vellus Dyacono Cardinali, Conſangvineo noſtro peramantiſſimo, ſalutem & ſincere dilectionis affectum. Intellectis pridem rumoribus de proviſione facta Reverendo domino P. Epiſcopo Bergenſi, rei geſte ignari pulſati a noſtris, obices proviſioni prefate apponere fattagentes, pridem litteras V. P. demiſimus dicte proviſioni omnino contrarias. Prefato autem Epiſcopo ſe ad noſtram preſentiam conferente, de proceſſu facto in curia eo deferente pleniter informati, qvod non ſit res tam ardua, in qva & ſuper qva pro V. P. perſona & miniſterialibus veſtris ſaltem ydoneis non vellemus vobis rem gratam & acceptam efficere, & pro reverencia apoſtolice ſedis, ut qvoqve ad iuſtas peticiones noſtras ſanctitas domini Pape accuratius de cetero inclinetur, oratoris noſtri preſentationem & con-

conſenſum nomine noſtro datum ratum habentes, ipſum Epiſcopum Bergenſem ad ſuam Eccleſiam Bergenſem, ipſiusqve poſſeſſionem actualem & liberam, & in conſiliarium noſtrum Regni noſtri Norvegie & noſtrum cum oſculo pacis admiſimus iuxta morem. Veſtre Paternitatis ob ſingularem obtentum, eundem favoribus proſeqventes regalibus & opportunis; Eo ſperantes indubie, qvod in negociis noſtris & in cauſis qvoqve Reverendi Patris domini *Marcelli* Epiſcopi Scalholtenſis & Nidroſienſis Eccleſie, qvam cominus ad ruinam fluctuare ultimam formidamus, qvas cordi tenaciter obtinemus, Paternitatis veſtre ſolacem (ſollicitam?) & vigilem obtinebimus diligentiam, ſicut ſuper punctis pretactis prenominatus venerandus Epiſcopus procurator noſter, qvem iuxta per vos ſuper eo preconcepta pro parte veſtra nobis retulit, & nomine noſtro ad ea reportabit reſponſa. Reverendiſſime pater & illuſtris princeps conſangvinee optatiſſime, valeat V. P. incolumis & longeve, cui nos offerimus ſemper ex toto corde paratos. Datum in caſtro noſtro Stocholmenſi regni noſtri Svecie, die ſexto decimo menſis Novembris, anno domini &c. LVII. noſtro ſub regali ſecreto.

Ad Cardinalem Senenſem in cauſa Eccleſie Bergenſis & Nydroſienſis Eccleſie.

[Eſt eiusdem ſenſus cum præcedenti, & eiusdem dati.]

Ad Cardinalem ſancti Sixti in cauſa ſancte Brigitte.

Criſtiernus dei gratia &c. reverendiſſimo in Chriſto patri domino I. miſeratione divina ſancte Romane Eccleſie tytuli ſancte Marie in Transtiberini Presbytero Cardinali, ſalutem & ſincere dilectionis affectum. Lectis V. P. litteris nobis per oratorem noſtrum directis, ſolertem diligentiam & favorabilem in rebus noſtris aſſiſtenciam contemplantes, nichil intelligimus aliud, qvam qvod veſtre beneficentie gratias exqviſitiſſimas referamus in cauſa Nydroſienſis Eccleſie, qve licet in partem ſopita videtur, in ſui tamen radice diſcriminis perſeverat; cum via illa, qvam ſanctiſſimus dominus ſummus Pontifex nobis per ſuas bullas aperuit, pacis & radicionis Eccleſie tranſitum affectivum nullatenus poterit impertiri. Ceterum Reverendiſſime pater, ſperamus rei geſte apud vos rumores delatos eſſe, qvaliter fatis ſuffragantibus ſuperis nos armis & viribus hoſtem noſtrum ferociſſimum, Regnorum aqvilonarium ſeditioſiſſimum turbatorem a regnis Svecie propulimus fugitivum, & vocatus electusqve concorditer & coronatus in Regem integrum regni totius optinemus pacifice dominatum. Verum qvia nos Regni noſtri prefati municiones viſitando & loca, tot & tanta de qvodam *Erico*, qvi dicitur ſancte Brigitte Rome hoſpitali preeſſe, lamenta de ſuis malis geſtis dilapidatione & qvadam pernicioſa hypocriſi, ſub cuius tegumento dampnabiliter congregat & avaritie prave deſervit, ſicut in vulgo huius & aliorum noſtrorum extat opinio. Et qvia qverelas huiusmodi de cetero ſupportare non poſſimus, Reverendo patri *Paulo Juſtiniano* Bergenſi Epiſcopo procuratori noſtro aliqva ſuperinde & in cauſa Nydroſienſis Eccleſie V. P. referenda commiſimus. Eandem obnixius obſecrantes, qvatenus velitis unicuiusqve cure proficuis & utilibus veſtre ſolite providentie vigilantia paternaliter & ſoliciter atinere, in qvibus Maieſtati noſtre complacentiam V. P. efficiet ſingularem, cui nos offerimus ex toto

corde

corde paratos. Datum in caſtro noſtro Stocholmenſi Regni noſtri Svecie, die XVIII. menſis Novembris, anno domini &c. LVII. Regnorum noſtrorum Dacie Slavorum Gothorumqve decimo, Norvegie octavo, Svecie vero anno primo, Noſtro ſub Regali ſecreto.

Ad illos de domo Juſtiniana Janue in cauſa domini Pauli Epiſcopi Bergenſis.

Criſtiernus dei gratia &c. ſpectabilibus & egregiis viris de Juſtiniana proſapia civibus Januenſibus amicis noſtris cariſſimis, ſalutem & ſincere dilectionis affectum. Poſteaqvam littere veſtre nobis in maiori noſtro conſilio legebantur, preteritorum geſta accuratius in eo mente revoluimus, qvod proſapiam veſtram generis & nominis dignitatem a venuſto ſenatorio culmine originem ſumpſiſſe primariam intelleximus, qvam ut laudabilis fama teſtatur a longiori evo virtutum & laudabilium operum profectibus propagatio ubertoſa adauxit. Qve omnia animum Regium demulcebant, qvatenus hominem generis veſtri, & veſtre proſapie filium, Reverendum patrem *Paulum* Bergenſem Epiſcopum noſtro conſpectui preſentatum gratanter & benigne Maieſtas noſtra ſuſciperet & proſeqveretur favoribus gratioſis. Et ipſum enim R. P. Paulum propterea iuxtà ſedis apoſtolice & veſtra deſideria ad ſuam Bergenſem Eccleſiam cum honore admiſimus, poſſeſſionemqve ipſius aſſignari mandavimus, & in noſtrum conſiliarium accepimus, & ſuis laudabilibus exigentibus meritis, noſtrum procuratorem ad curiam Romanam redire inſtituimus, veſtro intuitu futuris ipſis favoribus regiis exuberantius amplectendum. Datum in caſtro noſtro Regali regni noſtri Svecie XX. menſis Novembris, anno domini &c. LVII. Regnorum noſtrorum Dacie, Slavorum & Gothorum decimo, Norvegie octavo, Svecie vero anno primo. Noſtro ſub Regali ſecreto.

Pro torqve Regia data Edvardo Juſtiniano *Januenſi.*

Marcellus dei gratia Epiſcopus Schalholtenſis, etiam Inſularum dominus & Islandie locum tenens, ad univerſorum & omnium notitiam deducimus & deduci volumus per preſentes, Qvod Sereniſſimus princeps & dominus, dominus *Criſtiernus* dei gratia Regnorum &c. virtute, prudentia & generoſitate ſpectabilis viri *Edvardi* civis Januenſis plenius cognitis, & intellectis, vetuſti moris & honeſtatis obtentu, Torqvem, qve collum & humeros Regios circumtingere ad ſue gloriam Regie Maieſtatis aſſolet, dicto *Edvardo Juſtiniano* portandam publice & private, & humeris ſuis circumferendam, pro ſingulari celſitudinis Regie beneficio & dono, in noſtra preſentia dedit & conceſſit. Nos vero de regali mandato dictum torqvere feria ſexta, die vigeſima qvinta menſis Novembris in Caſtro Stocholmenſi in Camera reſidentie noſtre, de iuſſu regalis magnificentie, dictum *Edvardum* coram nobis reverenter proſtratum, preſtito prius manuali fidelitatis domino Regi & ſuis ſedibus iureiurando, & de obſervandis inſtitutis ad illam fraternitatem decretis voto premiſſo, torqve predicta de manibus noſtris inſignivimus, & collo ac humeris ſuis circumdedimus. In qvorum fidem & teſtimonium premiſſorum, ad futuram rei memoriam, preſentes litteras noſtras patentes fieri fecimus, & per notarium noſtrum infraſcriptum ſubſcribi & publicari fecimus,

ac ſigilli noſtri rotundi iuſſimus appenſione muniri. Datum ut ſupra &c. anno domini milleſimo qvadringenteſimo qvinqvageſimo ſeptimo, preſentibus diſcretis viris *Bernardo Berhoff* & *Nicholao Holſten* laico & clerico Colonienſis & Swerenenſis dyoceſium. Et qvia ego *Johannes Rycolff* Notarius publicus &c.

Ad Cardinalem de Columpna ex parte Marcelli *Schalholtenſis Epiſcopi in cauſa Bergenſis Eccleſie* 1457. *menſis Novembris.*

Reverendiſſime in Chriſto pater, Illuſtris princeps, domine metuendiſſime, humili recommendatione ad vota. Tandem fuerat R^me^ P. illuſtris Princeps ac domine metuendiſſime, contradictionum anfractus tantave differentia voluntatum, qvod rem illam qvam Excellentia veſtra per ſuas litteras commendaverat, putaremus iri veriſimiliter profligatum. Cum enim omnes in Concilio irritati propter cauſam Nidroſienſis Eccleſie una in contrariam vociferarent ſententiam; ſolus ego habens comitem Archiepiſcopum Upſalenſem aperui oculos colligantes (caligantes?) ſolus clementiſſimi Principis mentem revocavi ad conſentiendum, ad optata patris ſanctiſſimi domini noſtri ſummi pontificis veſtreqve Reverendiſſime P. inclinavi; qvod proviſio Reverendi Patris domini *Pauli* Bergenſis Epiſcopi locum habuit, admiſſa ſolempniter fuit, & ei actualis poſſeſſio aſſignata. Prout ipſo Epiſcopo referente magnificentia veſtra intelliget. Cum noſtrum Regem tantus erga V. P. affectus perurget, qvod qvanqvam ipſum dictum Epiſcopum muneribus & donis favorabiliter honoravit, nichil veſtre excellentie dignum feciſſe ſe iudicet; ſuſcipiet igitur veſtra dominatio R^ma^ gratum domini Regis affectum, & non parvipendere dignetur mee paternitatis obſeqvium, qvaliter ei in Regnis iſtis pro honore apoſtolice ſedis invigilem, ac de cauſis meis, ipſo Epiſcopo, qvi laudum veſtrarum eſt tuba & vox fidelis ſine fine clamitans, referente V. P. cognoſcere poterit. Cui me tanqvam devotiſſimum capellanum humiliter recommendo. Scriptum in caſtro Stocholmenſi Regni Svecie, die XXVII. Novembris &c.

Epiſtola ad dominum Eneam *Cardinalem Senenſem, iam Papam* Pium *ſecundum, Marcelli Scalholtenſis.*

Qvid effar, Pater Reverendiſſime, qvid tam preclaris auſpiciis ediſſeram, magnum qvidem ampliſſimum munus non mortali ingenio ſed divino oppignoratum oraculo, cum ſuas ſvaviſſimas litteras perlegiſſem, inſperatum iocunda novitas attulit. Non caſu geſtum credimus, non fatali eventu congeſtum, non humano ſtudio recenſitum, ſed excelſo illapſum olimpo, qvi humilia reſpicit, ſibiqve munda corda conciliat, deponit potentes humilesqve ſublevat, ſuſcitavit in te ſpiritum ſuum, & ex ymis aſſumpſit ad alta, ut ad maioris culmina preſervaret faſtigii. Qvis ergo me letari retineat, & titilancia nubilo membra cordis tripudio continere iubebit, aut aſperas dolorum crepidines ſingultibus doloroſis interſerat. Cui . . . . non gloria tua mea eſt R^me^ P. & ſplendor laudum tuarum in precordiis meis non rutilat, tum in ſinu gratie tue omnes fortunas meas confido eſſe reconditas. Poſtea enim qvam tibi Franckfordie dudum primo cognitus & neceſſarius fueram, honoris & dignitatis tue vates, & ſtatus tui perſeveranter tutulator extiti & relator, & tuorum felicium ſucceſſuum fidentiſſimus extiti cultor, magisqve ac magis me iudicare poſſem ſociandum qvam labentis fortune & nun-

nuncius frena ſubire, ſi qvis greſſibus fata dediſſent, ut te loco & patria frui poſſem in illo opere precio Italie ſolo, qvod qvaſi fulgidum ſpecimen ſitus amenitate ſplendeſcit, & graviſſimorum patrum gimnaſiis illuſtratur, inſignis opum magnitudo extollit, ubi exuberat exſpectata frugilitas, nec latebre aut obſcura obſcuritas lucis ſue ſplendorem obtenebrat. Fulgentibus radiis rutilat Tytan, gratumqve ſolſtitii ymbrem lucifer ſpargit, & tellure celiferis gravida donis ſemper ridet Apollo. Emeſtis anxior & in vetuſto vulnere recens ſuper inducta cicatrix dolorem congeminat, qvod infauſtis rebus inter lucos & flegetontis lacunas in lateribus aqvilonis iactatum me videam, & infelici ſorte inter monſtra ſtridentem cotidie intueor cerberum in ſcopulis Noricanis & Svecorum. Roma adeſt ſoribus & ſue iracundie vaſa exagitat, & contra inſontem & fidelem alumpnum propinat perſecutionem, antidota iaculis in crinem confodit, turgidis morſibus lacerat, inſeqvitur, depascit, plagasqve ferali livore ingerit omnino, nemo ſuccurrit. O qvam importabile onus & famine graviſſimo tollerandum, celari non poteſt, qvod Almannia tota teſtatur, qvantis ſanctam apoſtolicam ſedem obſeqviis fideliſſimis, laboribus & impenſis, etiam propterea dampnis & iniuriis laceſſitus tempore scismatis proſeqvebar. Sed proh dolor, pro gratitudine ira, pro eqvanimitate obprobrium, pro ſedulitate repudium, pro ſtudioſis officiis calumpnias reportavi. Furit in illo turbine perſecutionis emulorum crepido, abſentem conviciis lacerant, & virulento maledictionis vomitu impudica ora laxantur: neqve patientia bellua peſſima ſiſti poteſt, qvin ſupremum tribunal pravis contra me ſuggeſtionibus inqvietet. In tantarum urgentibus nauſragio procellarum ingentibus carinis deſperato adiutorii remige, fiducie ad te carbasa extuli. Tu, pater R^me^ ſis michi portus ſalutis, defenſionis clipeus, in pugna victoria, in temptatione premium. Libera animam meam a labiis iniqvis & lingva doloſa. Vale michi virtutum lucerna, vale tuis, vale ecclesie ſancte, vale Deo, qvi te vas electionis conflavit. Scriptum ex caſtro Stocholmenſi Svecie, anno domini 1457. tertio Kalendas Decembris.

Littera pro Edvardo Juſtiniano *pro torqve Regali* 1457 *menſis Novembris.*

Chriſtiernus dei gratia &c. dilecto nobis nobili & honorabili *Edwardo Juſtiniano* civi Januenſi, ſalutem, gratiam Regiam & omne bonum. Decet Regiam Majeſtatem excellentiam Regalis magnitudinis & ſue munificentiam habundantis gratie conciliare, ac in omnes deſundere, precipuo tamen & ſingulari privilegio in ſuos proceres & ad regie celſitudinis gloriam electos, & virtutum ſplendoribus prepollentes decorare inſigniis, qvatenus dignitatem regie magnitudinis fide & obedientia geſtantes in intimis exiſtentius honoris ſignaculo repreſentent. Nos igitur de tue proſapie primitiva ſpectabiliqve origine, tuaqve prudentia, moris honeſtate ac conſtantia animi, laudabili teſtimonio informati, & animum ad militare officium pugilem & ſtrenuum cognoſcentes, ut qvoqve ſicut confidimus gratie noſtre dono decoratus, futuris exuberantius accreſcas virtutum profectibus, tibi torqvem noſtram qva Regales humeros pro candore magnificentie & in ſpecimen iuſtitie circumcingere ſoliti ſimus, Regia auctoritate tibi concedimus private

vate & publice deferendam, & ubicunqve te adeſſe contingerit, inter nobiles & proceres ac noſtros ſpeciales audeas conſidere; fidelitatis nobis iureiurando aſtrictus. Datum &c.

Littera Regalis ſuper inſula Weſtmanoer in terra Islandie ſituata.

Nos *Chriſtiernus* dei gratia &c. ad omnium & ſingulorum notitiam deducimus, & deduci volumus per preſentes, qvod nos proprio motu & ex certa ſcientia, Reverendo in Chriſto patri domino *Marcello* Epiſcopo Scalholtenſi, conſiliario noſtro & predilecto in aliqvalem recompenſam ſuorum fidelium obſequiorum, qve nobis & corone noſtre Norvegie fideliter exhibuit, dedimus & ad vitam ſuam donavimus & infeudavimus inſulam noſtram Weſtmanoer in terra noſtra Illandie ſituatam cum omnibus suis iuribus, redditibus, & pertinentiis ſuis cuiuscunqve conditionis exiſtant, qvos volumus & decernimus tantummodo per ipſum vel ſuos deputatos colligi, levari & optineri, ac in uſum ſuum absqve aliqva conditione converti. Concedentes nichilominus dicto Epiſcopo plenarium arbitrium & liberam poteſtatem de dictis redditibus cuiuscunqve generis ſint, pro ſue libito diſponere voluntatis, & liberam licentiam habeat (ad) vendendum infra Yſlandiam & extra eciam mercatoribus ſecum paciſci volentibus, undecunqve extiterint ſeu pervenerint, ut valeat dictos redditus vel partem ipſorum, in qvantum eis a prefato Epiſcopo vel ſuis deputatis & a nullo alio promiſſum & concordatum extiterit; ſalva cum libertate patrie noſtre & terre noſtre Yſlandie ac indigenarum eiusdem: qvod propterea in aliis nulla hominibus noſtris per dictos mercatores violencia inferatur. Qvo propterea mandamus omnibus & ſingulis officialibus, advocatis, legiferis noſtris, & cunctis habitatoribus terre noſtre Yſlandie prefate, & omnibus adventantibus, ſub pena gratie noſtre & aliis penis in eorum bonis infligendis, qvatenus de dicte inſule Weſtmanoer bonis, decimis, & redditibus inde provenientibus deinceps nemo preter prenominatum Epiſcopum vel deputatos per ipſum, ſe audeat pacto aliqvo intromittere, ſeu aliqvam inferre iniuriam vel gravamen. In qvorum teſtimonium ſigillum noſtrum Regale ſecretum preſentibus eſt appenſum. Datum in caſtro noſtro Hafnenſi Dacie, anno domini milleſimo qvadringenteſimo qvinqvageſimo ſexto, dominica qvaſimodogeniti octava dominica refectionis.

Copia Inſtitutionum ad Papam ſuper relatione facta per Epiſcopum Bergenſem in cauſa Theucrorum.

Chriſtiernus dei gratia Regnorum &c. infraſcriptarum Inſtitutionum tenoribus Reverendus Pater *Paulus* Epiſcopus Bergenſis in Regno noſtro Norvegie debet nomine noſtro, ad propoſita per ipſum nobis sub credencia pro parte ſummi Pontificis in materia Theucrorum reſpondere.

Primo qvod laudamus ſanctam intentionem ſuam & miramur, ac condolemus, qvod non habet ad tam utile neceſſarium ac ſalutare propoſitum maiorem aſſiſtentiam a principibus Chriſtianis.

Item informabit ſanctitatem veſtram & Reverendiſſimos dominos Cardinales de ſtatu ac ſcitu & conditione Regnorum noſtrorum, precipue Svecie & Nor-

Norvegie, qvaliter extenduntur ultra tricenta miliaria per longum Theutonicalia circiter, & habent confinia diverſis partibus cum paganis qvaſi, omnia montana adiacentia occupari hominibus ſilveſtribus & lucos & ſilvas inhabitantibus, & cum Ruthenis aliisqve multis diverſorum rituum nationibus.

Item qvod dicti populi ad tantam multitudinem ſuccreverunt, qvod ſepius aggregatis aciebus centum qvinqvaginta milium diſcurrunt Regna noſtra predicta, igne & gladio populando, & animarum ſpolia aſportando, ita qvod cum eis freqvens contingit congreſſus & pugna; licet Deo miſerante & ſancti Olavi Regis interceſſione, magnam partem illorum nobis fecimus tributariam.

Item qvanqvam fuimus paganorum inſultibus, ut dictum eſt gravati, & guerris permultis ſpecialiter per Regem qvondam *Karolum* moleſtati, qvi perſepe Ruthenos adverſus Regna noſtra incitavit; libenter dediſſemus fidelem & religioſam operam, & aſſiſtenciam ſummo Pontifici ad bella, ultra 6000 de noſtra licentia ad intrandum ex regnis noſtris Ungariam in ſubſidium fidei: dictus *Karolus* cum Ruthenis & paganis habuit concurſum, & iter ipſorum & bonum propoſitum noſtrum impedivit.

Item reſpondendo ad per vos pro parte ſummi pontificis propoſita fuerunt inſtancia, an nos intelligimus aliqvam litteram, per qvam ad impugnandum Theucros ex regnis noſtris excercitus obſignari poſſet. Dicimus & reſpondemus, Primo, qvod in arbitrio noſtro eſſet & eſt de numero armatorum congregandorum, qvoniam tanta eſt copia hominum, & ad arma expeditorum, quod ſi cetera concurrerent concurrenda, ducenta milia extraduci poſſent. Sed numerus rei & tempori ac conditioni negotii vendicari poſſet ad libitum.

Item qvantum ad viam progrediendi contra Theucros, notandum eſt, qvod ſunt due vie, una abhinc ad Ungariam; at qvia tranſitus ille fieret per terras & loca diverſorum dominorum, qvod ſecuritati tam exercitus qvam incolatus non eſſet tutus neqve accommodus, & etiam propter tranſitum maris a regnis noſtris ad Alamaniam, & propter incommodum victualium, viam illam non iudicamus convenire huic propoſito. Alia via foret per Ruſſiam, cui Regna noſtra Svecie & Norvegie contigua ſunt, & absqve transfreto terreſtri tranſitu adiri poteſt, & eſt via facilior & brevior & convenientior, qvia per Sveciam, & iterum pro exercitu magis accommodus & per Norvegiam pro victualibus & munitionibus deferendis per certam aqvam usqve ad interiora Ruthenorum, expeditioni.

Item notandum eſt qvod neceſſario reqviritur pax inter Nos & Regem Polonie, qvem diffidavimus ſolummodo propter defenſionem ordinis Beate Marie Pruthenorum, qvia in tranſitu noſtro in certa parte Ruſſie ſibi ſubdita poſſet inter noſtros & ſuos pugna gravis committi.

Item qvod Regnum noſtrum Norvegie qvoad Eccleſias & aliàs per dominum ſummum pontificem fieret contentum, alias nec adunatio exercitus, nec tranſitus eſſet poſſibilis.

Item exercitus per Ruſſiam tranſiturus neceſſario eſſe deberet adeo in numero & viribus fortis, quod in Ruthenos eſſet potens, ſi tranſitum impedire vellent.

Item utilis eſſet cruciata, ut populi evidentius convenirent; qve committi deberet alicui vel aliqvibus de lingva & ydyomate harum Regionum.

Item plura & utilia ad hec particularia concurrunt, qvibus neceſſario opus ad hanc expeditionem oportuna fierent, qve tractari poſſent, ſi dominus Apoſto-

licus huic negotio ſerio ſe intenderet. Nos enim novimus ob reverentiam Dei & ſancte catholice fidei chriſtiane poſſe eſſe proficua. Datum die XXII. Novembris, in caſtro Stocholmenſi regni noſtri Svecie, anno domini &c. LVII. ſub Reverendi patris D. *Marcelli* Epiſcopi Scalholtenſis, propter receſſum noſtri Sigilli, epiſcopali ſecreto.

Commiſſio ad duos Epiſcopos in cauſa Cantoris Hafnenſis.

Valiſius Epiſcopus ſervus ſervorum dei venerabilibus fratribus Slesvicenſi & Aruſienſi Epiſcopis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Significavit apoſtolatui noſtro dilectus filius *Olavus Johannis* Cantor Collegiate Eccleſie Beate Marie Hafnenſis, Canonicus Roſkildenſis, qvod dilecti filii Decanus & Capitulum Roſkildenſis Eccleſie ſuper ceteris pecuniarum ſummis ſolvendis ac qvampluribus aliis ſibi per eas illatis gravaminibus & moleſtiis fatalibus, legitima appellatione per ipſum *Olavum* ad nos & apoſtolicam ſedem interpoſita nondum deſerta, minantur eidem. Et qvia ſicut prefati *Olavi* aſſertione didicimus, Regnum Dacie, infra cuius limites dicta Roſkildenſis Eccleſia & Capitulum conſiſtant, vadis hinc inde circumfluatur marinis, qvod plerumqve faciliter adiri certis temporibus, vel ad extranea transfretari littora neqveat; qvo propterea in viarum deductionibus, viarum prolixitatibus & diſcriminibus multiplicibus sepius contingentibus, partes in iuſtitia ſepe fraudari contingat. Nobis humiliter *Olavus* prefatus ſupplicavit, qvatenus ſibi in premiſſis de remedio oportuno providere miſericorditer dignaremur. Qvocirca diſcretioni veſtre per apoſtolica ſcripta mandamus & committimus, qvatenus vos vel unus veſtrum poſtqvam pro parte *Olavi* prefati fueritis reqviſiti, per vos ſeu alium ſeu alios vocatis, qvi propterea fuerint evocandi, id qvod decreveritis firmiter obſervari. Contradictores qvoslibet & rebelles per cenſuras eccleſiaſticas & alia iuris remedia appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato ad hec, ſi opus fuerit, auxilio brachii secularis. Teſtes vero, ſi gratia, odio vel favore subtraxerint ſe, facientes cenſura ſimili teſtimonium perhibere veritati. Non obſtante &c.

Littera pro Torqve data domino Geminiano.

Chriſtiernus dei gratia &c. ſpectabili & nobili militi *Geminiano Triviſano,* aule noſtre Regalis Palatino, Oratori noſtro ſalutem, gratiam noſtram & ſincere dilectionis affectum. Qvamvis in aliis litteris noſtris regalibus privilegialibus & graciosis Torqvem noſtram, qva collum noſtrum regium & humeros noſtros circumambire pro noſtre Maieſtatis gloria ſolemus, & milites ac nobiles & generoſos noſtros in ſignum noſtre magnificentie decoramus, dilectioni tue de manibus noſtris largiti ſuimus & dedimus, in preſentiarum tuis promerentibus virtutibus & meritis ac obſeqviis fidelibus nobis & corone noſtre impenſis multipliciter, qvia es militaribus cingulo & honore ac inſigniis decoratus, qvatenus dictam Torqvem venuſtare aureo poſſis & valeas decore portare & circumqvaqve iugi collo tuo, ubiqve te adeſſe contingerit, in ſignum benivolentie & gratie noſtre, tibi de noſtra libertate regia concedimus, & impertimur. Datum &c. anno &c. LVII.

Ad

Ad Correctorem Bullarum Rome. 1457. *ſancti Mathei.*

Chriſtiernus dei gratia &c. reverendo Patri domino *Johanni* prepoſito S. Anſcharii Bremenſis Bullarum apoſtolicarum correctori amico cariſſimo, ſalutem & ſincere dilectionis affectum. Reverſus ad nos ex Romana curia ſpectabilis miles *Geminianus Triviſanus* Palatinus aule noſtre Regalis, Orator noſter, inter cetera, qve nobis expoſuit, livorem animi veſtri aperuit, qvem ad Reverendum P. D. *Marcellum* Epiſcopum Scalholtenſem conſiliarium & patrem noſtrum dilectum gerere ſatis odioſe videmini, qvem non minus nobis illatum iudicare poſſumus, qvi multo differentius eundem novimus experientia probata virum clariſſimum, ſcientia & moribus in orbe colendum, qvod de ipſo non ſolum noſtra Maieſtas prelati & proceres noſtri, ſed multi ſentiunt Reges & principes, qvi non ſola ignorantia & invidia emulantur. Qvod ſi veritatem continent, qve nobis de P. V. expoſita ſunt, ſtuporem magnum mentis incurrimus, qvod veſtra ſingularis & famata ſapientia volatilibus emulorum ſuorum nugis aures tam facile commodaverit, cum optime ſciveritis, qvod inſignibus & graviſſimis viris qvamtumcunqve inſontibus detractionum iacula facile ab evo immineant. Sed multo acrius mentem noſtram perurget, qvod odium, qvod in dictum Epiſcopum geritis, civium Colonienſium aſſeveratione ex parte componitur, optime cognoſcendo plebes & vulgares communiter ſingere & mentiri, cum apud Senecam, & veritate nichil remotius, qvam vulgaris aſſertio talium, etſi poſſunt prudentes oblatis blandiri ſed non facile circumveniri. Ab aliis etiam noſtris amicis ex curia recepimus, qvod P. V. ſe dictorum Colonienſium fecerit redemptorem, ac ex eo qvosdam compaginare nitebamini contra eundem Epiſcopum criminalem proceſſum, qvo tanqvam pirata & ſedis apoſtolice procax detractor & veterator puniendus: cum vero venerandam & glorioſam vitam ſectetur, abſurdum eſt eum per eqvora & ponti freta autumari Colonienſium ſpolia qverere, aut qvi humili & devota obedientia ſanctam Apoſtolicam ſedem verbis & factis complectitur, infamia falſa invehere. Sed nos propterea qvod civitas Colonienſis infractionem ſui ſalvi conductus, pecunias, argentum, clenodia, privilegia tam noſtra qvam ipſius Epiſcopi, illata etiam nobis graviſſima iniuria, preſumptorie rapuit, & nobis ſtare dictamini cuiuscunqve principis vel domini in iuſtitia & honore negavit, publico Regali edicto baruimus & tanqvam publicos hoſtes per regna & dominia noſtra in perſonis & rebus arreſtari mandavimus usqve ad plenam ſatisfactionem nobis & ipſi Epiſcopo impendendum. Conqvieſcat igitur, Reverende Pater, veſtri ranchoris acerbitas, qvam contra prefatum Epiſcopum eructuare dicimini, ſciendo a certo qvod in hiis ſingularis diſplicentia nobis qvoqve ingerit vel ſaltem ſi favores, odium & offenſam diſcretione previa mitigetis. Hec P. R. ſub magna confidentia ſcribimus, ſperantes eandem a nobis eqvanimiter tollerare qve bono zelo ducimus intimandum. Valeat P. V. feliciter, cui nos offerimus ad beneplacita preparatos. Datum in caſtro noſtro Stocholmenſi regni noſtri Svecie, die S. Mathei, Noſtro ſub regali ſecreto.

Confirmatio privilegiorum Eccleſie Revalenſis.

Chriſtiernus dei gratia &c. Inter ceteras noſtri ſtudii curas, illas propenſioribus & accuratioribus deſideriis in noſtris precordiis recenſemus, qvas divine Maje-

Majeſtatis honorem, Religionis cultum, & Regii iuris honorem & obſervantiam, qvatenus illibata nullis futuro evo obicibus & intemerata perſiſtant, flagitare cognoſcimus. Sane ſicut dudum divine memorie Reges Danorum & domini ac duces Eſtonie, qvi contra paganorum inſultus chriſtiane militie expeditione ex regno & dominiis ac principatibus ſuis exercitu feliciſſimo militari robore, gladio potentiaqve barbaris ſue ditioni ſubactis, Eſtoniam grandem uberemque tellurem ſuo Regali dominatui ſubiugarunt, ac flagranti chriſtiane fidei devotione accenſi Revalienſem eccleſiam a fundo erexere, dotavere, & pio relligionis ſtudio confruentes Metropolitane Lundenſis Eccleſie ſuffraganeam inſtitui procuraverunt, ſibi & ſucceſſoribus iura patronatus Regia reſervantes: Qvanqvam ut dicta Eccleſia perhenni ſeculo tuitione & defenſione frueretur Regia, ſtatuentes ſucceſſivis ipſam temporibus ad cultum divinum ſacros qvoqve cleri eccleſiaſticos ſtatus uberoſius in ipſa Eccleſia ampliandum, privilegiis, gratiis & libertatibus plurimis decoraverunt. Cum vero a predeceſſoribus noſtris geſta, illa precipue qve in eterne vite commercia recompenſanda ſatagimus, habundantiori viciſſitudine proſeqvi debeamus & maieſtatis noſtre maioribus deceat oppignorare favoribus, Idcirco Nos *Chriſtiernus* &c. Rex & dux Eſtonie, & patronus cathedralis Revalienſis Eccleſie antedicte, ſalvo ſemper & illibato in omnibus permanente jure patronatus corone noſtre, cui innitimur & inniti intendimus, nec non metropolico Lundenſis Eccleſie, cui dicta Revalienſis Eccleſia legitima interrupta preſcriptione ſuffraganea perſeverat, de noſtra certa ſcientia, omnes & ſingulas litteras, privilegia, libertates, emunitates, gratias & indulta pragmatica qvoqve ex preſcripta conſvetudine tollerata per divos Reges & duces predeceſſores noſtros qvorumcunqve fuerint & ſint continentie & tenoris; & preſertim litteras ſereniſſime Regine *Margarete* & *Erici* Regis prefate Eccleſie Revalienſi hactenus conceſſa, conſilio prelatorum & procerum noſtrorum de noſtra regali magnificentia confirmamus, approbamus, rata habemus, & perpetue Regalis ſanctionis patrocinio communimus; ipſam Eccleſiam Revalienſem ex nunc, prout extunc, clerum miniſteriales & ſubiectos ac bona ipſius, cuiuscumqve conditionis & qvalitatis exiſtunt ſive extiterint, ſub noſtra & ſucceſſorum noſtrorum Regum & ducum protectione defenſionisqve munimine amplectentes.

Ad Papam Caliſtum *pro confirmatione Electi Revalienſis.*

Chriſtiernus dei gratia &c. ſanctiſſimo in Chriſto patri domino *Caliſto* divina providentia ſacroſancte Romane & univerſalis eccleſie ſummo Pontifici, devotionem & reverentiam filialem. Crebris litterarum mearum apicibus dudum, & noviſſime per oratorem meum ad ſedem apoſtolicam propterea deſtinatum, accuratiſſimis obſecrationum inſtantiis beatitudinem veſtram habui exoratam, qvatenus vacantibus Eccleſiis precipue cathedralibus in Regnis dominiisqve meis dignaretur, ad ſubmovendum clades & ſeditiones ac diſcordes differentiarum turbines, qve perſepius formidabiliter in Eccleſiis ingruunt, permaxime qvando canonicis electionibus eccleſiarum legitima non interveniente cauſa reiectis, extraneis & non affectis providetur perſonis, ſicut nuper proh dolor in civitate mea Bergenſi contingebat occaſione eccleſie Nydroſienſis. Et qvia ſicut michi nuper innotuit, Eccleſia Revalienſis in Lyvonia paſtore orbata, Capitulum dicte Eccleſie

ſie ſervatis ad id ſervandis, venerabilem virum &c. rite & canonice elegit, virum etate & moribus ac vita promeritum, & ſicut veridico ſuggeſtum teſtimonio habeo, ipſi Eccleſie rebusqve publicis ac regimini utilem & accommodum. Cum vero, Pater beatiſſime, ipſa Eccleſia Regie fundationis erecta per meos predeceſſores ac dotata ſit, unde michi ius patronatus in ipſa ab antiqvo incumbat, ut ea ſperare fiducia qveam, qvod iuxta morem ſummorum pontificum predeceſſorum ſuorum B. V. Regio iure & electi meritis exigentibus, gratam ſe clementer votis & precibus filialibus exhibituram, eandem duxi filialiter exorandam, qvatenus precibus meis & Eccleſie antedicte exaudicionis gratia intellectis, preſato Electo confirmationis beneficium & apoſtolice ſanctitudinis favores opportunos impartiri dignetur, cui me filiali devotione offero recommiſſum. Datum &c. ultima die Julii LVI.

Ad Papam Caliſtum *in cauſa Nydroſienſis Eccleſie.* 1456. *menſis Februarii.*

Sanctiſſimo & beatiſſimo in Chriſto patri domino *Caliſto* divina providentia ſancte Romane & univerſalis Eccleſie ſummo pontifici, *Criſtiernus* dei gratia &c. Reverentiam & devotionem filialem. Niſi me, Pater ſanctiſſime, chriſtiana & religioſa commonefaceret pietas, inane & otioſum iudicarem ea, qve lugubri nuper relatu didici, veſtro apoſtolatui referare. Inflicto enim vulnere, & per medicantis iniuriam ſcaturiente putrida carne, qvid poſtremo exſpectari oporteat, niſi qvod virulentis carnatibus plaga exeſtuans luridam ſuperinducere exſpectemus . . . . & ſordidam. Vacante ſiqvidem Nydroſienſi Eccleſia Regni mei Norvegie inſigni metropoli, & poſtea unanimi Eccleſie ipſius voto & Regni magnatorum approbatione totius, ſuffraganeorum Epiſcoporum tunc preſentium, ſucceſſor fuerat poſtulatus, qvem licet S. V. deceſſor (utinam utiliter) transferre poſtpoſuit, conveniebat tamen iuſtitie & eqvitati circumſtantiis permultis urgentibus; ad pontificale qvenqvam munus non exſpectatis perprius regalibus deſideriis promoveri, qvi non ſolum publicarum rerum nexibus implicari, ſed & eccleſiarum profectibus, & ut cum omni ſupportatione filiali dicatur, non affectatis perprius regalibus votis, & eccleſie ac Regni conditionibus diligentius inqviſitis, conſultum non fuit, nec utile homini morum patrie & regionis ac lingve ignaro, ſenio pregravato & artubus deſtituto, nulla congruentis loci & temporis expectacione diſcuſſa, ipſam Eccleſiam commendaſſe, qvi Regni ex conſvetudine ſibi incogniti dirigeret gubernacula, & ſtatus Regni & corone ſupremus foret, ante ſupremus inſpector qvam cognitus. Cum dictum Regnum pro ipſius vaſtiſſima latitudine, Regiones diverſas & diverſorum ydyomatum nationes contineat, in qvibus varii & diverſi ſunt hominum mores, preſertim in illis aqvilonaribus angulis, ubi Nydroſienſis ſituatur Eccleſia, in qvibus teneram adhuc Chriſtianismi infantiam blandiri & mulcere affectu expediat, & rigori perſepe detrahere, ac novellam fidei ſobolem provida & ſagaci diſcretione allicere; qvod qvidem ſubditis ac ovibus ſuis innuere muta lingva paſtor, qvem non intelligunt, minime valet. Propterea de tali in ipſis primordiis proviſione certificatus, formidabilia, qve iam emerſerunt diſcrimina & in foribus extant, ſupercreſcere metuens, crebris apicibus & per Epiſcopum Wybergenſem & alios Regios oratores propterea deſtinatos, deceſſori V. S. humiliter ſupplicavi, qvatenus a

profecutione dicte proviſionis dignaretur deſiſtere, qvam privilegiis, conſvetudinibus, indultis & ſtatutis iureiurando firmatis & apoſtolice ſedis ac ſacrorum Conciliorum approbatione & ſanctionibus roboratis obſtantibus in ipſum fratrem *Henricum*, & pro immunitate Regii ſtatus, qvi ex illo iri in dicto Regno poterat profligatum, nullatenus conſentire. Sed qvo fato id geſtum fuerit, ſuggeſtionibus aliqvorum non veris predeceſſore ut creditur S. V. prevento, ea qve iuſte mea devotio flagitabat, duram & non ſperatam patiebantur repulſam; citra id qvod ultimi oratores mei ab ipſo deceſſore & V. S. per annum ferme in urbe poſtulantes retenti, ad me tandem vacui & absqve reſponſis remittebantur optatis, qvod erga Regiam Maieſtatem geſtum multum preſumerant decenter. Qvo propterea Norici irritati in partes diviſi, turbidos & ferales inter ſe inierunt conflictus, in qvo certamine plures & inſignes occubuerunt barones & milites, inter qvos recolende memorie *Torlavus* Bergenſis Epiſcopus in ipſo concertantium fremitu violenta manu interiit. O ambitionis deteſtabile crimen! pro ovibus ſuis redimendis moritur Chriſtus: pro tumide ſuperbie inſatiabili faſtu, pro mundane glorie pompa ovile Chriſti ſubripitur! qvam ſancta Canonum ſanctio, qve decernit paſtores dari non debere invitis! Ecce, pater ſanctiſſime, eſt iſte de fratris *Henrici* proviſione fructus optatus? eſtne promiſſa in litteris V. S. utilitas, pro pace diſcordia, pro qvietis applauſibus ignis & gladius? Abſit qvod propterea Rex ſacro crismate unctus periurii notam incurriſſe fametur, qvod S. V. minime creditur exoptare. Sed ſicut fidenter ſperatur, dignetur S. V. Eccleſie predicte & Regni preſſuris pietatis oculis inſpicere, & formidabilibus animarum imminentibus obviare periculis. Ex qvibus gravius, fidem catholicam qvam noviſſimis Theucrorum aggreſſibus ſuccumbere liqvide pertimeſcimus, ſi reſignatione ipſius fratris *Henrici* non admiſſa, Eccleſie Nidroſienſi canonice electionis privilegium relinqvatur deſtitutum; cum ſibi redeundi nulla ſit ſpes nec poſſibilitas. De qvo S. V. illi, cuius vicem in terris gerit, reddditura in ſupremo examine rationem. Cogitet V. S. exqviſita & ſumma prudentia, rem tam importabilis oneris michi & eccleſie ſupradicte ex prenotatis incumbentem, qvam duxi filialiter exorandam, qvatenus ad obviandum diſcriminibus maioribus & preſſuris ingentibus, qvibus prefata Nydroſienſis eccleſia per proviſionem domino *Hinrico Caldyſſen* factam irrecuperabiliter fatigatur, eius reſignationem, qvam ſe facturum votis, iuramentis & ſigillis ac ſcriptis devovit, admittere & ſibi aliunde providere; coronamqve noſtram & Eccleſiam Nydroſienſem ac ceteras Eccleſias Norvegie ſuis privilegiis & libertatibus frui de paterna benignitate dignemini. Valeat S. V. feliciter longeve ad profectum Eccleſie ſanctiſſimi Dei, cui me filialiter recommendo. Datum in caſtro meo Ordſenborch (Vordingborg?), meo ſub Regali ſecreto.

Ad Papam Caliſtum *in cauſa Oxilienſis Eccleſie.*

Sanctiſſimo & beatiſſimo in Chriſto patri domino *Caliſto*, divina providentia ſancte Romane & univerſalis Eccleſie ſummo pontifici, *Criſtiernus* dei gratia Regnorum Dacie &c. reverentiam devotam & filialem. Non pigebit, Pater beatiſſime, crebrius ſcripta V. B. offerente ſe cauſa replicare, qvatenus V. B. ſue diſcretionis indaginem rebus agendis & occurrentibus libramine utiliori accommodet. Etenim dudum ad precavendum clades & diſcordes ſeditiones ac differenciarum & impreſſionum turbines, qve perſepius Eccleſiis formidabiliter ingruunt, qvando

qvando prefertim Canonicis electionibus Eccleſiarum precipue Cathedralium, legitima cauſa minime exigente, reiectis, extraneis & non affectis providetur perſonis, predeceſſores veſtros & dudum S. V. attentiſſimis exhortabamur inſtantiis, qvatenus dignetur canonicis electionibus in Regnis & dominiis meis celebratis, qvibus debito gravitatis ſervato libramine regalis conſenſus acceſſit, benignum confirmationis beneficium impertiri. Hinc eſt, qvod cum noviſſime Oxilienſis Eccleſia ſub Rigenſi metropoli conſtituta, celebris qvidem & cultu ac divinis obſervantiis inſignis, qve Regie mee & predeceſſorum meorum protectioni & ſanctioni ſubacta exiſtit, auxiliis & defenſionibus Regalibus tutoria gaudere aſſolet libertate, per obitum venerande memorie immediate ipſius Eccleſie pontificis vacaverit, de preſenti qvoqve vacare noſcatur, Capitulum Eccleſie antedicte ſervatis ad id ſervandis, tempore à iure ſtatuto, venerabilem virum Eccleſie ipſius canonicum, virum etate provectum, ſcientia, virtutibus & in rebus gerendis multipliciter prepollentem, & ſicut dignorum accepi teſtimonio, ipſi Eccleſie publicisqve rebus & regimini utilem & accommodum, per cuius promotionem magis Eccleſie qvam ſibi proviſum ſperetur, elegit. Cum vero, Pater beatiſſime, memorata Eccleſia Oxilienſi, patriaqve ac dyoceſis ipſius ſic fundata & ſtabilita noſcatur, qvod divorum Regum Dacie predeceſſorum meorum & mea protectione pacis tranqville valeat optinere ſucceſſus. Qvocirca ſingulari ac filiali cum fiducia ad gremium apoſtolice duxi clementie recurrendum, qvatenus eadem ſanctitudo, qve iuris & canonum ſpecimen & ſacrarium noſcitur preclariſſimum, dignetur reiectis contrariarum ſuggeſtionum anfractibus, qve per ambitionis ſomitem titillare in ſimilibus aſſolent, prefato Electo confirmationis beneficium & apoſtolice ſedis gratiam miſericorditer impertiri. Nam, Pater beatiſſime, non habebit ad dictam Eccleſiam alius ingreſſum, niſi cum patrie Eccleſie formidabili caſu, cui indubie ſperatur veſtram ſanctitudinem ſuis providentia & clementia velle obviare. Datum in caſtro meo Stocholmenſi Regni mei Svecie, tertio Idus May, anno domini Milleſimo qvadringenteſimo qvinqvageſimo octavo, Noſtro ſub Regali ſecreto.

Ad Cardinalem.

Chriſtiernus dei gratia &c. reverendiſſimo in Chriſto patri & illuſtri principi domino P. ſancte Romane Eccleſie divina miſeratione tituli ſancti Georgii ad aureum vellus Dyacono Cardinali, conſangvineo & amico noſtro optatiſſimo, ſalutem & ſincere dilectionis affectum. Vacante pridem Oxilienſi Eccleſia per obitum venerande memorie ipſius immediati pontificis, capitulum & canonici eccleſie prefate, ſervatis ſervandis, honorandum virum ipſorum concanonicum in ſucceſſorem rite & legitime elegerunt, prout in ſue electionis canonice decreto luculenter apparet. Et qvia, Reverendiſſime Pater, a veternis temporibus Eccleſia predicta & patria divis Dacie Regibus predeceſſoribus noſtris & nobis tuicioni & protectioni noſcitur commendata, qva propterea Epiſcoporum electiones facte Regibus ſoleant preſentari & conſenſus optatius impetrari. Nos auditis Electi meritis & Eccleſie commodis & utilitate inſpectis, favorabilem, placidum & benignum conſenſum preſtitimus, & capituli Electiqve Legatos ad preſentiam ſanctiſſimi domini ſummi Pontificis & veſtram propterea deſtinamus. Inſtanter & obnixius

nixius P. V. deprecantes, qvatenus iuxta relationem per dictorum Legatorum preſentiam P. V. fiendam, velitis contemplatione noſtri, utilitate Eccleſie prelibate attenta, diligentem operam impertiri, qvatenus clementer & expedite ipſe Electus promotione & favoribus veſtris beneficium confirmationis valeat feliciter obtinere, cum minori qvo fieri poterit gravamine. Cum patria enim eccleſie antedicte inſultibus Ruthenorum & aliorum ſcismaticorum vicinorum perſepius dampnis & ſpoliis pregravatur, & qvia in Romana curia non abeſſe didicimus, qvi dictam Eccleſiam ambitioſa voragine ambiunt, exhortamur P. V. qvatenus talibus obviari pertinet, cum eis non eſſet poſſibilis ingreſſus, nec nos propterea patriam laceſſiri vellemus. Ceterum, R^me^ P. latori preſentium Prepoſito Oxilienſi, capellano & nuncio noſtro aliqva commiſimus in certo ſecreto negotio, qvod honorem ſancte ſedis apoſtolice & noſtrum concernit, qvod eſt de pura & mera iuſtitia, V. P. pro noſtra parte referenda; cuius relationibus in ea parte dignemini fidem credulam adhibere, & bullas iuxta noſtrum optatum facere expediri noſtris expenſis, ac per dictum Prepoſitum nobis deſtinare velitis. Nam ſuper eo nobis maiorem complacentiam facietis, de qvanto preneceſſariam ſalutem reſpicit animarum. Datum in caſtro noſtro Stocholmenſi.

Ad Papam Caliſtum *in cauſa Lyncopenſis Eccleſie.*

Sanctiſſimo & beatiſſimo in Chriſto, patri domino *Caliſto*, divina providentia ſancte Romane & univerſalis Eccleſie ſummo pontifici, *Criſtiernus* dei gratia Regnorum Dacie &c. reverentiam devotam & filialem. Cum deceat Regiam dignitatem viribus accuratis intendere, ſueqve ſollicitudinis accommodare ſolertiam, ut divinitatis honorem & ſacre religionis obſervantiam rebus ceteris anteponat; potiſſimum qvatenus gregi tales dominico preficiantur paſtores, qvi non ſolum aſſumpti honoris faſtu & culmine glorientur, ſed iniectum humeris ſuis oneris iugum per debite indaginem circumſpectionis intelligant & per operam fructuoſe exercitationis ſupportent. Sane P. B. pridem Lincopenſis Eccleſia regni mei Svecie vetuſto ab evo inſignis, tunc miniſtrante venerande memorie *Nicholao* Epiſcopo maturo ſenio & invaleſcentia corporali confecto, ne ipſa Eccleſia emeriti & dudum vtilis paſtoris in preſentiarum vero artuum viribus deſtituti incuria a laudabili, in qvo hactenus perſeverat, regimine labaretur, pro ſibi ydoneo & utili coadiutore dum viveret ſubrogando S. V. filialiter ſupplicavi: & qvia formidari poterat eius poſt obitum, qvi de proximo imminebat, & in abſentia Regia, impreſſiones aut diſcordias in ſucceſſoris electione veriſimiliter imminere, S. V. habui obnixius exoratam, ut proviſionem futuri pontificis dignaretur hac vice diſpoſitioni ſedis apoſtolice reſervare. In preſentiarum vero Epiſcopo predicto viam univerſe carnis ingreſſo, habita ſuper futura electione per Capitulum Eccleſie antedicte diſcuſſione matura, tanta affuit Deo favente hinc inde animorum connexio & ſtatus utriusqve unio voluntatum, qvod ſancto flamine inſpirante, omnium vota in illum concorditer convenirent, licet abſentem & de ſue vocationis indiciis penitus ignorantem, pro cuius ſubrogatione P. V. antea ſupplicaveram, virum virtute providum laudabilis vite, & in iuvenili pectore effigiem venerabilis ſenectutis geſtantem, integerrime fame, de nobili Regni mei prefati proſapia procreatum, ipſius Eccleſie canonicum: ut ſuorum gravitas morum, ac litterarum pericia, & rerum agendarum experientia cunctis ſpem indubiam

biam afferant, qvod ſub ipſius regimine Eccleſias & oves ſibi credendas gubernabit felicibus incrementis. Ego qvidem P. S. deo gratias immortales refero, qvi credulitatis mee de homine illo iudicium ſui teſtimonii ſpiraculo approbavit. Qvamobrem ad gremium & gratiam ſancte apoſtolice ſedis, cum ipſius electionis decreto latorem preſentium eundem Electum preſencialiter in curia exiſtentem meo & Eccleſie nomine duxi deſtinandum, attentis precibus exorando, qvatenus electionem prefatam, potius divino qvam humano inſtinctu celebratam de benignitate apoſtolica dignetur admittere, omnes tam etatis qvam alios qvi in dicte electionis proceſſu interveniſſent, defectus celeri & felici cum expeditione de plenitudine poteſtatis clementer ſupplendo, in qvo michi ymmo toti Regno S. V. permaximam complacentiam exhibebit, qvam feliciter & benigne conſervet altiſſimus ad profectum eccleſie ſue ſancte. Datum in caſtro meo Copenhagen Regni mei Dacie, Anno domini &c. 1458. die 3 Junii, meo ſub Regali ſecreto.

Confirmatio Privilegiorum Eccleſie Oxilienſis.

Chriſtiernus dei gratia &c. ad perpetuam rei memoriam. Inter ceteros noſtri ſtudii curas, illas propenſioribus & accuratioribus deſideriis in noſtris precordiis recenſemus, qvas divine maieſtatis honorem, religionis cultum, perſeverantiam & decus regie dignitatis flagitare cognoſcimus, qvatenus illibata nullis futuro evo obicibus & intemerata perſiſtant, firmitudinemqve perpetuam patiantur. Sane ſicut dudum divine memorie Danorum Reges & Principes, predeceſſores noſtri cariſſimi, qvi contra paganorum inſultus chriſtiane militie expeditiones ex Regnis & principatibus ac dominiis ſuis accerſito feliciſſimo militari robore, gladio ac potentatu permaximo barbaris ſue ditioni ſubactis, Eſtoniam tellurem latiſſimam, Oxilienſemqve & plures alias Regiones chriſtiano nomini adunarunt, & catholice fidei devotione allecti, Revalienſem & alias nonnullas Eccleſias erexere a fundo & largiflue dotaverunt. Ac qvoqve erga Oxilienſem venerando cultu & in ſacris ſtatis obnixius prepollentem, exemplarem ipſius Eccleſie devotionem & divinum in ea qvi cotidie celebratur cultum, indigenarum & incolarum patrie & dyoceſis religionem in Deum, fidem & reverenciam in Reges, & obedientiam peremptorie in pontifices ſuos oculacius contemplantes; ut ipſa Oxilienſis Eccleſia, patriaqve tota & dyoceſis, perhenni ſeculo, tuicione & defenſione fruerentur Regia, & ab hoſtium & malignorum incurſibus inconvulſa ſubſiſteret; eandem, pontificesqve pro tempore, capitulum, miliciam, & incolas univerſos, defenſionis, protectionis & patrocinii perpetui, ad inſtar ſuorum regnicolarum & fidelium ſubditorum, privilegiis, gratiis & libertatibus plenius decorarunt. Qvia vero predeceſſorum noſtrorum geſta, illa precipue, qve ad eterne vite commercia recompenſanda ſatagimus, exuberantiori viciſſitudine proſeqvi & inviolata firmitudine ſubſiſtere exoptemus, & Maieſtatem noſtram deceat tales opulentioribus oppignorare favoribus: idcirco Nos divorum predeceſſorum noſtrorum Dacie Regum veſtigiis inherentes, ex certa ſcientia cupientes qvoqve vinculum & nexum firmiſſime caritatis per maieſtatem noſtram regiam erga Reverendum patrem Epiſcopum Oxilienſem, capitulum, clerumqve univerſum & ſucceſſorum ipſorum militiam & indigenas Eccleſie, preſentes pariter & futuros; & fidelem ac devotam obtemperantiam Epiſcoporum in nos ſucceſſoresqve noſtros Re-

ges, infragili glutinio convincire: de liberalitate & munificentia noſtra regia, gratioſius omnes & ſingulas litteras, indulta, immunitates, privilegia tam per Regales pragmaticas ſanctiones qvam ex preſcripta conſvetudine tollerata per divos Reges predeceſſores noſtros, qvorumcunqve continentie & tenoris exiſtant, de conſilio prelatorum & procerum noſtrorum, confirmamus, approbamus, ratas & rata gratas & grata habemus, & perpetuo Regalis ſanctionis patrocinio communimus. Ipſam Eccleſiam Oxilienſem exnunc prout extunc, Epiſcopum, Clerum, militiam, miniſteriales, ſubiectos, indigenas & incolas, cuiuscunqve ſtatus & ſexus, ac ipſorum facultates & bona cuiuscunqve ſtatus vel conditionis exſtiterint, ſub noſtra & heredum ac ſucceſſorum noſtrorum protectione, defenſione & tuicione gratioſius amplectentes. Datum anno domini 1458. tertia May, Regnorum noſtrorum Dacie Slavorum Gothorum decimo, Norwegie octavo, Svecie vero anno primo, Noſtro ſub Regali ſecreto.

Ad Epiſcopum Bergenſem in cauſa Oxilienſis Eccleſie.

Criſtiernus dei gratia regnorum Dacie &c. reverendo Patri *Paulo* Epiſcopo Bergenſi, in Romana curia Procuratori noſtro, ſalutem & ſincere dilectionis affectum. Lator preſentium venerabilis Oxilienſis Prepoſitus capellanus & nuncius noſter pro confirmatione Electi ad eandem Eccleſiam, eſt noviter ad Romanam curiam progreſſurus; & qvia patria predicta eſt nobis ſubiecta, & divi Reges Dacie predeceſſores noſtri & Nos ius in ea ab antiqvo optinemus factis canonicis electionibus conſentiendi: & humiliter petito, utilitate Eccleſie & Electi meritis inſpectis, conſenſum dedimus. Qvocirca affectamus, qvatenus apud ſummum Pontificem, Re^{mos} Cardinales, & Illuſtrem conſangvineum noſtrum dominum de Columpna, qvibus ſcribimus, cauſam predictam habeatis nomine noſtro promotam. Ceterum ſuper certo negotio ſecreto, qvod cupimus ſerioſe per ſummum pontificem expediri, commiſimus Prepoſito antedicto, domino Cardinali & vobis duntaxat, & nulli alteri, referre & intentionis noſtre exponere ſeriem; qvod teneri velimus ſub ſecreto. Cui fidem credulam adhibere velitis, & accuratiſſime laborare, qvod noſtra intentio optatum ſortiatur effectum, iuxta tenorem memorialis, qvod dictus Prepoſitus a nobis accepit. Etiam cupimus, qvod in facto interfectionis Bergenſis Epiſcopi, & ſuper impetranda ſcriptoria apoſtolica pro dilecto ſecretario noſtro *Daniele*, ſummum Pontificem pro noſtra parte, per dominum de Columpna, ſollertia veſtra ſollicitare non pigeat; & in aliis per Nos vobis commiſſis reſponſa veſtra obnixius exoptamus. Datum in caſtro noſtro Stocholmenſi Regni noſtri Svecie, de XIII. menſis May, anno domini qvinqvageſimo octavo, Noſtro ſub regali ſecreto.

Copia ad Epiſcopum Trajectenſem in cauſa Colonienſium.

Criſtiernus dei gratia Regnorum Dacie Svecie Norvegie &c. reverendo & orthodoxo in Chriſto patri *David* eadem gratia Epiſcopo Traiectenſi, ſalutem & ſincere dilectionis affectum. Subiit animum, Reverende & amantiſſime pater in Chriſto, amice cariſſime, ea preſentibus recenſere, qve famatis rumoribus ad veſtram perveniſſe notitiam minime heſitamus; ingens qvidem flagitium & peſtiferum auſum implacabili animadverſione dignum per Burgimagiſtros & Conſulatum

tum Colonienſem ſacrilega temeritate preſumptum. Nam dudum cum Nos reverendum in Chriſto patrem *Marcellum* Epiſcopum Scalolthenſem, conſiliarium noſtrum, tunc in Nidroſienſem Archiepiſcopum poſtulatum, ex regnis noſtris, pro arduis noſtris & regnorum noſtrorum negotiis imminentibus, Oratorem & Ambaſiatorem noſtrum ad ſedem Apoſtolicam & diverſos Reges ac Principes legaſſemus; cum ad Nos ipſum ſummus Pontifex expeditum cum reſponſis remitteret, per civitatem Colonienſem tranſitum facientem, dicti Colonienſes perperam ſatagentes inanibus confictis coloribus, ipſum Epiſcopum in propriis laribus, infra Eccleſiaſticam emunitatem, ſub ſalvo conductu exiſtentem, demiſſis ipſorum violentiarum magiſtris cum famulis civitatis, irreverenter & contumelioſe, per tecta & domos vicinas cum impetu ſubintrantes apprehenderunt, percuſſerunt, ſolo proſtraverunt, & captivarunt, annullis precioſis ex digito violenter extractis, per vicos & plateas ad carceres maxima cum ignominia traducentes. Et ſtatim familia ſua repulſa, curiam Epiſcopi in poteſtatem & arbitrium receperunt, & nocturnis ſquallentibus latebris, vaſa aurea & argentea in notabili pondere pecunie, clenodia tam noſtra qvam ſua, privilegia, litteras noſtras clauſas & apertas, & omnem Epiſcopalem ſupellectilem aſportarunt; qvod luceſcente die curia prefata rebus contactis excuſſis evacuata remanſit. Ac qvoqve poſteaqvam domino favente, eis invitis, bonorum preſidio immunis evaſit, ſe ad tutelam illuſtris Principis, Juliacenſis & Montenſis Ducis, nepotis noſtri cariſſimi, qvi ſibi illatam iniuriam noverat, contulit, hortatibus crebris tam dux prefatus qvam ipſe Epiſcopus literaliter & per oratores, Colonienſes commonitos habuere, qvatenus per ſuos competenti comparerent in loco, & ſuper captivitate Epiſcopi & ſpolio darent & reciperent, qvod foret iuſtitie & honoris. At per ſemeſtrem ſepe reqviſiti & expectati turpi ſilentio recuſarunt. Interea cum ad preſentiam noſtram gravi cum qverela ſe contulit, nos accuratis apicibus & per oratores noſtros ſuper hiis, ut predicitur, obnixius & amicabiliter reqviſivimus, qvatenus rem per ipſos flagitioſe in vilipendium noſtrum, & eccleſiaſtice ac epiſcopalis dignitatis noxam patratam, condigna ſatisfactione & emenda componerent; a qvibus reſponſa plena blaſphemiis & ſubterfugiis reportavimus. Qvocirca, reverende in Chriſto pater, qvia tam ingentem offenſam noſtra modeſtia regia qvam pluribus ſuſtulit, ulteriori mora torpere non valet, qvam decet acriori vindicta ulciſci, eandem P. V. per amicitiam ſingularem attentius obſecramus, qvatenus ſicut nos vobis in negotiis veſtris favorabiliter ſemper faciemus, ita velitis contemplatione noſtra ipſos Colonienſes commonitos facere, ut Maieſtati noſtre & Epiſcopo prelibato iuxta indaginem ſupraſcripte narrationis integraliter ſatisfaciant. Qvod ſi contempſerint veſtros audire hortatus, velitis cum veſtris ſubditis & amicis nobis favoribus adeſſe & aſſiſtentia exercitus. Donec redeuntes ad cor, iniuſtam iniuriam digno emendationis impendio complanaverint. Valete, Reverende in Chriſto pater & amice optatiſſime, cuius beneplacitis, & gratuitis nos offerimus corde preparatos. Datum in caſtro noſtro Coppenhaven Dacie, anno &c. LIX. Regali noſtro ſub ſecreto.

In

In cauſa Ottonienſis Eccleſie, Capitulum prefate Eccleſie.

Sanctiſſimo &c. reverentiam & obedientiam debitam ad pedum oſcula beatorum. Nos prior & Capitulum Eccleſie cathedralis Ottonienſis in Lundenſi provincia conſtituti dicimus, fatemur & recognoſcimus, qvod qvanqvam Reverendus in Chriſto pater *Hennikinus* Dei & apoſtolice ſedis gratia Epiſcopus Ottonienſis, annis plurimis prefatam prudenter & laudabiliter, omni reprehenſione ſemota, gubernat & rexit, ac omni cum gratiarum actione & benivolentia preſuit, ſicut & preſidet de preſenti. Verum qvia in preſenciarum langvoribus plurimis & corporali egritudine pregravatus, & qvia cure ſubditorum in ſpiritualibus & temporalibus preeſſe non valet, nec eum propterea a dignitate epiſcopali removeri ullatenus cupiamus; ipſius tamen mentis intelligentes iuſtum & honeſtum affectum, ad qvem pro ſue ſerenitate conſcientie inclinatur: videlicet, qvod qvia in decrepitam ſenectutem devenit, unde cure paſtorali invigilare non valet, optavit ſibi per ſedem apoſtolicam conſodalem & coadiutorem adiungi, talem conſcientia & meritis, qvi ſibi in pontificali dignitate poſt ipſius obitum ſuccedere poſſit & debeat. Et qvia prelibatus Reverendus in Chriſto pater dominus noſter Epiſcopus venerabilem virum dominum *Magnum Krafffen* Eccleſie Metropolitane Lundenſis Canonicum, Sereniſſimi domini Regis Cancellarium ſibi dari in Coadjutorem & ſucceſſorem inſtantiſſime exoptavit, & in ipſum ſerenitas ſua libere & gratioſe conſenſit. Nos cupientes votis & deſideriis prenominati domini Epiſcopi ac ſereniſſimi domini Regis annuere, virtutibus, meritis, ſcientia, gravitate ac laudabili experientia agendorum ipſius domini *Magni* Cancellarii nobis bene notis, ſperantes Eccleſiam noſtram ſub eius regimine in ſpiritualibus & temporalibus in melius reformari; Capitulariter congregati, unanimiter & concorditer qvantum in nobis eſt, oblatum prefatorum dominorum noſtrorum Regis & Epiſcopi de perſona prefati domini *Magni,* qvatenus dignetur ſancta ſedes apoſtolica in coadiutorem Epiſcopi ad vitam, & ipſo obeunte in ſucceſſorem preficere, approbamus, gratum habemus, & harum noſtrarum litterarum tenore deputari & ſubrogari in ſucceſſorem humiliter ſupplicamus. In qvorum &c. Datum &c. anno domini LVIII. menſis Novembris.

Ad Cardinalem in cauſa Ottonienſis *Eccleſie.*

Vriſtiernus dei gratia &c. reverendiſſimo in Chriſto patri & illuſtri principi domino P. miſeratione divina tituli S. Georgii ad aureum vellus Dyacono Cardinali, conſangvineo & amico cariſſimo, ſalutem & ſincere dilectionis affectum. Variis rerum diverſarum nobis accuſationibus occurrentibus V. P. R. in qva noſtra conqvieſcit fiducia perſepe commonefacere litteris noſtris compellimur. Oſferente nuper ſe caſu, qvod ſenectute decrepita corporaliqve invaleſcentia graviori, qvibus Reverendus pater Epiſcopus Ottonienſis tanta gravatur congerie, qvod vix ſe ipſum ſuſtentet, & omnino ad curam paſtoralis regiminis impotens videatur; & licet a longo tempore inſiiterit ab Epiſcopali onere ſupportari, non qvod ſuis prioribus virtutibus & laudabilibus meritis, ac qvia utiliter usqve in preſens ſuam Eccleſiam rexerit, promerentibus conſenſum, annuentes tamen precibus ſuis, ne in paſtorali cnra dicta Eccleſia negligatur, qvatenus ſibi ydoneus & ſufficiens coadjutor per ſedem apoſtolicam deputetur. Verum qvia tam

ipſius

ipſius Epiſcopi optione, qvam capituli cleri & populi unanimi voce venerabilis *Magnus* Eccleſie, Metropolitane Lundenſis Canonicus, Cancellarius noſter, concorditer non ſolum in Coadjutorem, ſed obeuntis ſucceſſorem acclamatur, Nos qvoqve de ſuis meritis & virtutibus, & qvoqve litteratura & circumſpectione ſingulari, ipſa experientia certa cognoſcentes, R. P. V. obnixius ſupplicamus, qvatenus in tam iuſta proficua & utili intentione veſtram noſtro intuitu ſingularem cum effectu accommodet ſolertiam, ut omnino iuxta mentem & deſiderium noſtrum, Epiſcopi, capituli, & aliorum, ipſe *Magnus* Cancellarius noſter inſtituatur coadiutor Epiſcopi ad vitam ipſius, ut eidem Epiſcopo, ut timemus, brevius decedenti ipſe in epiſcopatu ſuccedat. Super qvibus R. V. P. maieſtati noſtre ſingularem efficiet complacentiam, offerentes nos &c. Datum in caſtro noſtro Coppenhaven &c. anno LVIII. Novembris menſis.

Ad Papam Pium *in cauſa prefate* Ottonienſis *Eccleſie.*

Criſtiernus &c. Qvamqvam Pater beatiſſime, Eccleſiarum omnium veſtre ſanctitudini onus incumbit, & apoſtolice directionis cenſuram eccleſiaſtico ſtatui univerſo accommodet, non incaſſum perſepe expedire cognoſcitur, Regiam Papali auctoritati occurrere diligentiam; qvia dum qve procul ſunt debita agnitione non percipit, regali relatione innoteſcat. Sane in regno meo Dacie celebri Ottonienſi Eccleſie annis multis Reverendus Pater *Hennikinus* Epiſcopus laudabiliter preſuit, vita & exemplo venerandus & carus, ſtatus eccleſiaſticos irreprehenſibiliter ordinavit, & clerum ſuum religioſo moderamine rexit, & pietate usqve ad hanc emeritam ſenectam ſingula in melius reformavit; ſuam inpreſentiarum plurimum ſuccreſcentem videatur increpidinem invalitudinaria diſpoſitione artuum & membrorum precurrere, unde ſecuntur previe egritudines . . . . paſtoralis officii producentes, & ſubditorum cure torporem veriſimiliter comminantes. Et qvamvis ego, pater beatiſſime, dicti Epiſcopi crebris hortatibus reqviſitus ipſum a cura epiſcopali ſupportari, ipſius veneranda & emerita probitate attenta diſtulerim, pridem ad preſentiam noſtram in regali conſilio ſe conferri fecit, & lacrimabili pietate de ſui preſentiali inſufficientia corporis laſſitate totius, unde formidabile vehementer de cetero ſubditorum cure & animarum regimini intendere poſſe; ymmo ad ea omnino iudicabat ſe propter premiſſa inhabilem. Qvo propterea flexis poplitibus humiliter ſupplicavit, corporis ſui inertiam & ſenectam Regalibus litteris ſancte & apoſtolice ſedi ſeriosius referari, qvatinus de ſue benignitatis gratia, ſi non a pontificio, ſaltem ab amminiſtrationis onere per diſponendum ſibi Coadjutorem ſublevari optatum. Et ad ſtatim, P. B. ſubiungens accuratiſſime optavit & obnixius ſupplicavit allegatis multiplicibus rationibus ſibi dari in coadiutorem ad vitam venerabilem virum *Magnum*, Eccleſie Metropolitane Lundenſis Canonicum, Cancellarium meum, virum literarum & in generalibus univerſitatibus probatum ſtudioſum, irreprehenſibilis fame & nominis in ſacerdotio conſtitutum, in rebus agendis exercitationis & experientie ſingularis, ſucceſſorem optavit, cum neſciret alium, qvi ipſi eccleſie utilior iſtis urgentibus temporibus preeſſe valeret. Viſis igitur P. S. & obnixius maſticatis qve idem Epiſcopus retulit, & ipſius invaleſcentia patulo circumſpecta, & qvia ea qve circa perſonam in coadiutorem & ſucceſſorem per S. V. deputandam optavit, vera & notiſſima ſunt, ut merito non ſolum idem Epiſcopus, ſed & Capitulum

Ottonienſis Eccleſie & clerus effectat, V. S. duxi ſilialibus precibus exorandum, qvatenus me ipſo, Epiſcopo, capitulo, clero ac milicia ſupplicantibus V. S. de apoſtolica benignitate favorabiliter condeſcendat prelibatum Cancellarium meum in coadiutorem preſati Epiſcopi ad ipſius vitam, & poſtmodum in antiſtitem vacante eccleſia ordinare dignetur. Valeat V. S. &c. Datum &c. anno LVIII. menſis Novembris.

Ad Papam Caliſtum *in cauſa Holenſis Eccleſie, anno* 1458. 2 *Auguſti.*

Sanctiſſimo in Chriſto patri &c. *Chriſtiernus* dei gratia &c. Priore tempore cum ſe Reverendus *Paulus* Epiſcopus Bergenſis regali apoſtolicis ſultus apicibus preſentaſſet conſpectui, audiente & intelligente univerſo regnorum meorum conſilio, pro parte & nomine Sanctitatis veſtre inter alia firmiſſima pollicitatione promiſit, qvod de cetero in regnis meis & dominiis de nullo intenderet beneficio providere, niſi regiis deſideriis poſt electiones canonicas literaliter expectatis. Verum poſteaqvam cum gratiarum actione mens mea qviete leta decumberet, in eo qvod videre videbar exuberantem ad eccleſiarum profectum V. B. vigilantiam, rumoribus noviſſime ex Roma delatis innotuit ſiniſtra ſubreptione qvorundam S. V. preventam, ad Hollenſem Eccleſiam Islandie in regno meo Norvegie, cuidam fratri *Paulo* ordinis Predicatorum providiſſe, rem qvidem P. B. formidabilem & pericula graviſſima parituram, tum qvia patria Islandia ampliſſima & referta populis tellus ab initio mero & mixto imperio pacifice ſubdita fuit ſemper & eſt regno meo Norvegie, privilegiisqve & libertatibus Eccleſiarum dicti regni innititur, qvod ibi niſi liberis electionibus & conſenſu regio ſalvis Eccleſiarum cethedralibus provideatur eccleſiis. Neqve hic, ut cum ſupportacione dicatur, incumbebat rationabilis reſervacionis cauſa qvoad perſonam proviſam, cum ad Epiſcopalem arcem ex eo minime munitus ſit, qvod extra obedientiam ſuorum prelatorum annis plurimis evagaverit, prophanis & ludibriosis ſe ingeſſerit exercitiis, qvod de ipſius irregularitate veriſimiliter timeatur, aut qvod ſacris adeo ſit litteris eruditus, qvod non ſolum pontifici qvin ymmo perſimplici clerico ſufficere qveat, nec tantum religionis apparenter ſaltem ornatum pretendat, qvod dignus pontificio valeat iudicari. Neqve Bergenſis Epiſcopus ipſum apoſtolico auditorio meo nomine preſentandi fuerat commiſſione vel autoritate ſuffultus, licet ipſum bona intentione egiſſe non dubitemus, qvi nihil in Corone & Eccleſiarum Norvegie preiudicium generale vel ſpeciale in commiſſis acceperat. Ideo potuit & debuit ante omnia re integra examinari eius procurationis mandatum, an ad ea erat preſentandi ſufficiens. Qvamobrem qvia talis proviſio contra honorem apoſtolice ſedis geſta eſt, qve ſolet in rebus ſimilibus graviſſima eqvitate in accuritate procedere, & libertatibus & privilegiis corone mee Norvegie expreſſe preiudicat, & in malum exemplum vertitur omnium, qvi hominem imparilia ad talem dignitatem habentem merita norunt; & qvod gravius eſt, qvia in ſolo hoſtibus circumſepto decet habere antiſtites omni ſuſpicione carentes, filialibus precibus V. S. duxi obnixius exorandam, qvatenus non egre ferat, ſed paterne moderationis eqvitate ſuſtineat, qvod nulla poſſibili via ipſum fratrem *Paulum* ſperandum ſit ad Holenſem Eccleſiam, ad qvam dicitur eſſe proviſus, poſſe admitti: in eo & ſuper eo precipue, qvod ipſius eccleſie vacantie nulla certitudo efficax habeatur. Eandem P. V. ſuppliciter obſecrando, qvatenus dicto Epiſcopo Paulo

ſeu

ſeu cuiqve alteri in ſimilibus de cetero, precipue in beneficialibus, niſi litterarum mearum cum aſſcriptionibus, non ſtatim fidem ſeu credenciam adhibere velitis. Valeat V. S. P. ad ſalutare regimen Eccleſie ſancte Dei feliciter & longeve, cui me & regna mea filialiter commendo. Datum Hafnis &c.

Ad Cardinalem de Columpna in cauſa Holenſis Eccleſie anno LVIII. 23 Aug.

Criſtiernus &c. reverendiſſimo in Chriſto patri &c. Clauſis pridem noſtris apicibus capellanum noſtrum *Joachim Trolle* P. V. obnixius commendavimus. Poſtea presbiter qvidam attulit Rome die XVII. Junii datas P. V. qvas gratanter perlegimus, cum nobis incolumitatis veſtre nuncie extiterint. Meminimus P. R. alias vobis ſcripſiſſe, qvod Reverendo patri *Paulo* Epiſcopo Bergenſi, qvanqvam varia diverſa & contraria Parliamentum regni noſtri Norvegie conſultaret, tamen pro illis, qvibus ad R. V. P. ſinceris neceſſitudinis nexibus aſtringimur, precibus veſtris duntaxat devicti, favorabiles gratiam & favores impendimus cum effectu; & V. R. P. intuitu ad maiora erimus ſemper parati. Verum qvod in eo non modicam recepimus diſplicentiam, & res illa animum noſtrum acerrime perurgebat, qvod intelleximus prefatum Epiſcopum qvendam fratrem Predicatorem noſtro nomine ad Holenſem Eccleſiam in terra noſtra Islandie preſentaſſe, & propterea qvod res iniuſta geſta ſit & periculum graviſſimum paritura; tam qvod idem frater qvaſi publicanus ab indigenis Regnorum noſtrorum ex eo notorie habeatur, qvod per multos annos extra prelatorum & ordinis obedientiam evagando, prophanis & turpibus ſe piratarum commerciis & exercitiis ingeſſerit, tum qvia nobis inde apud ſatrapas noſtros & cunctum vulgum reatus infamie & ſuſpicionis accreſcit, tum qvod regio noſtra illa Islandia cum vadis circumferatur maritimis ex oppoſito Britannie maioris ſcilicet Anglie ſituetur, unde aggreſſus & impetus ac invaſiones ſuſtinet diuturnos, qvare expediat ibidem religioſe vite & morum ac exemplarem preeſſe antiſtitem, qvi propter continuam regis abſentiam inſuper patriam ordinet & diſponat, ad qvod munus ipſe frater neqvit ſufficere. Non dubitamus tamen ipſum Epiſcopum Bergenſem licet incaute, bona tamen intentione feciſſe, ſed egiſſet conſultius contra Anglicum, qvi illam Eccleſiam ambiebat, excepiſſe, qvia terra illa noſtra eſt mero imperio, nec a regno Norwegie unqvam receſſit: Et qvia nichil nobis eſt commune cum anglicis, aut qvod Anglico ad Islandicas eccleſias aditus ſperari qveat; & ſummo Pontifici ſvaſiſſe, qvod ſuperinde litteras & deſiderium noſtrum & Eccleſie expectaſſet, ſicut idem ſummus Pontifex nobis per ipſius Epiſcopi organum publica pollicitatione promiſit. Qvamobrem V. R. P. obnixius obſecramus qvatenus per veſtram debitam ſuggeſtionem avocati illorum religioſorum ambitione, qvi omnes pro libertate angulos qverunt, liberi efficiamur; qvodqve ipſi Epiſcopo Bergenſi iniungere velitis, ut de cetero caveat absqve ſpeciali noſtro mandato huiusmodi & ſimilia attentare, ac qvod, ſicut domino ſummo Pontifici ſcribimus, dictum fratrem *Paulum* a tali promotione retardet, & toleret patienter, qvod talem hominem nullatenus ad aliqvam regni noſtri eccleſiam admittere velimus. Datum in Hafnenſi caſtro die XXIII. menſis Auguſti anno &c. qvinqvageſimo octavo.

Ad

Ad Papam in cauſa Turchorum excuſatoria ſuper comparitione diete 1458. *XIIII. May.*

Sanctiſſimo &c. *Criſtiernus* &c. Cogitanti michi crebrius & memoria repetenti P. B. qvam grave qvam importabile veſtre ſanctitudini onus incumbit, qvam deniqve ſancte intentionis propoſitum rei magnitudo excedit, & qvam graviſſimis rei intentate ſatigetur obicibus, pietate filiali condoleo, ut veriſimiliter formidetur, ſanctam operam V. B. aut infra ſubſiſtere, aut in ipſo conatu tandem ſuccumbere. Magis qvoqve dolendum ſit, qvod piis deſideriis veſtris & religioſiſſimis votis inter crepidines & truculentos ac ferales Turcorum auſus, qvorum impulſibus durisqve cottidianis aggreſſibus fides catholica premitur, & momentaneum pia ſacra laceſcere timendos Tartaros; Nemo occurrit inſpector, nemo oneris partem aſſumit, nullus tam virulento morbo medetur; fluctuat navicula Symonis, & inter procellarum tumentes carinas undis circumagitatur ingentibus, fluctuat ſed naucleri vigilantia naufragium ſiſtitur, nullo remige, munimine depreſſo licet carbaſa preſtolantur tranqvillam, urgetur in freta ductoris veneranda canicies. Omnes agnoſcunt, nemo ſuccurrit. O qvam deflendum & lacrimabile omen! P. S. ex ſuperis divinitus imperat Jerarchia, chori invitant ſanctorum, cetus applaudit celorum, machina circumfovet, ipſa qvoqve elementa invitant: Juſticie ratio movet, zelus fidei urget, & publice honeſtatis fama allicit; immo ipſa naturalis pietas exigit, ut omnes renati fonte baptismatis tanto fidei diſcrimine ſponte & ferventer ſuccurrant. Sed unde ſubiit torpor, inſiliit laſſitas, aut qvo pacto per vicarium grex dominicus voluptuoſe vagans per arva vocem paſtoris obaudit? Hinc qverendarum opum cupiditas & avaritie livor, inſatiabilisqve oculus cupidi, invidia diſcordia metus rapine gverre faſtus torporis ocium, inanisqve glorie fervor, vires hec Chriſtianorum, tunicam inconſutilem ſalvatoris dilacerant, & dorſa ſubiciunt conculcantibus. O qvantus luctus ac cordium frangor ac ſingulturiantis animi gemitus, qvod videamus tam lento paſſu ad bravium felicis victorie cum fortiſſimo duce procurri? Teſtis eſt omnium inſpector cordium, qvod dum infauſtam cladem rememoror ex ipſis concentaculis contremiſco; inſiliit qvoqve ardor & fervidus in me fidei zelus, qvem proch dolor iri conſpicio profligatum, qvod cupiam V. S. adeſſe & humilibus obtemperare obſeqviis, ſi qvo pacto contra inimicos Chriſti per meum miniſterium ſancta deſideria veſtre ſanctitatis felicitatem conſeqverentur optatam. Verum P. B. hic & in partibus aqvilonis non minor urit igniculus, & exqviſitior plaga tabeſcens virulento vulneri antidota non minora depoſcit. Nam regna mea Svecie Norvegieqve terminis extenſa vaſtiſſimis, gentilium & paganorum populorum rituum diverſorum in metis, importabilem preſſuram a Deo ſuſtinent, qvod armis & viribus mentis indigenas regnorum continuis in eos oporteat concertare aggreſſibus, qvi perſepius interiora regnorum cum ducentis millibus vaſtare aſſolent, licet Deo propitio tributarii michi magnam in partem ſubacti ſint. Ex adverſo Ruthenos patimur, qvi conbinatis Tartarorum aciebus terram meam eis proximam perſepe invadunt. Hec per tollerantiam ſuſtinemus, qve a fidei hoſtibus inferuntur. Sed qvid qverelabor P. B. & infeſtiſſimo animo efferam, populos Pruthenorum dominis ſuis & ordini Beate Marie rebelles, qvem ob ſancte ſedis reverentiam in protectionem ſuſcepi, per maria regnorum noſtrorum piratarum & latronum more patior diſcurrentes; a qvorum faucibus nemo immunis evadit,

igne

igne & gladio regiones finitimas populantibus. Qvare hinc & illic innumerabilem populum concitum ad bella ſemper paratum mari terraqve optinere expediat. Verumptamen iuxta reqviſitionem ſanctitatis veſtre, letiſſime ad urbem Romanam oratores meos pleno ſuffultos mandato deſtinaſſem, ſi littere aperte maturius reddite extitiſſent; ſed qvia octavo Kalendas octobris emanaverant ex Ungaria V. Decembris date michi die Beati Georgii martyris per nuncium Marchionis Brandenburgenſis prefentate fuerunt; ut evidenter liqveat, votis veſtre Beatitudinis nullo pacto potuiſſe me ſatisfacere.

Ex parte Marcelli *ad Cardinalem de Columpna.*

Reverendiſſimo &c. Humilis capellanus magnitudinis veſtre *Marcellus* Epiſcopus Scalotenſis Reverentiam debitam & devotam. Pridem cum obitum *Caliſti* Pape ad hanc aqvilonarem oram fama volatilis attuliſſet, Te ſummum Pontificem univerſorum indigenarum ſententia acclamabat, & omnium inſpectatio flagitans heſitabat & heſitans in pendulum titubat, profecto qvia omnibus notiſſime fuit, qvod tibi altius ab origine & tenacius inherebant lenitas, manſvetudo, pietas, humilitatis affectus, ipſum virtutum ſpecimen & decus preclarum; qvanqvam qvod non faſtu proprio & ambitione te ingeris, ſeu qvod ad hanc mortalem gloriam cito labituram aſpires, qve & licet affatim perſepe demulcet, levi famine conteritur, & velut umbra preterit, qvamqve verendum iudicas tumidam altitudinem celotenus ſcandere in proximo ruituram. Unde exiſtimari poterit, qvod tuam qvietem tuamqve ſalutem, tutumqve vite tranſitum dignitatum apicibus preferas, privateqve frugalitati inherere optatius ſtatuas; ut propterea graviſſimi papatus oneris ſarcinam ſubire, ne curarum frangaris crepidine, nec mundanis alliciaris illecebris, nec inanis glorie crepidine oblecteris, non ſatagis. Intellectis rumoribus, qvod alter in apicem apoſtolatus locatus ſit, divinam clementiam tue voluntati accurriſſe cognoſcitur, & qvia te ad fruges vite melioris inſtituit, noluit ſupremus auctor te licet digniſſimum ad eminentia faſtigia provexiſſe, qve anguſtum ad ſalutem proponunt aditum, qvia blandimentis voluptatum illabuntur, & damnabilis precipitii ſpondeat ruinam. Noluit te humanarum curarum anfractuum fluctibus abſorberi, ne crebre ſollicitudinis ſcopulis allidaris, erigi noluit, ne corruas. O feliciſſimum & ampliſſimum gratie munus & tibi impenſum a numine? non obeſt, qvod fortuna negaſſe videtur, non infortunii preſtitit caſum, ſed felicis commercii adauxit. Vide qvid hinc tibi deeſt qvod aſſumptus non ſis, qvod frueris qviete tranqvilla, qvatenus in momento uno infelicitatis potueras circumveniri contrariis; iam immunis es, iam blando ſopore qvieſcis. Reſpice procul, ubi principatus gloria, ibi curarum profluvia, ibi maria fluctuant, freta undis confligunt, nubes procellis inſultant, pontus circumflectitur ventis, carbaſa flante zephiro tument ſive celos ſive terras, homines hominibus tempora profligant temporibus guerre, odia invidia & livoris inteſtini rabies ſeviunt. Tu P. R. qvieſcis, tuto in portu profligantem naviculam in pelago eminus proſpicis, in littore anchoram iactaſti, ubi nullam viciſſitudinem formidas. Gaude igitur, letare P. R. qvia in te latitat ſanctus ille ſpiritus, qvi eſt vere pacis & felicitatis ſignaculum, & me tuum ſervulum apud ſanctiſſimum ſummum pontificem alias michi neceſſitudinis nexu coniunctum obtinere digneris commendatum. Datum Hafnis anno &c. LVIII. Kl. Decembris, ſub Sigillo &c.

Marcellus *ad Papam* Pium.

Sanctiſſimo & beatiſſimo in Chriſto patri domino *Pio* &c. humilis Capellanus S. V. *Marcellus* Epiſcopus Schalotenſis, reverentiam debitam & obedientiam filialem & pedum oſcula beatorum. Cum tui deceſſoris obitum ad hanc aqvilonis oram certa relatio attuliſſet, te dignum ſummo pontificio & in Petri cathedram attollendum qvaſi ſupremo predeſtinatum oraculo, omnium ſententia acclamabat. Profecto cum non in latebris ſed patula luce clareſcant, qve tibi artius ab origine & tenacius inheſerunt lenitas, manſvetudo, pietas & humilitatis affectus, precipuumqve virtutum ſpecimen & decus preclarum. Nempe cum de tua vocatione ad apoſtolicum apicem rumor increbuit, qvaſi iubar prefulgidum ſervuli tui precordia illuſtravit, complevit letitia, trepidumqve dudum animum iocunditatis molimine roboravit. Gaudens gaudebo P. S. nec iubilus aut cordis ceſſabunt tripudia, qvod te locatum in dextera ſedentis in throno conſpicio, qvod tibi ſubjiciuntur terra, pontus & inferi, qvod claves celi tuis manibus tradite ſunt, qvod ſolus es canonum & legum ſacrarium, & a tuis precordiis recenſita iura tanqvam de alveo paradiſi emanant: Qvodqve liber ille exiſtis intus per fidei nitorem & foris per pudicitie celibatum deſcriptus & ſeptiformi dono ſancti ſpiritus ſignatus. Tu ianua celi, tu porta eterne ſalutis. In te fidelium univerſitas ſpe & fiducia conqvieſcit, qvod non faſtu, aut iniectu te proprio injeciſti, aut qvod ultro provehi ſatagebas. Potis tuam qvietem tutumqve private vite commodum te optaſſe, & dignitatum pretuliſſe apicibus inducimur. Vide P. S. qvod hanc ſummam mortalium attigiſti gloriam, ſed cito labituram, qve cum ceperit, aſſidue corripitur, & licet affatim blande demulcet, levi tandem fato conteritur, & velut umbra fugiens preterit. Non te extollat tumida qvam conſcendiſti celotenus altitudo, curſu celerrimo peritura. Mane gaudium qvocunqve fugeris preſto eſt, & cervicibus vite terminus incumbit; non mundane glorie alliciaris illecebris, non cupidinis voragine oblecteris. Memineris, qvod graviſſimam papatus oneris ſarcinam ſubeas, modeſtam adhibe temperantiam, ne curarum frangaris crepidine, ne optate vite naufragium facias. Recorderis te non propter te nec ex te ad eminentiſſimum faſtigii culmen provectum, qvod crebro ad ſalutem anguſtum preparat aditum, blandimentis voluptatum illabitur, & dampnabilis precipicii pollicetur ruinam. Usqve in portu anchoram fixeras, iam erecto carbaſo die noctuqve pontum petis, & in freta Petri naviculam vehis, rete piſcatoris ducis in altum. Ibi maria fluctuant, vada vadis conflingunt, profunda procellis inſultant, circumflectuntur eqvora ventis. Siſte parumper: non vult qvi elegit te humanarum curarum anfractibus abſorberi, nec crebre ſollicitudinis ſcopulis allidi. Et erexit te Chriſtus, & ad fruges vite melioris inſtituit, vide ne torpore proprio corruas. A tua qvoqve mente tremendum illud non excidat, qvod eccleſiarum onus & animarum humeris tuis Chriſtus commiſit. Sis ergo dominici gregis pervigil paſtor, qvia omnium de tuis manibus ratio reqviretur. Poſtremo ſi cupis preeſſe feliciter, & fauſtis regnare fortunis, exſecrare Symonem, inconceſſam cohibe venerem, propelle a tuis finibus martem, extingve uſurarum voraginem, momentaneum corporis accidens tibi pro libito manſurum non ſpondeas, non facile iudices, & matura gravitate iudicia proferas, communemqve iactantie morbum & faſtum ſuperbie a tuis evellas. Vale Chriſti vicarie, Petri ſucceſſor, Papa beatiſſime, feliciter & longeve, cuius ſanctis pedibus & ma-

giſte-

giſterio, me in ſcopulis exulem Noricanis commendatum optinere digneris. Datum Hafnis 8 Kl. Decembris anno domini &c. L. octavo.

Ad Papam in cauſa Nidroſienſis Eccleſie.

Sanctiſſimo &c. *Chriſtiernus* &c. Qvanqvam pater ſanctiſſime, multorum opinionibus ſuggeratur, qvod propterea, qvia tam freqventibus ſcriptis & nunciis regiis in cauſa Nidroſienſis Eccleſie ſanctitas veſtra non detulit, immo per annum in urbe nuncii prefati retenti tandem vacui fuerunt ad nos reverſi, ſedi apoſtolice cure non eſſe, & Eccleſiarum regni mei Norvegie clades ingentes & preſſuras, qve infauſtis hiis diebus ſuperveniunt, diſſimulare, & paterne oculis pietatis non inſpicere ſuſpicentur; ut videamur in hiis aqvilonaribus angulis conſtituti, qvia procul degimus, qvaſi abortivi & in poſterum reputari. Ideo, beatiſſime pater, niſi religioſa & chriſtiana me commoneſaceret pietas, & regia meminerit excellentia, ius non eſſe, qvenqvam de vicario Chriſti ſentire indignum; inane & inutile animadverterem, perſepius ſcripta & inſtantius repetita replicare preſentibus. Sed ut ſanctitas veſtra intelligat, non frivolum aut ocioſum, qvod tantis exhortabar inſtantiis, qvodqve in foribus adhereat, qvod per proviſionem fratris *Henrici Kaldiſen* veriſimiliter formidabam, advenit, heu heu qvod verebar, accidit, exitialis qvidem antiqvo inflicta vulneri plaga aculeo vehementi compungit: qvod ſi in viridi contigiſſe proſpicitur, ſera timeamus provenire, multoqve in regnum, in homines, in ſacros ſtatus, in fidem catholicam maiora diſcrimina formidemus. Patrem patrum lacrimoſis interpellabam ſuſpiriis, & nemo lamentantis advertebat ſingultus, ut tandem propter ambitioſam unius hominis cupidinem, ſubacta ſit Nidroſienſis Eccleſia iam ſeptennio iugo miſerabilis ſervitutis. In tremendo iudicio P. S. michi reſpondeant, qvi hominis illius vitam & ſcientiam commendant tam celebrem. Si ſanctus, non cupit paſtor dari invitis; & ſi in eo prefulgeret caritas, ad ambitionis voraginem cervicem non traheret, ymmo ſublevaret per reſignationem eccleſiam, qve per eius eſt promotionem data in ruinam: qvia ſanctum eſſe non ſufficit, ſed rei accomodate fructuoſum & utilem, qvod in eo minime eſt probatum. Poterat qvidem V. S. predeceſſor, & eqvitati conveniebat circumſtantiis permultis urgentibus, regio iuri patronatus deferre, poſtqvam poſtulationem decreverat non admittere, & reqviſita principis deſideria exſpectaſſe, ex rationibus in aliis qvamtotiens replicatis; cum nullis michi ſvadeatur apicibus, qvod rex ſacro crismate unctus faciat ſecus qvam rite devoverit, cum id fuerit magna providentia geſtum, qvod in Noricanis eccleſiis non niſi per electionem canonicam debeat provideri: & ad id compulit regni, eccleſie & regionis conditio, qvatenus duntaxat gnarum lingue congruentis, rerum & temporum ſupportatione diſcuſſum, & maxima deliberationis gravitate recenſitum viduate eccleſie preſeciſſe: iſto ſingulariter perattento, qvod Nidroſienſem Archiepiſcopum publicarum rerum regni totius nexibus loco regio implicari oporteat, & contra cottidianos paganorum inſultus congregare militarium & concertantium acies & dirigere, ac rege abſente regni ſuperinſpicere curas. Judicet iam V. B. an virum, qvem totus orbis commendat, an ipſum fratrem *Hinricum* ad eam exiſtimetis aptum; & qvia de Eccleſia habentur plurimi aptiores, propterea a tam remotis deſtinaſſe eundem neceſſitas nulla cogebat. Sicut meſtiſſimi

ſimi caſus docuit eventus novus, qvod qvia Eccleſia & regnum me in remotiſſimis occupato ſuperinſpectorem non habuit, ab ea radice ſeditione in civitate mea Bergenſi exorta, colende memorie *Torlavus* Bergenſis Epiſcopus vita & religione preclarus, *Olavus* & *Petrus Nicolai* milites inſignes multiqve nobiles & militares violenta morte preventi ſunt, ſacris edibus, eccleſiis & monaſteriis igne iniecto in favillam redactis; qvo ſtatui Regio de proximo ſuperimminere periculum timeatur, eo qvidem citius & certius, ſi frater *Hinricus* ad illas regiones meaverit, aut qvodcunqve ibidem tenere putaverit intereſſe. Hec eſt finalis mea intentio, qvatenus dignetur B. V. eccleſiam prefatam in ſua libertate amodo longis fatigatam contrariis relinqvere; cum nemo exiſtimet, qvod propterea totum regnum meum velim iri profligatum, & ſi graviora inde ſeqverentur, in ruſticum ſtatum diſcriminari. Non ego, ſed qvi ſunt huius incommodi patratores reddant rationem domino Jheſu Chriſto. Datum in caſtro noſtro Ordinborg anno domini &c. LVI. ſub ſecreto regali.

Copia ſeqvens ad Collegium Cardinalium in cauſa Oxilienſis Eccleſie.

Chriſtiernus &c. reverendiſſimis in Chriſto patribus dominis Epiſcopis, Presbyteris & Diaconibus, ſacro collegio ſancte Romane Eccleſie Cardinalium, ſalutem & ſincere caritatis affectum. Meminimus, Patres Reverendiſſimi, illa ſcismatis ultima tempeſtate furente, cum fidei catholice obtentu, & pro Romane Eccleſie reverentia, qve tunc adinſtar monſtroſi portenti duobus erectis cervicibus titubabat, maieſtatis imperatorie & noſtra diligentia ſingulari, Electorum & aliorum principum nationum Germanicarum faventium continentibus nutibus, qvatenus illud virolentum contagium, qvod totam pene inficiebat eccleſiam, de medio tolleretur, ut qvoqve concuſſis beſtie cornibus, qve contra Chriſtum domini ſatagebat, ſub unius veri paſtoris obedientia unione frueretur tranqvilla; opere pretio agebatur. Teſte etenim S. in Chriſto P. domino ſummo Pontifice noviter per vos divina predeſtinatione a ſupremo, qvi tunc temporis autem ceſarei culminis neceſſarius qvod mediante epigramate concordatorum inter ſedem Apoſtolicam & dictam nationem Germanicam, ſub apoſtolica bulla, qve incipit: Ad ſacram Petri ſedem, ipſi nationi exhibitorum, Romana eccleſia firmam obedientiam reportavit. In qvibus concordatis de precipuis extitit clauſulis, qvod ad inſtar iuris communis & conſtitutionis *Nicolai* Pape III. qve incipit: Cupientes, & ad ſubtollendum gravamina & diſcordias ac eccleſiarum pericula, electiones Canonicas ſummus Pontifex deinceps debeat expectare. Nichilominus primum fere *Nicolaus* qvintus, horum pollicitator, & demum *Caliſius* Papa III. dictis concordatis firma ſponſione ſervandis, vel in oblivionem concordatorum huiusmodi plurima innovarunt; ex qvibus diſcordie, ſcismata, expenſarum profluvium, & mortes ac dampna imminent eccleſiis predictis. Et magis Nobis & Eccleſiis durum exiſtit, qvod unde iura proveniunt, naſcuntur iniurie. Nam pridem Epiſcopo Oxilienſe vitam univerſa carnis ingreſſo, & ſucceſſoris electione canonica celebrata, infra de electione canonica fatalia; electione canonica minime expectata, nulla neceſſitatis aut utilitatis maioris occaſione urgente, dominus *Caliſius* cuidam fratri *Jodoco* ordinis Pruthenorum prefatam Oxilienſem providit, licet patria & eccleſia predicta nichil commune habeat cum ordine Pruthenorum, nec ſibi aliqvo pacto ſubdatur: Sed divi Dacie Reges a gentilitatis latebris

revo-

revocatam foverunt & protexerunt, ſicut in preſenciarum fovemus; & noſtre protectioni devote ſubſiſtunt. Et qvia Patres R^mi non ſolum violatis iure tum & concordatis premiſſis, qve ſub verbo Papali nobis & nationi Germanice, in qva regna & dominia noſtra & ipſa Oxilienſis Eccleſia conſiſtunt, ſperabamus inconvulſa ſervari: Sed & ſummorum Pontificum & ſacrorum conciliorum ſanctiones in regnis & dominiis noſtris ab antiqviſſima conſvetudine ſervatas & nullo tempore interruptas videamus dolenter hoc tempore profligari; unde pericula graviora formidabiliter vereamur, ſicut dudum ſimili in eadem eccleſia caſu occurrente, multa milia indigenarum mutuis occubuere mucronibus. Hinc eſt qvod V. R. P. qvas militantis Eccleſie cardines iuſtitie & directionis fore minime heſitamus, obnixius duximus exorandas, qvatenus apud ſummum ſanctiſſimum Pontificem propenſius velitis inſiſtere, qvatenus qvod de ipſius *Jodoci* proviſione eſt incaute geſtum, diſcretione previa emendetur; Electoqve canonice, qvem Nos, Eccleſia, capitulum, clerus & patria tota concorditer exoptamus, confirmationis benificium impendatur. Vellemus P. V. oculacius intueri, qvam diſcriminoſum & qvam lamentabile animarum periculum emergere ſolet in hiis regionibus, canonice niſi providetur Electis, unde clades, mortes & ſcismata in eccleſiarum ultimum exidium innaſcuntur. Nos enim ſcientes Electum & capitulum ac patriam iuſtiſſime apellaſſe, eorum apellationi adheſimus, & cum omni noſtro conatu, iure & iuſtitia ſalvis, eccleſiam illam tueri intendimus: nec videmus fratri *Jodoco* accidere, qvod ipſius Eccleſie poſſeſſionem ſe adepturum ſperare qveat. Valeant V. R. P. in filio Chriſto glorioſe, qvibus nos offerimus cordetenus preparatos. Datum anno &c. qvinqvageſime octavo menſis Novembris.

Ad Papam Pium *in cauſa Oxilienſis Eccleſie anno ſ.c. LIX. Junii.*

Sanctiſſimo &c. *Chriſtiernus* &c. Qvanqvam P. B. regiam decet modeſtiam, infauſtis rumoribus nuper ad regna mea delatis, diſcriminoſos eventus diſſenſionum graviſſimarum & cladis irrecuperabilis ſeminarium, ſi non occurrerint obices, parituris, potius imperare ſilentium, cum non licere iudicemus veſtro Apoſtolatui qvicqvam ingratum recenſere aut indignum, qveqve dicenda ſunt humilitate & reverentia contemperare expediat; qvod etſi auditi rumores pertinebant, animum non impellent, affectum non collidant, nec contuitum rationis afficiant. Pro iuſtitie tamen & veritatis ſalute, qvam res ipſa exigit, & rerum omnium faſtigio preferri convenit, non pigebit filiali affatu Chriſti interpellare vicarium, ſi qvamtumliſper emeſtem oviculam per deſerta vagantem ad arva virentia, ut balatum paſtoris exaudiat, clementie humeris deportabit: ſi matris vidue gemitus deplorantis compaſſiva qvis pietate medebitur: ſi importuna mulier crebro panes expoſtulans additum impetrabit: Si plagis affecto Samaritanus accurret, & miſericordie inſtaurabit libamine: ſi naviculam profligantem in freta, ne in baratrum prolabatur, pervigil nauta ſalutis in portum traducet. Nonne P. B. Oxilienſis Eccleſia V. B. eſt filia, & patria tota Oxilienſis dudum per divos Danorum reges predeceſſores meos a gentilitatis latebris ad fidem Chriſti gladio & potentatu deducta, in ſancte ſedis apoſtolice gremio doctrine alimento nutrita, tanqvam pretioſum monile & noviſſima extitit ſoboles commendata, in fide Romane Eccleſie illibata concrevit. Conſovenda V. B. & libera, ſponſo dari non debet invita, non tradi nuptiis non affectis aut raptui ſubigi alieno. S. V. redeat in memoriam,

qvod illa nempe noviſſimi ſcismatis tempeſtate ſurente, dum urgentibus perſecutionum procellis ſedes apoſtolica cominus fluctuabat, & ad inſtar monſtruoſi portenti duobus erectis cervicibus titubabat, ne ſacratiſſima ſedes Chriſti inſtituto fundata, qve doctrine & fidei fecundiſſimis rivulis tamqvam fons in cunctum orbem longe lateqve diffluit, nece lamentabili profligaretur, ut qvoqve concuſſis horrende beſtie cornibus, qve contra Chriſtum domini blasphemo conatu ſatagebat, ſub indubitati paſtoris obedientia eccleſia militans conqvieſceret, cum imperatoria Majeſtate, Electoribus, ceterisqve principibus nationem Germanicam facientibus, opere pretio laboribus exercitabar aſſiduis, donec illud virulentum contagium, qvod totum pene orbem inficere timebatur, de medio tolleretur, teſte orbe univerſo, teſte V. B. conſcientia, qve tunc ceſarei culminis neceſſaria omnium actatorum conſcia fuit, qvod irrevocabili concordatorum epigrammate inter ſedem apoſtolicam & dictam nationem Germanicam firmatorum, in qva Oxilienſis ſumitur, (qvo propterea ſummus Pontifex devotam & optatam obedientiam licet longe non ſperatam feliciter reportavit) ſancitum fuit ſub Apoſtolica bulla, inter cetera clauſula huiusmodi, qvod adinſtar iuris communis & conſtitutionis *Nicolai* Pape III. qve incipit Cupientes, ad ſubtollendum gravamina diſcordias & eccleſiarum pericula imminentia, electiones canonicas deinceps perdictam nationem ſummus Pontifex expectabit. Nichilominus primum *Nicholaus* papa qvintus horum pollicitator, & demum *Caliſius* Papa III. dictis concordatis in oblivionem deductis, aut per ſiniſtram ſuggeſtionem neglectis, in fractionem concordatorum huiusmodi, per regna mea plurima innovarunt; propter qve diſcordie, ſcismata, profluvia expenſarum, damna ingentia, clades & mortes eccleſiis imminebant. Magisqve indies me & ipſas eccleſias tedeat, qvod unde iura proveniunt, naſcantur iniurie: qvod ſupremi tribunalis ſanctio non perneceſſariis urgentibus rationibus infringatur. Nam pridem Eccleſia Oxilienſi vacante, ſucceſſoris electione canonice celebrata, nondum de preſentanda electione ſummo pontifici decurſis fatalibus, nulla neceſſitatis ſeu maioris utilitatis occaſione urgente, prefatus dominus *Caliſius* cuidam fratri *Jodoco* ordinis Pruthenorum de predicta Eccleſia Oxilienſi providit; licet Eccleſia & tota patria Oxilienſis nichil commune habeat cum ordine Pruthenorum, nec ſibi aliqvo iure ſubdatur. Sed divi reges Danorum predeceſſores mei a gentilitatis latebris armis & potentia revocatam foverunt & protexerunt, ſicut in preſentiarum mero protectorio iure ſubſiſtunt. Et qvia P. B. videre videor, qvod violatis concordatis predictis ſub pollicitatione papali Germanice nationi promiſis, qve iuri canonico innituntur, in graviſſimum Romanorum Pontificum & Sacrorum Conciliorum indultorum, qve ab antiqviſſima conſvetudine ſervata & nullo tempore interrupta, diſpendium, nichil aliud qvam formidabilia pericula vereamur: Sicut proch dolor occaſione cuiusdam proviſionis eccleſie eidem facte per dominum *Eugenium* contingebat. Verum qvia opinari potuit, dominum *Caliſium* ficta ſuggeſtione preventum, de ſtatuto qvam patrie qvam eccleſie, qvam diſpendioſum ymmo exitiale foret admittere non affectum, electo nullo iuris ordine reprobato, nec meritis eligentium & electionis diſcuſſis, per Regales litteras capituli & patrie totius V. B. audientia fuit plenius informata. Sed qvia morbo huiusmodi apoſtolici preſidii anthidota expectati Salomonis, ſicut ſperabatur, occurrere non videmus, cum pro optatis remediorum ſolatiis magis indies cenſurarum proceſſus contra Electum & clerum ac patriam totam ſulminari dicantur & per Livoniam exeqvi, ac

qvod

qvod non legitur auditum, fratris *Jodoci* complices me ultione eccleſiaſtica de proximo feriendum divulgeant. Qvopropterea V. P. licet pie aures hoc non credant, qvod in Reges chriſtianos ſancte Eccleſie Romane devotos, & pro merito qvod totam tellurem illam Chriſtiano nomini adunarunt, extra Eccleſiam ſiant, ut intute conqvieſcere valeamus, Electi capituli cleri & patrie appellationi legitime interpoſite per me & utrumqve ſtatum ſpiritualium & temporalium regnorum meorum ſolempniter in meo conſilio adheſi & firmiter adherere intendo: & nec tanta pro fide catholica fratrem *Jodocum* egiſſe cognoſcitur, qvod Eccleſia Oxilienſis devota ſancte ſedis apoſtolice filia execrabili mereatur ſubjici diſcrimini. Qvocirca P. S. ad veſtri apoſtolatus apicem, qve in ſpeculum militantis eccleſie a Chriſto primatum accepit, filiali devotione duxi humiliter recurrendum, qvatenus rei gravitate penſata, & per indaginem interni iudicii maſticata protectione fame & honoris apoſtolice ſedis prefate eccleſie ſubverſione, & unione, irrecuperabili ſubverſionum naufragio propenſiori & maturiori gravitate obviare dignemini, cum non ſit poſſibile dictum proviſum poſſeſſionem eccleſie adipiſci.

Ad dominum Papam in cauſa Lincopenſis Eccleſie pro confirmatione.

Sanctiſſimo & beatiſſimo &c. *Pio* &c. *Chriſtiernus* &c. Opere precium eſt, ſanctiſſime pater, poſt illam qvam humili devotionis affectu filialem reverentiam ſacratiſſimo veſtro apoſtolatui offero, beneficentiam clementie veſtre non qvidem oblivionis latebris poſtergatam, cum gratiarum anhelantiſſimis actionibus, preſentibus ſaltem commemorate apicibus. Reverſus pridem ad preſentiam noſtram venerabilis & nobilis ingenii *Ketillus* Poſtulatus Lincopenſis in regno meo Svecie, ampliſſimis laudavit preconiis innatam V. B. pietatem, elegantiam, gravitatem, conſtantiam, ſcientiam & morum venuſtatem ornatiſſimam: Sed in me regnaqve mea patrium affectum & apoſtolici favoris amplitudinem extollebat, in eo qvam maxime, qvod in ſupplendo ipſius defectu etatis, circa eius promotionem ad Lincopenſem eccleſiam, de veſtre benignitatis gratia annuiſtis. Qvid efferam, qvid tanto fultus ſummi patris affectu ediſſeram; cum nil aliud iudicari qveat, qvam etſi regalis devotio beneficiis apoſtolicis coeqvari non valet, totum per affectum & effectum me V. S. exhibeo dedicatum. Nec pigebit inſtantias amplificare & preces, qvatenus dicto Magiſtro *Ketillo*, ut longioris eccleſie prefate vacationis incommoda evitentur, V. B. dignetur de gratia ſpeciali, non obſtante dicto etatis defectu, pontificalis dignitatis ſue benedictionem & gratiam impertiri. Valeat S. V. ſemper incolumis ad ſtatum & profectum Eccleſie ſancte Dei, cui me offero filialiter recommiſſum. Datum Hafnis anno &c. LIX. Junii.

Sequuntur in eumdem ſenſum & de eadem cauſa Littere ad Cardinalem de Columpna Cardinalem Portegalenſem, Cardinalem Bononienſem, & Cardinalem Rothomagenſem.

Ad Papam Pium. *Excuſat ſe, qvod non veniat ad dietam Mantuanam & condolet Pape de Thurcis. Anno &c. LIX. menſis Junii.*

Sanctiſſimo & beatiſſimo &c. *Chriſtiernus* &c. Cum univerſorum voto indubie ſperetur Beatitudinem veſtram ex ſuperintendentis indagine providentie, tempo-

rum

rum prevenire incurſus, qve Chriſtianorum anfractus & calamitoſos Theucrorum conatus ferventiſſimo zelo & paterno affectu anticipat, minime poterit heſitari, qvantus ſit ſollicitudinis veſtre optatus pervigil apoſtolice moderationis inſtinctus, anxie mentis ferventiſſimus zelus urens in conceptaculis & pietatis veſtre archanis, compaſſive miſerationis affectus, laboris indefeſſi aſſiduitas, & ſancti operis irrevocabilis ſtabilitas, qvod pro tutando grege dominico humeris veſtris tradito, almam urbem veſtri apoſtolatus ſedem longius retroactam accuratiſſimis ſtudiis oues ſacro cruore Chriſti redemptas ab imminentibus paganorum aggreſſibus tam laudabili opera ſacere ſatagitis redimitum. Nemo heſitat, divinitati congruum libens & gratum, qvod in veſtri potificatus primordiis ardentiſſime flagitant veſtre beatitudinis cogitatus, & accuratiſſimis viribus laborare non deſinit, nec laſſatos invaleſcentia artus ſiſtere aut continere permittit, non parcit profluviis, qvatenus ingens & inportabile inſidelium iugum, qvo indeſinenter fides catholica premitur, hoc noſtro evo per V. B. vigilantiam extirpetur. O qvam deflendum & lacrimabile omen? P. S. oculatius & patulis livoribus in membris ſuis patitur Chriſtus, procellis ſulcantibus, tumente ponto Petri navicula fluctuat, in foribus luporum rabies truculenta inſultat, & nemo percipit corde; fugamqve grege petente, ne ovile torpeat, ne in ruinam labatur, ne in baratrum tranſeat, profligatum occurrit uigilantiſſimus paſtor, oves ad arva & paſcua revocat. Sed qvid in monte ſollicitudinis ſolus cum Chriſto oraturus relinqvitur! ſolus cum Chriſto marinos curarum vortices calcat, ſolus cum Chriſto ex littore ſeſſos in freta labore diſcipulos revocat, ſolus cum Chriſto patrem obſecraturus in hortum ſecedit: Nemo paſtoralis cure partem aſſumit, nullus curarum ſupportat crepidinem. Et qvod deterius, oves degeneres per deſerta vagantes balatum vocantis obaudiunt, ut per formidabilem incuriam tyrampnidi fidei, Machometi voragini deputentur. Hec P. S. cordis mei intima compaſſivi meroris aculeo penetrarunt. Pridem enim receptis apoſtolicis litteris, qvas ſecundario ſcriptas aſſeritis, licet prime michi reddite minime fuerint, cum legerentur, lacrimas & gemitus audientes continere non poterant. Qvo propterea affatim zelo fidei animati in occurſum & ſuccurſum fidei catholice & veſtre beatitudinis omnes cum debita devocione, prout ſcribitur, parati ſumus, ſi fatis ſinentibus primo tempore ad meam preſentiam perveniſſent, qvas primum die S. Georgii Martyris ipſe recepi, ut omnis negaretur facultas in tanta anguſtia temporis, regnorum Parliamenta meorum convocare, & pro tante ſuſpicientia rei ad debitum ſtatutum, tempus, operam & ſolertiam commodaſſe: indignum iudicamus, at per hoc tarditatis culpa in recipientes valeat retorqveri, qvi cum omni fideli voluntate optatibus apoſtolice ſedis & V. B. ſorent parati &c.

Abſolutio domini Archiepiſcopi Upſalenſis cum ſuis.

Caliſtus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri, *Johanni*, Archiepiſcopo Upſalenſi, primati regni Svecie, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Intenta ſemper ſalutis operibus apoſtolice ſedis circumſpecta benignitas poteſtatis ſibi deſuper conceſſe plenitudine, qvam non ab homine obtinet ſed a Deo, erga perſonas dicte ſedi devotas, interdum utitur, ſicut perſonarum, rerum & temporum qvalitate penſata conſpicit in domino ſalubriter expedire. Sane pro parte tam tua qvam dilectorum filiorum capituli eccleſie tue Upſalenſis, ac dilectorum filio-

filiorum nobilium virorum, Baronum, Procerum & Conſiliariorum, necnon militie regni Swecie & Gotorum nobis nuper exhibita petitio continebat, qvod cum hiis proxime elapſis temporibus Cariſſimus in Chriſto filius noſter *Carolus* olim Swecie & Gothorum Rex propter peſſumdatam ab eo imunitatem Eccleſiaſticam, & qvia prelatos & reliqvos ipſius regni tam eccleſiaſticos qvam ſeculares multiphariam oppreſſerat, & qvotidie in deterius procedendo magis opprimebat, ac etiam propter qvamplurima, extorſiones, ſpoliationes, exilia & alia varia mala, qve Prelatis & aliis predictis intulerat & inferebat: necnon ob qvorundam rituum hereticam labem ſapiencium obſervationem, & deniqve propter eius inſupportabiles & incorrigibiles mores, ſe adeo gravem totius regni populis preſtitiſſet, ut regia per eum iam gubernatione contempta, ac tirannico ſceptro ſuſcepto, eius inſolentiſſimum regimen eisdem populis non minus intollerabile qvam interitus & deſolatio videretur. Tandem prefati Barones, Proceres, Conſiliarii ac milites ab eisdem populis ſuper hoc incitati, ut qvaſi iam imminentia eorum cervicibus flagella depellerent, convenientes in unum, Te tamqvam totius Regni caput, ac principem extirpande tirannidis & vendicande in ipſo regno libertatis, in ſuarum gentium armigerarum ducem ſeu capitaneum ſuſceperunt, teqve ad ſubeundum onus ducendi gentes huiusmodi variis ſvaſibus & efficacibus rationibus induxerunt: ex qvo tu ſuſcepto officio capitanei huiusmodi, eisdem gentibus per qvas ipſe *Carolus* ex eodem regno pulſus fuit, aliqvandiu usqve ad ipſius profectionem apte in caſtris & alibi prefuiſti. Cum autem ſicut eadem petitio ſubiungebat, interim nonnulla prelia & in illis varie cedes, mutilaciones, ſtrages & homicidia facta & commiſſa fuerint: & licet tu ac dilecti filii Cancellarius & nonnulli cappellani & familiares tui, qvi tecum in premiſſis interfuerunt, nullum propriis manibus interfeceritis ſeu etiam mutilaveritis aut id fieri expreſſe mandaveritis, nec ſuper eo conſilium, auxilium vel aſſenſum aliis preſtiteritis; tamen tu, ac cancellarius, capellani & familiares predicti pro ſerenitate veſtre conſcientie deſideratis vobiſcum ſuper irregularitate, ſi qvam propter premiſſa forſan contraxiſſis, per ſedem Apoſtolicam miſericorditer diſpenſari. Qvare pro parte tua & capituli, necnon baronum, procerum, conſiliariorum & militum predictorum, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut, ne tu pro liberacione dicti regni, unde premium potius & retributionem mereris, aliqva irregularitatis labe cenſeri valeas innodatus, tuo ac eorundem Cancellarii ac cappellanorum ſtatui ſuper hiis oportune providere de dignitate apoſtolica dignaremini. Nos igitur qvod fidelium qvorumlibet & preſertim pontificali dignitate fulgentium animarum ſalutem & conſcientiarum qvietem, qvantum cum Deo poſſumus, expetimus; huiusmodi ſupplicationibus inclinati, ut confeſſor ydoneus, qvem tu & qvilibet ex Cancellario & cappellanis prefatis duxeritis eligendum, tecum & cum qvolibet eorundem ſuper irregularitate, qvam forſan tu & illi propter ductum gentium earundem, aut propter intereſſentiam in conflictibus & caſtris eisdem, aut alias propter premiſſa, etiam cupiendo ut victoria pro parte veſtra & cum partis alterius ſtrage ſubſeqveretur, aut alias qvomodolibet contraxiſtis; & ut tu in officio pontifical, & qvilibet veſtrum in rite per vos ſuſceptis ordinibus, ac altaris miniſterio miniſtrare, & illi qvi ex predictis forſan hactenus promoti non ſunt, ad omnes etiam ſacros ordines promoveri, & in illis ſimiliter miniſtrare, necnon qvecunqve qvotcunqve & qvaliacunqve cum cura & ſine cura cuiuscunqve qvalitatis fuerint, beneficia eccleſiaſtica, recepta videlicet hactenus retinere, ac alia ſi eis canonice

conferantur, aut eligantur vel assumantur ad illa recipere & similiter retinere libere ac licite possis, ipsiqve Cancellarius & Capellani possint: Dummodo tu & aliqvis eorundem neminem propriis manibus interfeceritis seu mutilaveritis, aut id fieri expresse non mandaveritis; auctoritate apostolica dispensare, ac omnem mobilitatis maculam sive infamie notam per te vel aliqvem eorundem premissorum occasione qvomodolibet contractam penitus abolere, libere ac licite valeat; devotioni tue auctoritate predicta tenore presentium, de specialis dono gratie concedimus pariter & indulgemus. Decernentes premissa tibi ac cancellario & cappellanis prefatis ad culpam imputari minime posse, ac irritum & inane qvidqvid in contrarium|a qvoqvam, qvacumvis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attemptari. Non obstantibus promissis ac constitutionibus & ordinationibus apostolicis ceterisqve contrariis qvibuscunqve. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis & constitutionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si qvis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Rome apud sanctum Petrum anno incarnationis dominice millesimo qvadringentesimo qvinqvagesimo septimo, qvartodecimo Kl. Novembris, Pontificatus nostri anno tertio.

Collationata est presens copia per me *Danielem Kopken* de Nulant Clericum Leodiensis diocesis, publicum apostolica & imperiali auctoritate Notarium, Sereniſſimiqve principis domini *Cristierni* Dacie Swecie Norwegie &c. regis Cancellarium, & concordat cum eius Bulla originali de verbo ad verbum; qvod protestor manu mea propria. Actum Upsalie in curia Archiepiscopali, die tertia mensis Aprilis, anno domini &c. sexagesimo qvarto.

Pro Electo in Episcopum Stavangrensem.

Sanctissimo in Christo patri domino P. sancte Romane & universalis ecclesie summo pontifici *Christiernus* dei gratia &c. reverentiam debitam & devotam. Cum deceat Regiam excellentiam viribus accuratis intendere, sueqve sollicitudinis accommodare solertiam, ut divinitatis honorem & sancte religionis observantiam rebus ceteris anteponat, potissimum qvatenus gregi dominico tales preficiantur pastores, qvi non solum assumpti honoris fastu & culmine glorientur, sed iniectum humeris suis oneris iugum per debite circumspectionis indaginem intelligant, & per operam fructuose excercitationis supportent. Sane P. S. pridem Stavangrensi Ecclesia regni mei Norvegie vetusto ab evo insigni per mortem venerande memorie domini *Sifridi* ipsius Ecclesie Episcopi vacante, Capitulum & Canonici Ecclesie antedicte vocatis de iure vocandis, spiritus sancti gratia invocata, unanimi & concordi voto, nemine discrepante, venerabilem virum dominum *Adolphum* Ecclesie sanctorum Apostolorum Bergensis prepositum, aliarumqve regalium capellarum mearum regni mei Norvegie magistrum, consiliarium meum michi sincere dilectum, virumqve perspicuum scientia, moribus & virtutibus multiformiter perornatum, michi singulisqve subditis meis plurimum gratum & acceptum, in futurum eiusdem Ecclesie postulaverunt Pastorem, prout eadem vestra sanctitas hec latius in sue postulationis decreto prospectabit. Unde S. V. viscerose & obnixius duximus exorandam, qvatenus dictum dominum postulatum in sue postulationis persecutionem una cum prefata ecclesia Stavangrensi

ad

ad preſens plurimum gravata, mearum precum preſentium interventu eadem veſtra ſanctitas glorioſe ſuſcipere dignetur commendatos: Eidemqve poſtulato de benignitate apoſtolica confirmationis beneficium gratioſe impartiri. In hiis V. S. obſeqvium deo gratum, eccleſie antedicte pacem, michi & toti regno complacentiam efficiet ſingularem. Offero me ad qvecunqve V. B. grata paratum. S. V. altiſſimus proſpere dirigat & conſervet ad ſelix regimen Eccleſie ſue ſancte.

Qverimonia contra Archiepiſcopum Upſalenſem in eius captivitate.

Sanctiſſimo ac beatiſſimo in Chriſto patri domino *Pio* divina providentia ſacroſancte Romane & univerſalis Eccleſie ſummo Pontifici, *Chriſtiernus* &c. reverentiam devotam & filialem. Subiit animum, pater beatiſſime, rerum occurrentium, qve in regnis meis aqvilonaribus emergunt, novitates veſtro apoſtolatui referare: Non qvidem eventus ambigui, ſed qve patulis offerunt evidentiis; ut ſanctitudo veſtra, qve ab oris iſtis vadis vaſtiſſimis & maritimis reumatibus diſtare dinoſcitur, luculenter intelligat. Sane cum hiis ſuperioribus diebus pagani & ſcismatici Rutheni, qvi crebro fines regnorum meorum Swecie & Norwegie cum innumerabili exercitu diſcriminoſis aggredi incurſibus conſvevere, cuncta igne, gladio & ſtrage ſeviſſima depopulantes, ſatoqve miſerando ſacras diripientes edes, non parcendo ſexui, ſtatui vel etati, maximam captivorum catervam ſepius abducentes, Finlandiam invadere ſatagentes. Ego enim tam importabile paganorum iugum non ferens, convocatis ex regnis meis qviritum & militarium expeditionibus, partes Finlandie qve in frontiſpiciis ſcismatice Ruſſie conſiſtunt, ad interdicendum dictis ſcismaticis aditum ingreſſus. Interea reverendus pater dominus *Johannes* Archiepiſcopus Upſalenſis, qvem Gubernatorem generalem regni mei Svecie in mea abſentia ſingulariſſima ex fiducia effeceram, timens dum regna mea ſub tranqville pacis amenitate decumberent, qvodqve ſcismaticorum & paganorum viribus exturbatis nichil titubaret adverſi, monopolea qve cum univerſa communitate dicti regni mei Svecie, contra Me, ſtatum meum regalem, pocioresqve proceres meos in dicto regno meo negantes (regentes?), propriis viribus conceperat, perficere non poſſe. Non ſatis ratus, qvod regnum ipſum ad cuius regimen mirabili verſutia & callida machinatione prius ſe intruſerat, & iugo extreme ſervitutis oppreſſerat, invidam mentem qva felices regnorum prefatorum emulabatur ſucceſſus, ad novas diffidentias ſuggerendum convertit, ſediciones, iniurias, incendia, rapinas & mortes plaga lamentabili commovendo, adeo qvod cum ut premittitur, ad defenſionem fidei orthodoxe in dicta Finlandia urgerer, coactus ſum ſingulis illic fortune commiſſis, adunata militia regnum meum prefatum reingredi, & proprios ſubditos maxima cum ſangvinis effuſione proch dolor! bello proſternere; divinitus tandem michi collata victoria. Ex premiſſis & aliis graviſſimis cauſis, qvas S. V. de proixmo plenius detegere intendo, dictum Archiepiſcopum, ne graviora michi & ſingulis incolis regnorum meorum commoveat, de maturo & deliberato conſiliariorum meorum conſilio, honeſte cuſtodie ad tempus duxi deputandum; non intendens per hoc Eccleſie, ut regem decet catholicum, aliqvod afferre detrimentum. Qvare S. V. loco pii aviſamenti duxi ſupplicandum, ne ſiniſtris ſuggeſtionibus forſan eidem veſtre ſanctitati in contrarium, prout in ſimilibus titillare aſſolent, faciendis velit preſtare auditum: cum in

in negotio huiusmodi, ſacrum collegium Reverendiſſimorum Cardinalium, totumqve parliamentum omnium regnorum meorum attenta cauſe gravitate oportuno intendo habere conſultum. Datum in caſtro meo Stokholmenſi, die martis proxima poſt feſtum Bartholomæi, anno &c. LXIII.

In nomine domini amen. Per hoc preſens publicum inſtrumentum cunctis pateat evidenter & ſit notum, Qvod anno a nativitate eiusdem MCCCCLXVI^to^, Indictione qvarta decima, die vero martis, viceſima prima menſis Octobris, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri, domini *Pauli* divina providentia Pape ſecundi anno tertio, in mei Notarii publici teſtiumqve infraſcriptorum ad hoc ſpecialiter vocatorum & rogatorum preſentia, in ſacriſtia Eccleſie Roſkildenſis, perſonaliter conſtitutus Illuſtriſſimus & ſereniſſimus Princeps ac dominus, dominus *Chriſtiernus* &c. Rex &c. Delmenhorſt, una cum Reverendo patre domino *Olavo Martini* eadem gratia Epiſcopo Roſkildenſi, pluribusqve aliis ſuis & Regni Dacie conſiliariis, venerabilibus & circumſpectis viris dominis Archidiacono, Cantore, & aliis Canonicis & Capitularibus Eccleſie Roſkildenſis predicte infraſcriptis in unum congregatis preſentibus & audientibus, publice & intelligibili voce per organum ſtrenuiſſimi militis domini *Johannis Oxe* Capitanei caſtri Orbrogh conſiliarii ſui, originem & qvaſi totum proceſſum, qvaliter occaſione Decanatus dicte eccleſie Roſkildenſis, inter nonnullos ex prelatis & canonicis ſupradictis ex una, & honorabilem virum dominum *Jacobum Petri* eiusdem Eccleſie canonicum, licet illius occaſione a capitulo & ingreſſu chori excluſum, partibus ex altera, diſſenſiones & controverſie varie exorte fuerant & diutius continuate, qvaſi a principio cauſe usqve ad eius ad Romanam curiam devolutionem incluſive, pluribus verbis & dictis mediantibus exponi fecit & publice explicari: & deinde nonnullis litteris miſſivis dicto capitulo per Regiam Celſitudinem aſſcriptis, & a Maieſtate ſua, ut aſſeruit, per ſiniſtram informationem contra veritatem impetratis, qvarum ut dicebatur pretextu, dictus dominus *Jacobus* a capitulo & choro ut premittitur, excluſus extitit, per dominum *Johannem Oxe* predictum nomine dicti domini Regis qvo ſupra, repetitis pluribus allegationibus & replicationibus hinc inde interjectis. Idem Sereniſſimus dominus Rex, pii ac iuſti principis more, volens de veritate negotii huiusmodi experiri, ac de illius circumſtantiis & qvalitatibus ad plenum informari, Cameram ſive locum inferiorem Sacriſtie predicte intrans, dicto domino Epiſcopo Roſkildenſi, necnon ſtrenuis viris dominis *Nicolao Erici* Camerario ſuo, *Johanne Torberni*, *Johanne Oxe* predicto, & *Korrefitze Renow*, militibus, conſiliariis ſuis, convocatis & ſibi adiunctis, omnes & ſingulos prelatos & canonicos infraſcriptos ſucceſſive ad regiam ſuam celſitudinem vocari fecit, & qvemlibet eorum ſeorſim & ſingillatim per modum ſcrutinii in eorum conſcientiis, ac mediis eorum preſtitis iuramentis, interrogando & examinando in hunc qvi ſeqvitur modum; ſcilicet an propter alias cauſas, an propter hanc cauſam occaſione dicti decanatus exortam & propter regie ſue celſitudinis litteras ſive ſcriptas an propter aliqva alia crimina vel delicta dictum dominum *Jacobum Petri* ab ingreſſu chori & capituli excluſiſſent: item an qvilibet eorum in eius excluſionem expreſſe conſenſit, & propter qvam cauſam. Item an tempore, qvo qvedam littera ſub Sigillo & nomine totius Capituli emanata, & contra ipſum dominum *Jacobum* coram Reve-

ren-

rendiſſimo domino Archiepiſcopo Lundenſi & aliis Regni Dacie Epiſcopis & Prelatis iudicialiter producta, & modo ad Romanam curiam ut preſumitur transmiſſa, in qva proceſſus excluſionis huiusmodi continetur, & ut dicitur interſertum, deducitur & narratur, dictum dominum *Jacobum* etiam propter alia ſua demerita & delicta a capitulo excluſum & ab eorum conſortio ſegregatum, & qvod propterea omnes & ſinguli ſue excluſioni conſenſerunt; compoſita, conſcripta, in capitulo lecta, & in eorum preſentia cum ſigillo capituli ſigillata fuit, preſentes extiterunt, aut ipſam litteram vel eius proiectum ante ipſius ſigillationem in capitulo legi audiverunt, & in hoc conſenſerunt, vel non; & qvid in eadem littera, ſive proſeſſu huiusmodi, in effectu continebatur. Primo dominus *Tetzo Roſengarde* Archidiaconus Roſkildenſis, ut premittitur examinatus, manu ſua dextra pectori eius adiuncta, in ſua conſcientia reſpondendo, dixit dominum *Jacobum Petri* tam propter cauſam Decanatus & propter ſcripta ipſius Sereniſſimi domini Regis, qvam etiam propter alias cauſas in dicta littera proceſſus, ſigillo capituli ſigillata, expreſſas, fuiſſe excluſum, ac ſe in excluſionem huiusmodi conſenſiſſe, nulla tamen crimina alia propter qve in ſpecie exprimendo, dixit ſe etiam dictam litteram legi audiviſſe, & ipſius ſigillationi interfuiſſe, ſed ipſius littere effectum modo oblivioni tradidiſſe. Deinde dominus *Johannes Johannis* Cantor ipſius Eccleſie, ſimiliter ut premittitur ſeorſum interrogatus, dixit dictum *Jacobum* ob cauſam Decanatus, & non propter aliam cauſam excluſum, & propter ſcripta dicti domini Regis, ad eius indignationem evitandam & non alias, in eius excluſionem conſenſiſſe. Item dixit huiusmodi litteram de ſuo conſenſu non emanaſſe, nec ſe ipſius compoſitioni aut ipſius cum ſigillo capituli ſigillationi interfuiſſe, nec ipſam litteram in capitulo legi audiviſſe, ſed ex qvo vidit ſigillum capituli appenſum, eandem ſigillavit & ſubſcripſit, ſibi non conſtito qvid in ea continebatur. Item dominus *Johannes Sundonis* canonicus dixit, dictum dominum *Jacobum* ex eo, qvod acceptaſſet mandatum procurationis cuiusdam *Magni Andree*, & propter ſcripta dicti domini Regis, & etiam propter alias cauſas in dicta littera proceſſus expreſſas excluſum fuiſſe, ac ſe huiusmodi excluſioni conſenſiſſe dixitqve ſe huiusmodi litteram in capitulo legi audiviſſe, & ipſius ſigillationi interfuiſſe, & ipſam de ſuo conſenſu emanaſſe, qvia dictus dominus *Jacobus* multa mala fecerat in capitulo. Item dominus *Tycho Johannis* interrogatus reſpondit, qvod cauſa excluſionis ſue fuit, qvia adheſit cuidam *Magno Andree*, pro eo loqvendo & qvandam petitionem in capitulo nomine procuratorio faciendo: & qvod propter ſcripta ſereniſſimi domini Regis predicti, ad eius indignationem evitandam & non aliter, usqve ad ipſius domini Regis adventum, in eius excluſionem conſenſit. Et dixit, ipſam litteram de ſuo conſenſu non emanaſſe, nec eam legi in capitulo vel extra audiviſſe, anteqvam lecta fuit coram dicto domino Archiepiſcopo, nec ipſius ſigillationi vel compoſitioni interfuiſſe, nec ipſam litteram ſubſcripſiſſe vel ſigillaſſe, ſed hoc facere denegaſſe, qvia ſcivit, dictum dominum *Jacobum* non fuiſſe propter aliqva crimina, demerita vel delicta, prout in eadem continetur, excluſum. Item qvod qvamvis ipſe fuit notarius capituli, & ſemper conſvevit ſigillare cum ſigillo capituli, tamen tunc cum eo non ſigillavit, nec ad hoc fuit vocatus vel reqviſitus. Item dixit, ſe ſemper in capitulo, qvando de huiusmodi re tractabatur, diſſenſiſſe, qvoad convictus eſſet ſuper eo, qvod contra ſtatuta capituli laboraſſet, extunc ſibi ſicut ceteri gravis & infeſtus eſſe vellet qvoad illum articulum. Item *Johannes Theoderici* interrogatus dixit,

ſe non fuiſſe preſentem & nichil ſibi inde conſtare. Item magiſter *Laurentius Petri* dixit, ſe non conſenſiſſe, nec dicte littere compoſitioni, lectioni vel ſigillationi interfuiſſe. Item Magiſter *Johannes Mymel* interrogatus dixit propter cauſam decanatus, qvia dicebatur qvod faciens unam petitionem pro dicto *Magno Andree*, videbatur onus procurationis acceptaſſe, & ad ſcripta dicti domini Regis, in eius excluſionem usqve ad eius adventum, ad eius indignationem evitandam conſenſit. Item dixit, ſe audiviſſe unum ſcriptum ſive proiectum legi in capitulo, & non literam originalem, anteqvam fuit ſigillata cum ſigillo capituli, nec interfuit eius ſigillationi vel compoſitioni, ſed qvia poſtea vidit ſigillum capituli appenſum, ac alios canonicos iam ſigillaſſe & ſubſcripſiſſe, eandem ſubſcripſit & ſigillavit. Item Magiſter *Johannes Olavi* interrogatus reſpondit, qvod eſſet excluſus, qvia loqvebatur pro *Magno Andree* antedicto, & acceptavit procuratorium eius in capitulo, & propter alias cauſas, qvia fuerat contra capitulum. Et dixit, ſe fuiſſe preſentem, dum modo dicta litera fuit compoſita, lecta & cum ſigillo capituli ſigillata, & in eam conſenſiſſe, ac ipſam ſubſcripſiſſe & ſigillaſſe. Item dominus *Johannes Nicolai* dixit, qvod fuit excluſus ex eo, qvia fecit unam petitionem pro dicto *Magno* in capitulo loqvendo pro eo, & propter aliqva crimina, de qvibus ſibi conſtat. Et qvod propter ſcripta domini Regis ad eius indignationem evitandam, & non alias, in huiusmodi excluſionem usqve ad reditum dicti domini Regis, conſenſit: neqve dicta littera de ſuo ſcitu emanavit, nec fuit preſens dum concepta, compoſita, lecta, admiſſa vel cum ſigillo capituli ſigillata, qvia tunc fuit in lecto egritudinis conſtitutus. Sed qvia vidit ſigillum capituli appoſitum, ac alios canonicos ſe ſubſcripſiſſe, & eam ſigillaſſe, per alios introductus eandem ſubſcripſit & ſigillavit, tamen in aliqvem articulorum in eadem contentorum propterea non conſenſit. Et ſubiungendo dixit, qvod vix fuerunt ſex, qvi huiusmodi proceſſum & ſigillationem tractaverunt. Item dominus *Nicolaus Jone* dixit, qvod ex eo, qvia acceptavit manifeſtam procurationem dicti *Magni Andree*, & propter alias cauſas qve facte fuerunt anteqvam ipſe intraret capitulum, & propter ſcripta domini Regis predicti, dixit, ſe usqve ad eius adventum in dictam excluſionem conſenſiſſe: alia dixit ſe ignorare. Item dominus *Johannes Petri* dixit, ſe huiusmodi excluſioni, aut littere compoſitioni, lectioni, admiſſioni vel ſigillationi non interfuiſſe, neqve eis conſenſum preſtitiſſe. Sed poſt dictam excluſionem dedit fidem pro dicto domino *Jacobo* ad manus domini *Johannis Oxe* militis & *Ketilli Nicolai* Juſticiarii regni Dacie, qvod non deberet exire patriam, vel ſcribere ad Romanam curiam, anteqvam comparuiſſet in iure coram Regia celſitudine, Archiepiſcopo Lundenſi & aliis Epiſcopis ſive iudicibus. Item dominus *Olavus Halffvegge* dixit, qvod excluſus fuit propter ſcripta domini Regis, & propter eius metum conſenſit in ipſam excluſionem. De aliis criminibus ſibi non conſtat, nec audivit litteram legi, anteqvam fuit ſigillata ſigillo capituli, ſed poſtea qvia vidit ſigillum capituli appenſum, & alios ſe ſubſcripſiſſe, & ſigillaſſe eandem, ſubſcripſit & ſigillavit. Item dominus *Esbernus Petri* dixit, eum fuiſſe excluſum propter cauſam Decanatus, & propter ſcripta Sereniſſimi domini Regis ad eius indignationem evitandam in excluſionem conſenſit usqve ad ipſius domini Regis adventum: neqve dicta litera de ſuo ſcitu emanavit, nec preſens fuit, qvando dicta litera fuit compoſita, conſcripta, in capitulo lecta, vel cum ſigillo capituli ſigillata, nec eam poſtea legi audivit. Sed qvia vidit ſigillum capituli appenſum, eandem ſicut & ceteri ſubſcripſit & ſigillavit. Item dominus *Oddo Johannis* dixit,

qvod

qvod fuit excluſus propter cauſam Decanatus, & non propter aliqva crimina, & propter ſcripta domini Regis & ad eius evitandam indignationem, & non aliter, alias, neqve alio modo, in huiusmodi excluſionem conſenſit usqve ad ipſius domini Regis adventum. Item dixit huiusmodi litteram ſine ſcitu & conſenſu ſuo emanaſſe, & huiusmodi littere compoſitioni, conſcriptioni, in capitulo lectioni vel cum ſigillo capituli ſigillationi non interfuiſſe, nec ipſam litteram anteqvam prepoſitus ſibi eandem oſtendit ſigillatam, ſed cum vidit ſigillum capituli & ſigilla qvaſi omnium canonicorum appenſa, eandem ſubſcripſit & ſigillavit, ſibi non conſtito, qvid in ea continebatur. Item *Birgerus* dixit, qvod fuit excluſus propter cauſam Decanatus, & propter ſcripta ſereniſſimi domini Regis usqve ad eius adventum & non propter aliqva crimina, & qvod propter timorem domini Regis conſenſit huiusmodi excluſioni. Sed de conſenſu & ſcitu ſuo dicta littera non emanavit, nec eius compoſitioni, conſcriptioni, lectioni vel ſigillationi interfuit. Sed cum vidit ſigillum capituli appenſum cum ſigillis & ſubſcriptionibus aliorum, eandem ſicut alii ſubſcripſit & ſigillavit. Item dominus *Magnus Johannis* conſimiliter in effectu in omnibus & per omnia reſpondit. Item dominus *Hemmingus Bertoldi* dixit, ſe in nullo ex actis predictis preſentem fuiſſe, & nichil inde niſi de auditu ſcire, & in premiſſis non conſenſiſſe. Qvibus peractis, idem Sereniſſimus dominus Rex ſacriſtiam predictam reintrans, ab omnibus & ſingulis prelatis & canonicis predictis interrogari fecit, an plures litteras eis per Regiam celſitudinem vel per dilectam ſuam Conthoralem aſcriptas & ad hanc cauſam facientes qvam duas iam reſtitutas ſe habere ſcirent, & an de eorum ſcitu vel conſenſu tranſſumpte vel originaliter ad Romanam curiam transmiſſe eſſent. Qvi omnes & ſinguli ſeorſum negative reſponderunt. De & ſuper qvibus omnibus & ſingulis idem ſereniſſimus dominus Rex ſibi per ſe et etiam organum prefati ſtrenui militis *Johannis Oxe* fieri &c. Acta fuerunt hec Roſkildis &c. preſentibus dictis dominis Epiſcopo Roſkildenſi, *Jo. Torberni*, *Korrefitze Renow*, *Wernero Parsberg* & *Johanne Fulle* militibus, dicti domini Regis conſiliariis, teſtibus. Subſeqventer vero eadem die, videlicet Martis, XXI. menſis Octobris ſupradicti, Ego *Caſpar* Notarius infraſcriptus anno, indictione, die, menſe & pontificatu qvibus ſupra, ex ſpecialibus eiusdem ſereniſſimi domini Regis mandato & commiſſione, ad domos habitationum honorabilium virorum, dominorum *Olavi Boecii* & *Petri Hemmingii* eiusdem eccleſie canonicorum, propter infirmitatem & corporum ſuorum debilitatem Capitulum cum aliis viſitare non valentium, una cum teſtibus infraſcriptis perſonaliter acceſſi, eos modo & forma ſupradictis interrogando & examinando. Dictusqve itaqve dominus *Olavus Boecii* interrogatus reſpondendo dixit, ſe huiusmodi excluſioni non interfuiſſe, nec ſibi conſtare qvod propter aliam cauſam qvam ob ſcripta ſereniſſimi domini Regis excluſus fuit, & dixit, ſe ad eiusdem domini Regis indignationem evitandam, excluſionem huiusmodi, poſtqvam facta fuit, usqve ad reditum domini Regis antefati ratam habuiſſe. Item dixit, dictam litteram de ſuo conſenſu non emanaſſe, nec ipſius compoſitioni, lectioni vel ſigillationi interfuiſſe, nec eam ſigillaſſe, ſed viſo ſigillo capituli eam ſubſcripſiſſe. Item dominus *Petrus Hemmingi* dixit, dictum dominum *Jacobum* ſolum propter cauſam Decanatus, & ad ſcripta ſereniſſimi domini Regis, & non propter aliqva crimina vel delicta excluſum fuiſſe, & ſe excluſioni huiusmodi timore percuſſum usqve ad reditum domini Regis conſenſiſſe. Item dixit, litteram

pre-

predictam de ſuo conſenſu non emanaſſe, & ſe ipſius compoſitioni, lectioni vel ſigillationi non interfuiſſe: ſed viſo ſigillo capituli appenſo per metum introductus, eandem ſubſcripſit & ſigillavit. Non tamen qvod propter crimina aut delicta dictus dominus *Jacobus* excluſus fuiſſet comprobando, cum ſemper pro venerabili membro Capituli tentus & reputatus fuerat. Preſentibus ibidem honorabilibus viris dominis *Boecio Mathie* & *Petro Svenonis* perpetuis vicariis Eccleſie Roſkildenſis teſtibus.

Univerſis preſentes litteras inſpecturis *Criſtiernus* dei gratia Dacie &c. Salutem in Dei patris ſanctiſſimo ſalutari. Qvoniam ante annos pene qvatuor *Marinus de Frigeno*, qvi ſe verum ſummi pontificis nuncium ad regna noſtra pro colligendis Chriſti fidelium elemoſinis ad Turcorum impugnationem aſſeruit deſtinatum; ex ipſis regnis noſtris pecunias resqve alias contra preſtitum nobis iuramentum ſuum nobis inſciis aſportavit, atqve in diverſiſſimis mundi partibus in uſus proprios reſervandas, ut ex litteris intelleximus apoſtolicis, veluti fur & latro domini ſui depoſuit. Nos res easdem arreſtandi, in qvibuscunqve eas locis inveniri contigerit, in preſentem nuncium noſtrum *N.* plenam conferimus poteſtatem. In cuius rei teſtimonium preſentibus litteris noſtris Secretum noſtrum dorſotenus eſt impreſſum. Datum in caſtro noſtro Segebergh &c.

Ad Papam.

Obedientiam debitam & reverentiam filialem. Cum per ſui ultimi poſſeſſoris obitum, pater beatiſſime, vacaret Decanatus Roſkildenſis Eccleſie in regno meo Dacie, in eam convenerunt animi voluntatem Epiſcopus & ſui in eadem eccleſia Capitulares, ut ſanctitati veſtre per medios nuncios humiliter & inſtantiſſime ſupplicarent, qvatenus ad honorem Dei & dicte Eccleſie utilitatem, veſtra dignaretur beatitudo de ſua ſpeciali gratia Cappellano meo domino *Johanni Broſiorp* prefate Eccleſie Canonico ipſum conferre Decanatum, qvi in premiſſa eccleſia poſt pontificalem maior eſt dignitas, & ſancte ſedi apoſtolice ut intelligimus reſervata. Cum igitur ipſe dominus *Johannes Broſiorp* ex utroqve parente nobilis, conſilio ſit providus, circumſpectus prudentia, probis ornatus moribus & ſcientia competenti; ſanctitatem veſtram omni devocionis ſtudio attentiſſime deprecor, ut utilitate penſata Eccleſie, conſpectisqve perſone meritis pro qva obnixe ſupplico, Decanatus ille per ſanctitatis veſtre clementiam ipſi domino *Johanni Broſiorp* cum omni iuris plenitudine conferatur. Nec obſiſtat qveſo qvod nuncii mei pro huius proviſione Decanatus ad Romanam curiam tempore non advenerint oportuno; nam eos tunc ad viam diſpoſitos & paratos ire prohibuit congelatum ac glaciebus involutum mare, qvod terram meam inſularem Selandiam circumcingit, in qva cum ſui ſede antiſtitis collocata eſt Eccleſia Roſkildenſis. Cumqve ſic non ſua ſponte mei detinerentur nuncii, de qvo ſupra ſepe facta eſt mentio, Decanatum procuravit ſibi ut fama fertur qvidam *Magnus Andree*, cui ut in veritate comperi nec ſcientia vel prudentia, nec vires aut virtutes, qvas tanta talisqve prelatura exigit, ſuffragantur. Miſit ad Roſkildenſe capitulum, qvo neſcio permotus ſpiritu, ſuam idem *Magnus* epiſtolam, in qva commentiri non eſt veritus, me in Decanatum ipſum alium qvempiam intruſiſſe. Hanc autem ſuam ſuaqve

manu

manu ſcriptam epiſtolam, alia qvoqve ad urbem mitto auctentica documenta, in qvibus mea ſecundum veritatem innocentia declaratur. Preterea ſicut ex fidedignorum relatu didici, palam multis in ipſa urbe comminatus eſt homo ille, fulminaturum ſe in regnum meum interdicti ſententiam: ſed & repetitis garriendo vicibus, verbis me indecentibus ac mendaciorum funiculis laceſſivit. Eas ob res memorati mei regni proceres voti ſunt iſtiusmodi, qvod ſecum converſari & vivere preſcriptum *Magnum Andree*, tanqvam leſe maieſtatis reſperſum crimine, non ullo futuro tempore patiantur. Qve autem in me commiſſa eſt iniurie animadverſio veſtre committitur ſanctitati. Qvam Chriſtus Iheſus ſalvam ſemper cuſtodiat ad felicem gubernationem eccleſie ſue ſancte. Datum &c.

Ad Cardinales.

Ut Decanatus Eccleſie Roſkildenſis in regno noſtro Dacie per mortem felicis memorie domini *Jacobi Olavi*, Decanatus ipſius dum vixit immediati ac ultimi poſſeſſoris, vacare cepit; convenerunt Epiſcopus & Capitulares eiusdem Eccleſie, atqve inter ſe de perſona, etate, ſcientia, moribus ac ordine idonea, qve in deceſſoris locum ſuccederet, tractaverunt. Tandem Deo deliberatore, ad probitatis & virtutum merita, qve in ex utroqve parente nobili ac honorabili viro domino *Johanne Broſiorp*, dicte eccleſie Canonico, ſunt comperta, cuiusqve apud nos experta eſt fides, probata virtus, & prudentia commendata, Epiſcopus ſuiqve capitulares mentis oculos coniecerunt: & ut in Decanum Roſkildenſi preficeretur Eccleſie, ſi dominus noſter ſanctiſſimus hoc dignaretur admittere, conſenſerunt. Hec ubi acta ſunt, ipſe dominus *Johannes Broſiorp* nuncios ſuos e veſtigio ad ſanctam ſedem apoſtolicam, etiam ad nos (cum noſter in hac re conſenſus reqviratur) ſtatuit deſtinare. Sed eo tempore hiemalis bruma & gelu prevalidum ita mare noſtrum coegerat, ut per ipſum facultas tranſeundi concederetur nemini. Qvo factum eſt, ut paratis nunciis ſed ſic neceſſitate qvadam involuntaria & etiam tunc inevitabili retardatis, qvidam *Magnus Andree*, menſure ſue inſcius, ambitionis libidine titillatus, qvo non dignus eſt honorem ſitiens, Decanatum predictum, ut dicitur, impetravit. Ille ipſe *Magnus Andree* ſuam ad Roſkildenſe capitulum direxit epiſtolam, in qva, qvam nobis noſtroqve regno ſervare debuit fide violata, confingit expreſſe Nos in Decanatum ipſum alium qvempiam intruſiſſe. Qva de re, cum ipſa epiſtola, qvam idem *Magnus* manu propria exaravit, auctentica ſcripta ad urbem emittimus, in qvibus noſtra per veritatem innocentia declaratur. Has autem noſtras iniurias beatiſſimo domino noſtro Pape, V. R. P. ac venerabili Reverendiſſimorum Cardinalium collegio dimittimus ulciſcendas. Rogamus itaqve & inſtantiſſime deprecamur, qvatenus ad utilitatem & votiva Roſkildenſis eccleſie incrementa, a ſanctiſſimo domino noſtro Paternitates veſtre nobis colendiſſime predictum Decanatum memorato domino *Johanni Broſiorp*, noſtri velint & dignentur intuitu procurare. Et nos idipſum promereri ſtudebimus erga dominationes veſtras honorandiſſimas, qvas altiſſimus felici fauſtoqve ſucceſſu ſemper dirigat & conſervet. Datum &c.

Ad Epiſcopos.

Vacante nuper Decanatu Roſkildenſis Eccleſie in regno noſtro Dacie per mortem ſui ultimi poſſeſſoris, Epiſcopus & Capitulares ipſius eccleſie in eam conve-

nerunt ſententiam, ut eccleſie ipſi honorabilis vir dominus *Johannes Broſiorp*, capellanus noſter, ex utroqve parente nobilis, cuius ab annis multis induſtriam, fidem & integritatem probavimus, dicte eccleſie canonicus, propter virtutum ſuarum & probitatis merita, de gratia preficeretur apoſtolica in Decanum. Sed qvia eo nos tempore in extremis regni noſtri Dacie finibus conſtituti fuimus, & noſter in hac re conſenſus (uti ſolitum eſt) debuit obtineri: inſuper & gelu deſeviit hiemale, adeo ut per mare noſtrum tranſitus omni vehiculo & navigio clauderetur, infauſtum illud obtigit, qvod ultra tempus debitum ſua ſine culpa remorarentur nuncii pro Decanatus ipſius proviſione ad Romanam curiam remittendi. Precamur itaqve & rogamus obnixe, velle vos noſtri contemplatione apud ſummum inſtare Pontificem dominum noſtrum ſanctiſſimum, qvatenus Decanatum ipſum prenominato domino *Johanni Broſiorp* conferre dignetur ſua nobis ſemper obſervandiſſima ſanctitudo; ac perpetuum ſilentium imponere cuidam *Magno Andree*, qvi predictum Decanatum dicitur impetraſſe. Nam ſic in nos commiſerat, qvod ei in regno noſtro non liceat converſari. Valete feliciter. Datum &c.

Ad Cardinalem Mantuanum.

Retulit nobis, Pater in Chriſto reverendiſſime, Princeps illuſtriſſima nobisqve dilectiſſima coniunx noſtra, reqviſitam ſe per veſtras fuiſſe litteras, ut reditus vobis prepoſiture Lundenſis & Prioratus Dalbyenſis per manus mitteret mercatorum: Statimqve illum, qvem prepoſiture & prioratus procuratorem fecimus, acceſſiri iuſſimus, & procurationis ſue reddere rationem. Facto autem compoto invenimus, qvod preceptorum ſumma erogatorum numerum non exceſſit. Nam Prioratus ille ad magna Regi ac Regno facienda onera obligatur. Pacis enim ac qvietis tempore tenetur eqvos pabulare, nutrire canes, hoſpitalitates exhibere; armatos vero homines & ad bella doctos, dum guerre inſtant, tenetur in Regis Regniqve ſubſidium expedire. Sed & ad uſum, defenſionem & tutelam Prioratus bonorum eius ac ſubditorum, Prior ille ut eqvos ſexaginta continue totidemqve famulos teneat eſt neceſſe. Ipſa vero Lundenſis Prepoſitura aut nichil aut minimum dat abſenti: qvanqvam vobis longe aliter ut intelleximus eſt narratum. Preterea id vobis, Reverendiſſime in Chriſto pater & affinis colendiſſime, notum eſſe cupimus, qvod Princeps illuſtris dominus *Albertus* Brandeburgenſis Marchio bona qvedam minus iuſte detinet, qve tam ex dote ſua, qvam hereditario iure, conſorti noſtre ſunt debita; nec ab eiusmodi detentione usqve in preſens deſtitit, nec videtur velle deſiſtere, qvamvis ſuper hoc repetitis indies vicibus per litteras, noſtrosqve ac uxoris noſtre nuncios rite & legittime fuerit reqviſitus. Si ergo ipſe Marchio in Romana curia rebus de predictis actionem nobis inſciis ceperit intentare, illum qveſumus pro noſtre coniugis parte, veſtra in Chriſto reverenda Paternitas preveniat in agendo. Nos qvoqve ad veſtra qveqve beneplacita iuxta extremas vires noſtras benigni ſemper erimus & parati. Nec qvidqvam noſtre ſubeſt ditioni, qvod non velimus vobis utpote affectu fratri cariſſimo impertiri. Valete feliciter. Ex caſtro noſtro Segebergh III. Octobris, anno domini 1462. Noſtro Regio ſub ſecreto.

Ad

Ad Cardinalem Mantuanum.

Intelleximus paucis abactis diebus, domine & affinis cariſſime, Lincopenſem vacare Eccleſiam in regno noſtro Svecie, per bone memorie domini *Ketilli* obitum, eiusdem Eccleſie ultimi, dum vixit, pontificis & paſtoris, qvi in partibus Regni Svecie dicitur nature debitum ſolviſſe. Et ut fama fertur pro rei huiusce aviſamento & directione feſtinanter & clanculo certus miſſus eſt nuncius ſine noſtris ſcitu & litteris commendatitiis, qvod usqve ad hoc tempus fieri non conſvevit. At qvia non parum intereſt, ut Nobis & regnicolis cleroqve ac populo gratus dicte Eccleſie preficiatur antiſtes, reverentiam veſtram duximus exorandam, ut noſtri parte & contemplatione apud ſanctiſſimum domimum Papam inſtare placeat, ne hac in re qvidqvam fiat nobis inauditis, & anteqvam de premiſſa vocatione notitiam habuerimus certiorem, ac documenta dederimus clariora. Qvinimo noſtra plenior exſpectetur inſtructio, qvam vobis eveſtigio curabimus delegari. Et dum in regnis aut dominiis noſtris in poſterum Eccleſias vacare contigerit, veſtra qveſumus magnificentia providere velit, ne cuiqvam ſine inſtructione noſtra ſpeciali, litterisqve noſtris commendatitiis conferantur: Nec Electiones, qve per Capitulares facte absqve certo ſcitu noſtro & conſenſu expreſſo fuerint, confirmentur.

Ad Dominam Mantuanam.

Caritatem perpetuam & ſalutem. Optatiſſimas nobis *Radulphus* veſter, Princeps nobiliſſima & ſoror cariſſima, novitates attulit, dum videlicet inſignem & præclarum conjugem veſtrum, vos ipſas, veſtros qvoqve liberos optima eſſe valitudine nunciavit. O felix & fauſta dies felicium ac fauſtorum eventuum nuncia, qve nobis, qvod cupivimus, advexit, & qvod ſperavimus, apportavit! Agimus qvippe ſummo Deo ſummas gratias, qvi hiis diebus conſortem noſtram, ſereniſſimam prolem noſtram, atqve nos gaudere preſtat proſpera ſoſpitate. Ab ipſo *Radulpho*, nec non ex gratiſſima nobis epiſtola veſtra didicimus, qvod noſtrum ad uſum 20. ulnas panni aurei & coloris morelli usqve ad Norenbergam direxeritis; eam ob rem veſtre magnificentie gratias dicimus uti decet magnifice. Qvod veſtrum delectat animum, ſi qvid ſub noſtra ditione fuerit, id vobis continuo ut veſtram ſuper hoc voluntatem perſenſerimus, nos mittere non pigebit. Qvanqvam autem nondum recepimus pannum, qvem ſupra meminimus, qvin tamen ad nos oportuno feretur tempore, neqvaqvam ambigimus. Petitis ſoror amantiſſima, an de bonis noſtris paternis cum ſpectabili ac magnifico principe domino *A.* &c. contractum iniverimus: pernoſcat ideo & pro certo teneat ſerenitas veſtra, qvod ſuper bonis ipſis cum dicto Marchione contractum nullum fecimus, ſed nec faciemus, niſi in contractu illo veſtra in omnibus qvemadmodum noſtra utilitas fuerit comprehenſa. Nec veſtra ſuſpicetur ingenuitas in rebus illis velle nos attemptare qvippiam, qvod vobis unqvam qvo modo cedere poſſit in preiudicium aliqvod aut gravamen. Ab initio ſiqvidem menſis Junii anni currentis ad predictum Marchionem legavimus Reverendum Magiſtrum dominum *Albertum Krummedike* Canonicum Lubicenſem, virum utiqve generoſum & doctiſſimum, qvi noſtro ex mandato, ab ipſo Marchione bona omnia nobis tam ex dote noſtra qvam ex iure hereditario debita repetivit. Reſponſum autem

autem ſuper hiis omnibus dedit ipſe Marchio per litteras ſuas, qvas cum hiis noſtris litteris veſtre claritudini deſtinamus. Rurſum pro hiis ipſis rebus dicto Marchioni reſcribimus. Inſuper & ad egregium excelſumqve principem dominum *Fredericum* &c. noſtras exaramus litteras, deprecantes ut preſatum dominum *A.* Marchionem &c. commonefaciat & hortetur, ne de cetero qvecunqve noſtri ſunt iuris bona diſtrahat, occupet aut detineat, imo ea potius ut iuſtum eſt, ad nos redire, nosqve ipſis uti permittat libere ac gaudere. Si autem dictus *A.* &c. in ſua contra Deum & iuſtitiam opinione perſtiterit, neceſſe nobis erit, qvod invitiſſime facimus, eum in ius trahere, cauſasqve noſtras adverſus eum coram dominis & principibus agitare. Literarum vero copiam, qvas dominis *Friderico* & *A.* &c. hac etiam vice ſcribimus, una cum hac noſtra Epiſtola ad veſtram Excellentiam delegamus. Porro qvia dominus *A.* &c. nobis in ſua ſignificavit epiſtola, qvod coram Illuſtriſſimo domino Imperatore, aut certe coram illis, qvi ſibi & nobis amici ſunt communes, velit ad ea, qve ſibi obiecerimus, reſpondere, ſi ſtare nobis placet iudicio ſeu arbitrio amicorum; huiusqve rei gratia ei iamiam reſcribimus, ut in proxime affuturo primo May die, in una qvatuor civitatum Lubeke &c. illa ſcilicet qvam pre aliis eligendam duxerit, ſeſe conſtituat, una cum amicis illis communibus, per qvorum iudicum ſententiam vel arbitrium lites noſtre poſſint & debeant ſine congruo terminari. Qvod ſi conditionem acceperit, & qve ſibi in ea re voluntas fuerit, vos ſuper hoc & nos mox per ſcripta ſua efficiat certiores. Siqve litium finiendarum gratia diem & locum acceptaverit, conducibile qvidem erit vos tunc ibidem aut in perſona aut in legatis ſufficientem ad hoc poteſtatem habentibus comparere. Si vero ipſi domino *A.* &c. pacis federa nulla placuerint, nec ad litis deciſionem inclinari ſe permiſerit, opere pretium fore videtur, qvod dignetur & velit in Chriſto pater reverendiſſimus dominus Cardinalis, veſter filius neposqve noſter, cariſſimus, honeſtos atqve decentes excogitare modos, qvibus ſepedictus dominus *A.* &c. ad reddendum iuſtitie debitum per iura poſſit eccleſiaſtica conveniri. Poſtremo, commiſſa ſibi ſingula per vos negotia *Willelmus*, qvem ad dominum *F.* emiſiſtis, nobis litteratorie patefecit: Deſideravimus eum videre, bisqve pro eo ſcripſimus, necdum coram nobis paruit. Expedit, ſoror amantiſſima, ut nuncii, qvos de cetero mittendos duxeritis, noſtro conſpectui ſe preſentent. Poterit autem *Radulphus* veſter cuncta qve ſcribimus cum qvibusdam aliis ore vobis melius, qvam nos calamo explicare. Mora vero *Radulphi* apud nos longiuſcula non ei, ſed noſtris eſt occupationibus imputanda. Valete feliciter. Ex Caſtro Seghebergh 14 Oct. 62.

Ad Clerum & populum Scalholtenſem.

Chriſtiernus &c. Honorabilibus viris, Sacerdotibus necnon aliis in Scalholtenſi dyoceſi noſtris ſubditis univerſis, ſalutem, gratiam noſtram & omne bonum. Qvoniam Scalholtenſis Eccleſia per mortem ſui ultimi poſſeſſoris, penultimo Februarii die vacare cepit, in honorabilem virum ac ſcientificum magiſtrum *Svenonem Petri* presbiterum dioceſis Scalholtenſis, ut ipſi Eccleſie in paſtorem preficeretur & antiſtitem, unanimiter conſenſiſtis, nobisqve per litteras veſtras ſupplicaſtis humiliter, ut noſtrum in hac re conſenſum & benivolentiam ſuperaddere dignaremur. Nos ad omnipotentis Dei honorem & gloriam, ad ipſius qvoqve Eccleſie utilitatem & incrementa felicia, in eundem Magiſtrum S. vita & mori-

bus

bus commendabilem ex noſtra ſpeciali gratia conſentimus: ipſumqve Magiſtrum S., Eccleſiam Scalholtenſem, perſonas eius ſpirituales & ſeculares, cum bonis ſuis & pertinentiis qvibuscunqve, ſub noſtra pace & regia defenſione accipimus protegendos. Volentes & precipientes vobis omnibus & ſingulis, ut dicto magiſtro S. reverentiam & obedientiam debitam tamqvam vero paſtori veſtro & Epiſcopo impendatis. Preterea ſubſtitutis noſtris & officialibus qvibuscunqve diſtricte precipiendo mandamus, qvatenus memoratis magiſtro S. eccleſie Scalholtenſi, perſonis eius, familie, necnon ſubditis auxilium oportunum, dum opus fuerit, exhibeant & favorem; nec ipſis aut ipſorum alicui iniurias, damna aut violentiam qvalitercunqve inferant, nec inferri ab aliis patiantur, prout indignationem Dei omnipotentis ac vindictam noſtre R. M. curaverint evitare. Datum in caſtro noſtro Seghebergh anno domini 1462 die 14 Octobris, Noſtro Regio ſub Secreto, qvod preſentibus appendi iuſſimus in evidentiam premiſſorum.

Privilegium Regni Dacie, ne qvis extra regnum vocetur.

Calixtus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Dudum felicis recordationis *Nicolaus Papa* qvintus predeceſſor noſter incolaribus & inhabitatoribus regni Dacie, qvi per indiſcretas & abuſivas citationes, etiam per edicta publica decretas, extra dictum regnum per nonnullos delegatos Judices ſeu conſervatores, ad Alemaniam per longa marium vada, permaximis laboribus, ſumptibus & periculis trahebantur; indempnitati pie providere cupiens, edicto & conſtitutione perpetuis ſanxivit & ſtatuit, qvod de cetero per huiusmodi delegatos conſervatores & iudices, qvacunqve etiam apoſtolice ſedis vel legatorum eius auctoritate fungantur, in prima inſtantia extra dictum regnum evocari, citari, in cauſam trahi non poſſint: ſed cauſe prefate, ſi qvas contra prefatos habitatores & incolas inchoare ſeu agitare voluerint, infra regnum predictum coram iudicibus competentibus in prima inſtantia agitentur, & ſine debito terminentur ac pariter decidantur. Unde omnes proceſſus ſententias & cenſurarum penas, ac omnia alia ac ſingula contra tenorem conſtitutionis & decreti prefati, per huiusmodi conſervatores, delegatos & iudices in habitatores regni Dacie emiſſas decretas fulminatas ac preſumptas, emiſſaqve decreta fulminata & qvoqvomodo preſumpta, irritas & irrita, nulliusqve ſubſiſtere roboris, firmitatis vel momenti decrevit. Prout in dicti noſtri predeceſſoris litteris apoſtolicis luculenter vidimus contineri, qvarum tenorem ad maiorem fidei evidentiam preſentibus de verbo ad verbum inſeri ſtatuimus, qvi talis eſt. *Nicolaus* Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio *Criſtierno* Danorum, Gothorum, Slavorum regi illuſtri, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Eximie devotionis affectus, qvem ad nos & Romanam geris eccleſiam, promeretur, ut petitiones tuas, illas preſertim, per qvas tuorum ſubditorum commoditatibus conſulitur, favorabiliter annuamus. Cum itaqve ſicuti pro parte tua nobis exhibita petitio continebat, regnum Dacie tue regie ditioni ſubditum fluctuationibus & inundationibus marinis undiqve incinctum & circumdatum ſit, & habitatoribus ac incolis eiusdem regni ad perſeqvendum cauſas, qvas contra eos pro tempore moveri contingit, extra dictum regnum nimis ſumptuoſum & grave exiſtat, pro parte tua nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut deſuper ipſorum habitatorum & incolarum ſtatui & indempnitati oportune providere de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos

itaqve huiusmodi ſupplicationibus inclinati, preſentis irrefragabilis conſtitutionis edicto auctoritate apoſtolica ſtatuimus & etiam ordinamus, qvod ex nunc nullus ex huiusmodi inhabitatoribus & incolis, in beneficialibus, matrimonialibus, teſtamentariis & aliis qvibuscunqve cauſis, ad cuiusvis ſeu qvorumvis inſtantiam, apoſtolica vel alia qvavis auctoritate, vigore ſeu pretextu qvarumvis litterarum apoſtolice ſedis vel legatorum eius, etiam ſi in illis plena & expreſſa de preſentibus mentio fuerit, extra dictum regnum in prima inſtantia qvomodolibet trahi vel conveniri poſſit, ſive in cauſam evocari; ſed qvod huiusmodi cauſe coram competentibus iudicibus in ipſo regno in huiusmodi prima inſtantia decidi debeant, ac etiam terminari. Decernentes omnes & ſingulos proceſſus, qvasvis etiam cenſuras eccleſiaſtica in ſe continentes, ac totum id qvidqvid contra preſentis ſtatuti & ordinacionis tenorem & formam haberi & promulgari contigerit, irritos & inanes, irritaqve & inania, ac nullius ſubſiſtere roboris, firmitatis vel momenti. Nulli igitur omnino hominum liceat hanc paginam noſtri ſtatuti, ordinationis & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si qvis autem hoc attemptare preſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum *Petri* & *Pauli* apoſtolorum eius ſe noverit incurſurum. Datum Rome apud ſanctum Petrum, anno incarnationis dominice milleſimo qvadringenteſimo qvadrageſimo nono, decimo Kl. May, Pontificatus noſtri anno tertio. Verum ſicut nuper nobis cariſſimus in Chriſto filius *Criſtiernus* Dacie Svecie Norvegie Slavorum Gothorumqve rex illuſtris, Dux Eſtonie & comes in Oldenborch & Delmenhorſt ſua nobis conqveſtione monſtravit, qvod prelibati iudices delegati ſive conſervatores in partibus Alemanie, qvibus ſedem Apoſtolicam importunitate petentium cauſarum deciſiones contra prefatos incolas regni Dacie contingit perſepius delegare, conſtitutionem ſeu decretum prefati predeceſſoris etiam reqviſiti minime advertentes & penitus non curantes, ipſos ad eorum tribunalia ex regno predicto, magnis ſumptibus & periculis ac perſepius nauſragiis, vocare, citare & comparere ipſorumqve iudicio fiſti compellant, in ipſorum ymmo regni Dacie prelibati dampnum indicibile & gravamen. Qvapropter nobis ſerenitas Regia humiliter ſupplicavit, qvatenus dictorum delegatorum, conſervatorum & iudicum temeritatem ſupprimere, & prelibatorum indigenarum Dacie immunitati & iuſtis commodis de benignitate apoſtolica providere dignaremur. Nos igitur cunctorum Chriſti fidelium preſertim indigenarum prefatorum ex commiſſo nobis deſuper paſtorali officio, vigilanti cura ſatagimus, tam deformem rebellionis abuſum enervare ſolertius cupientes, predeceſſoris prefati veſtigiis inherentes, litteras ſeu conſtitutionem huiusmodi ſecundum omnem ſui tenorem ratas & gratas habentes, easdem edicto & conſtitutione irrefragabili approbamus & confirmamus, ac preſentis ſcripti patrocinio communimus. Et qvatenus inviolabiliter futuris temporibus obſervetur, oportunam volentes accommodare ſolertiam, apoſtolica auctoritate prefata, & ex certa ſcientia, qvoscunqve proceſſus ſententias cenſurarum etiam aliasqve penas qvascunqve, poſt dictarum litterarum ipſius predeceſſoris preſentibus inſertarum ac noſtrarum preſentium, per qvosuis iudices delegatos ſeu conſervatores auctoritate apoſtolica ſeu legatorum eius deputatos, contra ipſarum tenores decretas & fulminatas, necnon in poſterum decernendas & fulminandas, tanqvam iniqvas & temerarias nulliter & de facto preſumptas extingvimus, & nullius eſſe vel fuiſſe decernimus roboris vel momenti, illisqve per regnum Dacie & ubicunqve locorum debere nullatenus ſtari, aut qvomodo-

libet

libet obediri. Inhibentes nichilominus delegatis, iudicibus & conſervatoribus predictis, qvibus in poſterum contra predictos Dacie indigenas aliqvos vel aliqvem ipſorum, per ſedem apoſtolicam vel eius auctoritate cauſarum cognitio contigerit delegari, preſentibus & futuris, cuiuscunqve dignitatis, ordinis, gradus & conditionis extiterint, coniunctim & diviſim, in virtute ſancte obedientie & ſub excommunicationis late ſumpte pena, qvam contra eos, ſi contra fecerint, ferimus in hiis ſcriptis; ne in preiudicium conſtitutionis predeceſſoris noſtri & noſtre preſentis, de cetero habitatores & incolas regni Dacie preſentes vel futuros extra dictum regnum in prima inſtantia evocare, citare ad ipſorum trahere tribunalia, ad actum aliqvem iudicialem ſuper eo procedere, qvovismodo preſumant. Vobis venerabilibus Archiepiſcopo Lundenſi & Epiſcopo Sleswicenſi, necnon dilecto filio Prepoſito Eccleſie Roſkildenſis per apoſtolica ſcripta mandantes, qvatenus vos vel duo aut unus veſtrum, cum fueritis reqviſiti, vel alter veſtrum cum fuerit legitime reqviſitus, per vos vel alium ſeu alios, ipſi regi & inhabitatoribus ac indigenis regni Dacie contra huiusmodi temerarios auſus, etiamſi fuerint extra loca, in qvibus deputati eſtis conſervatores & iudices, prelibatis habitatoribus & indigenis regni Dacie, coniunctim & diviſim, preſentibus & futuris, qvi vos vel veſtrum alterum duxerint ſeu duxerit reqvirendum, efficaciore defenſione ſeu auxilio aſſiſtentes, non permittatis eosdem contra tenorem conſtitutionis & decreti predeceſſoris noſtri & noſtram huiusmodi, ſuper qvibusuis iniuriis & qverelis, a predictis iudicibus ſeu conſervatoribus huiusmodi alias moleſtari ſeu gravamina inferri vel dampna ſeu iniurias irrogari. Facturi eis & cuilibet ipſorum ſuper premiſſis, & aliis dampnis, moleſtiis & iniuriis qvibuscunqve, preſentibus & futuris, in illis videlicet qvi iudicialem reqvirunt indaginem, ſummarie & de plano absqve ſtrepitu & figura iudicii, in aliis vero prout qvalitas ipſorum exegerit, iuſtitie complementum: Contradictores qvoslibet & rebelles, qvandocunqve & qvociescunqve expedierit, auctoritate noſtra, per cenſuras eccleſiaſticas & alia iuris remedia, usqve ad promulgationem ſententie interdicti in locis, in qvibus fuerint & ad qve applicuerint, usqve ad plenariam ſatisfactionem incluſive appellatione poſtpoſita compeſcendo; invocato ad hoc ſi opus fuerit auxilio brachii ſecularis. Et ſi in citationibus, reqviſitionibus & monicionibus per vos faciendis, citandi vel monendi commode haberi neqveant, & ſi ad eos tutus non pateret acceſſus, reqviſitiones & monitiones huiusmodi & citationes qvaslibet per edicta publica in locis affigenda publicis, de qvibus ſit veriſimilis conjectura, qvod ad notitiam citatorum & monitorum huiusmodi pervenire valeant, faciendi, plenam vobis & cuilibet veſtrum concedimus tenore preſentium poteſtatem; & volumus qvod premiſſa ipſos citatos reqviſitos & monitos artent, ac ſi facte & inſinuate preſencialiter extitiſſent. Non obſtantibus Conſtitutionibus ſelicis recordationis *Bonifacii* octavi etiam predeceſſoris noſtri, in qvibus cavetur, ne aliqvis extra ſuam civitatem & dyoceſim niſi in certis exceptis caſibus & in illis ultra unam dietam ad iudicium evocetur, ſimiliterqve iudices a ſede deputati predicta extra civitatem & dyoceſim in qvibus deputati fuerint contra qvoscunqve procedere ſeu alii vel aliis vices ſuas committere aut aliqvos ultra unam dietam a fine dioceſis eorundem trahere preſumant, aut de duabus dietis in concilio generali, ſiveqve de aliis qve iudicialem reqvirunt indaginem penis in eis ſi ſecus fecerint in hiis procurantes adiectis, conſervatores & iudices ſe nullatenus intro-

intromittant, ſive ſi dictis coniunctim vel diviſim a predicta ſit ſede indultum qvod excommunicari, ſuſpendi vel interdici, ſive qvod extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non poſſint per litteras apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi & eorum perſonis, locis, ordinibus & nominibus mentionem, & alia qvavis dicte ſedis indulgentia ſub qvocunqve verborum tenore obtenta; poſtqvam preſentibus nullatenus derogari intendimus. Ceterum volumus & apoſtolica auctoritate decernimus, qvod qvilibet veſtrum perſeqvi poſſit articulum per alium inchoatum, etiamſi dictus inchoans non fuerit legitimo impedimento prepeditus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtre irrefragabilis approbacionis, confirmationis, conceſſionis & indulti infringere vel ei auſu temerario contraire. Si qvis autem hoc attemptare preſumpſerit, indignacionem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum eius ſe noverit incurſurum. Datum Rome apud ſanctum Petrum, anno incarnationis dominice MCCCC. LVII. Kal. May, Pontificatus noſtri anno tertio.

[forſan mendum, & egendum anno 1458. vid. Papebrochius propyl. Maj. in hoc Papa p. 127.]

Criſtiernus &c. Univerſis & ſingulis ad qvos preſentes noſtre pervenerint litere, ſalutem in domino. Cum jam clariſſima domina *Dorothea*, Regnorum noſtrorum prefatorum Regina, conthoralis noſtra precariſſima, cauſam & cauſas contra illuſtrem principem dominum *Albertum* Marchionem Brandenburgenſem & Borchgravium Nurenbergenſem, & nonnullos alios, ſuper nonnullis iniuriis bonorum per clare memorie dominum *Johannem* etiam dum vixit Marchionem Brandenburgenſem, dicte noſtre conthoralis genitorem relictorem dote deputata ac aliis legatis, civitatibus, caſtris, villis, ſortaliciis rebusqve & bonis aliis mobilibus & immobilibus ſucceſſione hereditaria paterna ſive materna ab inteſtato qvam etiam donatione inter vivos ac teſtamento mortis cauſa, tam qvoqve iure Ducatus Saxonie qvam qvorumcunqve aliorum dominiorum ſive terrarum, ad eam ut aſſerit de iure ſpectantibus intentare ac apud ſedem apoſtolicam proſeqvi proponat, eidem plenariam conceſſimus facultatem noſtram, ut procuratorem ydoneum, qvi ſibi utilis videbitur, conſtituere poſſit, qvi dictas cauſas proſeqvi ac omnia & ſingula, qve nosmetipſi faceremus ſive facere poſſemus, ſi preſentes intereſſemus, agere poſſit; juxta & ſecundum omnem formam ſibi per dictam dominam *Reginam* noſtram conthoralem concedendam. Promittentes, ut nos ratum & gratum propere habituros totum id & qvicqvid per dictum procuratorem actum, factum procuratumve fuerit in premiſſis & qvoad premiſſa. Qvem etiam relevare volumus, & tenore preſentium relevamus ab onere omni ſatisdandi, judicio ſiſti & iudicato ſolvendo, ſub obligatione omnium noſtrorum bonorum preſentium & futurorum. In cuius noſtre facultatis & poteſtatis conceſſionem Secretum noſtrum preſentibus eſt appenſum. Datum &c.

Privilegium Civitatum ſuper Naufragiis.

Clemens Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri *N.* Epiſcopo Razeburgenſi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Lecta nobis dilectorum filio-

rum

rum Civium Lubicenſium petitio continebat, qvod dilectus filius noſter G. tituli S. Laurentii in Lucina presbiter Cardinalis, apoſtolice ſedis Legatus, audita occupatione dampnabili, qve pretextu cuiusdam curruptele nepharie fiebat in illis partibus de bonis navigantium, qvos incurrere naufragium contingebat, ac ſuper hoc volens ſalubre remedium adhibere, inter alia, qve ad huiusmodi remedium faciunt, declaravit, qvod omnia bona naufragorum huiusmodi, ſive preſentes vel abſentes exiſtant, ad eos, qvi exinde mortis periculum incurrerunt, de iure pertineant, aliqva contrariâ conſvetudine non obſtante: prout in litteris ipſius Legati confectis exinde tibiqve directis, ac inter cetera continentibus ut declarationem huiusmodi necnon ſtatutum, qvod in favorem naufragorum ipſorum ſuper hiis edidit, obſervari facias, plenius dicitur contineri. Nos itaqve qvod ab eodem Legato ſuper hoc pie & provide factum eſt, ratum & firmum habentes, idqve auctoritate apoſtolica confirmantes, fraternitati tue per apoſtolica ſcripta mandamus, qvatenus ſuper hiis iuxta tenorem dictarum litterarum ipſius Legati procedas, contradictores per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo. Non obſtante, ſi aliqvibus a ſede apoſtolica ſit indultum, qvod ſuſpendi vel interdici aut excommunicari non poſſint, ſive qvalibet indulgentia ſedis eiusdem, per qvam attribute in hac parte tibi iurisdictionis explicatio impediri valeat vel differri, & de qva in noſtris litteris fieri debeat mentio ſpecialis, ſeu conſtitutione de duabus dietis edita in concilio generali; ita qvod ultra tertiam vel qvartam aliqvis extra ſuam dioceſim auctoritate preſentium ad judicium non trahatur. Datum Viterbii IIII Kl. May, Pontificatus noſtri anno tertio. Tenor vero litere Cardinalis ſeu Legati de verbo ad verbum ſuit & eſt talis. Venerabili in Chriſto patri N. dei gratia Epiſcopo Razeburgenſi frater *Guido* miſeratione divina tituli S. Laurentii in Lucina presbyter Cardinalis, apoſtolice ſedis Legatus, ſalutem in domino ſempiternam. Dilecti in Chriſto filii Cives Lubicenſes ſua nobis conqveſtione monſtrarunt, qvod cum eos vel alios mercatores de diverſis mundi partibus venientes qvandoqve peregrinationis cauſa, aliqvando ſue mercationis gratia mare occidentale vel orientale freqventare contingat, ex permiſſione divina in eodem rebus & corpore ſepe naufragium patiuntur; qvorum res cum ibidem aut alias adlittaverint vel appulſa fuerint, milites vel alii viri potentes adiacentium regionum, intelligentes hoc flagellum dei, potenter accedunt & bona omnia ipſorum naufragorum accipiunt: Qvilibet pro ſua potentia aſſerentes ea ſuis propriis pertinere iurisdictionibus, doloribus illorum non compatientes, qvos Deus caſtigari permiſit, qvum ipſorum afflictioni afflictionem inhumanitus ſuperaddant. Auctoritate igitur Dei omnipotentis & in nomine ſancte & individue Trinitatis, ad utilitatem Chriſti fidelium mare navigantium pro negotiacionibus licitis & honeſtis, per omnes terminos in omnibus partibus adiacentibus mari occidentali vel orientali, videlicet Dacie, Swecie, Slavie, Pomeranie, Friſie & Albie duximus ſtatuendum, ut omnes mercatores huiusmodi negociationibus inſiſtentes ſub apoſtolice ſedis & noſtra protectione conſiſtant, & ſi aliqvi naufragium paſſi fuerint, omnes finitimi homines ipſis naufragis propter Deum & iuris naturalis eqvitatem in tanta neceſſitate ſubveniant, ſicut vellent ſibi in caſu ſimili ſubveniri. Scientes eſſe ſancitum tam apoſtolica auctoritate, qvam imperiali & regia poteſtate, qvod omnes res illorum, qvi naufragium fuerint perpeſſi, ubicunqve appulſe fuerint vel adiecte, ſive ipſi naufragi preſentes fuerint vel abſentes, de mero iure & proprie ſunt illorum, qvi eas poſſiderant, anteqvam

huiusmodi naufragium paterentur: Et res eedem ad heredes eorum pertinent, ſi fortaſſe mortis periculum incurrerint; nulla contraria conſvetudine obſtante. Heredes vero, qvi propter locorum diſtantiam non poſſint commode infra annum & diem proſeqvi cauſam ſuam, habeant ex preſenti conſtitutione biennium, & ſi ex valde remotis partibus fuerint, infra triennium proſeqvantur. Illi vero, qvi predictos naufragos in tanto diſcrimine adiuverint pure & ſimpliciter propter Deum, centum dierum de iniuncta ſibi penitentia indulgentiam conſeqvantur; Qvi vero pro temporali emolumento manum eis adiutricem porrexerint, laboris ſui mercedem accipient ſecundum conſtitutionem bonorum hominum, qvi ad hoc fuerint deputati. Si vero, qvod non ſperamus, aliqvis tam ſceleratus fuerit & profanus, qvi ad rapinam predictarum rerum extenderit manus ſuas, niſi infra octo dies reſtituat, qvod accepit, ſententiam excommunicationis incurrat, & divina ceſſent in tota parochia, in qvà res ita contra Deum & iuſtitiam occupatas manifeſte conſtiterit detineri. Et emptores, qvi ſcienter res ipſas emerunt a raptoribus, excommunicationis ſententie ſubiacebunt. Similiter & iudex, in cuius iurisdictione conſiſtunt predones huiusmodi, ſi non proviserit ablata reſtitui infra menſem. Qvod ſi ad Epiſcopum loci illius qverela de huiusmodi furto perlata fuerit, & ipſe ſimiliter remedium adhibeat, ſi voluerit officii ſui periculum evitare. Qvod ſi qvisqvam predictorum excommunicatorum diſcrimen mortis incurrerit, anteqvam fuerit abſolutus, omnino eccleſiaſtica careat ſepultura; qvinymmo cadaver in mare proiectum, ibi condignam penam accipiat, ubi facinus eſt commiſſum. Vobis igitur domine Epiſcope Razeburgenſis auctoritate, qva fungimur, mandamus, ut predicta omnia ſecundum qvod in predicta littera continentur, faciatis inviolabiliter obſervari; contradictores & rebelles per cenſuram eccleſiaſticam compeſcendo. Datum Lubek V. Idus Januarii, Pontificatus domini *Clementis* Pape IIII. anno primo.

Ad illuſtrem & magnificum principem dominum Franconem Fredericum *Marchionem Mantuanum, cui dominus Rex mittit torqvem geſtandam humeris.*

Qvoniam bonum ſui ipſius eſt diffuſivum, ab increate bonitatis fonte creaturis omnibus derivatum eſt, eſſe & vivere, hiis qvidem clarius, his autem obſcurius. Qvod ſi in potioribus bonis claritatis obſcuritatisqve nata eſt differentia, non admiratione indiget, ſi in inferioribus bonis facta ſit proprietatum diſſidentia. Nam ut in claritate a ſtella ſtella differt, ſe ſic in probitate homo homini effert. Qvemadmodum autem natura qvibusdam pre aliis ſideribus fulgorem indidit claritatis, ita & pre aliis mortales nonnullos ingenuitatis extulit dignitate. Qvos ergo natura dignificatos virtus qvoqve clarificat, eos cultioribus decet inſigniis exornari. Torqvem itaqve, affinis amantiſſime, vobis per *Caſperum* noſtrum mittimus, qvalem nobis colla humerosqve regios inſtituimus circuire. Optamus qvippe, ut & veſtris geſtetur humeris, & apud cariſſimam nobis veſtram claritudinem iugis noſtri memoria teneatur. Siqvidem is mos Romanorum erat antiqviſſimus, ut dum probiſſimi qviqve vita deceſſerant, ipſorum palam omnibus collocarentur ſtatue, qve & rerum bene geſtarum ab hiis, qvorum fuere ſimulacra, eſſent monimenta, & ad ſtrenuitatis actus inſpectatoribus hortamenta. Lucebat in effigie effigiati probitas, & qva incederent via rationalibus non rationale idolum demonſtravit.

ſtravit. Signum ante oculos poſitum deſignavit mortuum, ſed eundem in memoria viventium vivere faciebat. Qvia homo eſſe iam deſierat, ipſius humanitas in ſculptili legebatur. Nec ratione impari aut cauſa diſſimili viris hac noſtra etate clariſſimis, ut noſtro cenſemus arbitratu, inſignia conferuntur. Valete feliciter. Ex caſtro noſtro Gottorp, prima Decembris, 1462.

Ad Papam.

Sanctiſſimo & beatiſſimo in Chriſto patri domino *Paulo* divina providentia ſacroſancte Romane & univerſalis eccleſie ſummo Pontifici, *Criſternus* Dei gratia Dacie, Swecie, Norvegie, Sclavorum Gotorumqve Rex, Dux Sleswicenſis, Comes Holſatie, Stormarie, Oldenborch & Delmenhorſt, obedientiam debitam & reverentiam filialem. In regnis meis latiſſimis ac dominiis a ſe diſtantiſſimis variorum ſunt ingeniorum homines; inter qvos eciam Eccleſiarum prelati ſuperiores & inferiores, alii qvoqve minores clerici nonnunqvam in everſionem Regni & Regis exitium ſunt machinati. Sicut & ſuperioribus annis comparatum eſt in regno meo Svecie, & hoc ipſum arbitror veſtram beatitudinem non latere. Sed & nuperrime in Regno meo Dacie inter dominos Prepoſitum Archidiaconum & alios tres Canonicos Eccleſie Roſkildenſis ex una, & dominum *Jacobum Petri* eiusdem eccleſie canonicum partibus ex altera, orta fuit diſſenſio valde gravis, propter qvam dicti Prepoſitus & Archidiaconus cum aliis tribus Canonicis, iuris ordine non ſervato, predictum dominum *Jacobum Petri* a choro & capitulo, inſcio loci ordinario, excluſerunt. Qvo factum eſt, qvod excluſus ipſe ad ſanctitatem veſtram & ſedem Apoſtolicam appellaret. Adverſarii vero ipſius litteras qvasdam clanculo conſcripſerunt, easdem ſigillo Capituli ſignaverunt, ceteris concanonicis non vocatis nec de hiis qve continebantur in litteris ſecundum morem ſolitum informatis. Hec ubi acta ſunt, ceteros reqvirebant Canonicos, ut ſuis etiam ſigillis litteras, qve ſigillo capituli ſignate fuerant, conſignarent: & ſigillum Capituli litteris illis appoſitum proferentes aiebant, non licere aliorum cuiqvam ſuum ſigillum eisdem litteris denegare. Unde & ſibi in ea parte diſſentientibus excluſionem a capitulo minitabantur. Ego itaqve, ut ad me rei huius inſolite fama venit, capitulares omnes tunc preſentes feci capitulariter congregari, & ſingulos ſeorſum per iuramenta, preſente ordinario, & publico cum teſtibus notario examinari. Et in veritate, ita ut ſuperius ſcribitur, rem omnem geſtam fuiſſe comperi, prout & in confecto ſuper hiis inſtrumento publico diffuſius edocetur. Et qvia ſanctitas veſtra non minus Regnorum & Principum chriſtianorum qvam Eccleſiarum ſaluti providere, & diſpendiis conſveta eſt occurrere, ſanctitatem ipſam ſupplex oro, ne litteris illis falſiſſimis prebeatur fides aliqva, ſive in iudicio ſive extra in publicum offerantur. Preterea, pater beatiſſime, in multis regnorum & dominiorum meorum inſulis nec non locis aliis ſunt fundate Cathedrales Eccleſie: in eisdem cum Epiſcopalem ſedem vacare contigerit, aſſumuntur plerumqve non rite aut canonice, qvi nec ipſis eccleſiis nec regno aut michi ſunt utiles. Et dum Electos ſe pretendunt, ſcripta qvedam falſa electionis decreto ſimilia coram ſanctitate veſtra & ſancta ſede apoſtolica non verentur producere, ac illorum pretextu proviſiones ad easdem eccleſias extorqvere. Ubi autem in Epiſcopos conſecrati fuerint, bona eccleſiarum dilapidant, adverſum me & regna mea ſeu dominia plebem

plebem ſolicitant, in ſeditionem vertunt populum, & ſubiectis occaſionem preſtant in dominos rebellandi. Hec vero aut hiis ſimilia de cetero ne contingant, veſtra Beatitudo dignetur obſecro, contra morbum hunc peſtiferum eo uti remedio, qvod talis proviſio fiat nemini de regnis meis aut dominiis, niſi duntaxat illis, qvi veſtre ſanctitati per litteras meas fuerint commendati. Nec michi ea eſt intentio, aut erit, unqvam aut fuerit, qvod ſanctiſſime ſedi apoſtolice ſui iuris qvicqvam aut eminencie velim detrahere, qvinimmo eidem in omnibus, ut filium decet humilem & Regem Catholicum, obſeqvi & parere. Hunc autem providendi modum ſi Beatitudo veſtra dignetur admittere, in regnis meis & dominiis divinus cultus augebitur, honor ampliabitur ſancte ſedis apoſtolice, paci qvoqve & ſaluti ſubditorum michi hominum uberius conſuletur. Et ego tamqvam filius obſeqventiſſimus ero ſemper paratiſſimus ad honorem & amplitudinem veſtre ſanctitudinis. Qvam longo evo ſervet Deus incolumem ad felix regimen eccleſie ſue ſancte.

Ad Cardinalem Mantuanum de revocatione Henrici Gervini *& conſtitutione novi Procuratoris.*

Criſtiernus dei gratia Dacie, Swecie, Norvegie, Sclavorum, Gotorumqve Rex, Dux Slesvicenſis, Comes Holſacie, Stormarie, Oldenborch & Delmenhorſt, Reverendiſſimo in Chriſto patri & domino affini & amico noſtro cariſſimo *Franciſco* miſeratione divina ſancte Marie nove Mantuano vulgariter nuncupato ſacroſancte Romane eccleſie Dyachono Cardinali digniſſimo, noſtri favoris affectum ſinceriſſimum & ſalutem. *Henricum Gervini* noſtrum hactenus in Romana curia procuratorem generalem Roma ſine redeundi propoſito cognovimus exceſſiſſe. Expedit autem, immo eſt & neceſſarium, ut in ipſa curia procuratorem fidelem & continuum habeamus. De fide vero ac probitate *Wilhelmi Molitoris* clerici Leodienſis dioceſis, & veſtre dominacionis Notarii fidelis, certiores facti rogavimus eundem, ut ad utilitatem noſtram, ipſum vellet procuratoris officium exercere. Ac ipſe onus illud veritus eſt aſſumere, nec ipſum acceptare conſentit, niſi ad hoc ſpecialiter acceſſerint veſtre dominationis licentia & conſenſus. Rogamus igitur attentiſſime in Chriſto reverendiſſimam & nobis amantiſſimam paternitatem veſtram, ut ſuum ei rei conſenſum noſtri contemplatione dignetur & velit favorabiliter adhibere. Nam & in ea ſpe predicto *Wilhelmo* cauſas noſtras in ipſa expediendas curia cum pleno mandato commiſimus: De ſumma in nos veſtre dominationis benivolentia confidentes, ut qve *Wilhelmus* ipſe procurare non ſufficit, ea dignetur veſtra paternitas deducere ad perfectum. A longo qvidem tempore nobis magna ſpes affuerat, qvod dominatio veſtra dilecto nobis domino *Johanni Brocſtorp* Capellano noſtro reſignaſſet Dalbyenſis monaſterii Prioratum, cuius ad nos ius patronatus & omnimoda diſpoſitio ex iure regio non ambigitur pertinere. Nunc autem qve in ea re nobis eſt intentio, *Wilhelmo* veſtro credidimus edicendum. Nonnulla etiam alia dominationi veſtre referenda eidem *Wilhelmo* commiſimus, cui in eisdem narrandis plenam credentie fidem dare velit qveſumus veſtra paternitas reverendiſſima. Cui preſtet omnipotens hic feliciter proſperari, & poſtea eternaliter gloriari. Ex caſtro noſtro Haffnenſi, ſecunda Octobris, anno domini MCDLXVI. noſtro ſub ſecreto. Dominationi veſtre

dum

dum in posterum ex animo & secrete scripserimus, Signetum nostrum secretissimum ut hic apparet, in Riga (?) ultima imprimetur.

Regina ad Nepotem Cardinalem Mantuanum.

Dorothea &c. reverendissimo in Christo patri &c. salutem in omnibus prosperari. Pater in Christo reverendissime & nepos amantissime, mittimus dominationi vestre per notarium vestre Reverentie *Wilhelmum Molitoris*, duodecim timmer pellium albissimarum vulgariter Hermelin. In hoc munusculo potius est dantis affectus qvam dati dignitas attendendus. *Wilhelmo* ipsi qvedam vestre dominationi referenda commissimus: eidem in eisdem narrandis hac pro vice fidem plenam petimus adhiberi. Optimum nobis esse animum scitote, nepos carissime, ad ea omnia qve placere noverimus vestre in Christo reverendissime paternitati; qve ut feliciter vivat semper & valeat exoptamus. Ex castro &c. ut supra.

Ad Magistrum Ordinis Beati Johannis Baptiste in Almania.

Benivolentiam regiam & salutem. Est in regno nostro Dacie a clarissimis ipsius regni Regibus, nostris progenitoribus, monasterium beatissimi *Johannis Baptiste*, vulgariter nuncupatum *Andwortskow*, fundatum, dotatum & a succedentibus sibi Regibus in felici statu usqve hodie conservatum. Huic monasterio tamqvam verus Prior novissimus prefuit vir venerabilis dominus *Johannes Bruun*, per cuius ex hac vita transitum de iure vacavit nuper & de facto eiusdem monasterii Prioratus. Fratres igitur de monasterio antedicto, ne ipsum Prioris regimine diutius orbaretur, in locum ad hoc accommodum convenerunt, ubi virum honorabilem dominum *Jacobum Martini* presbiterum confratrem suum in sepedicti monasterii Priorem concorditer elegerunt. Nobis qvoqve ut ipsi electioni Regium dignemur consensum humillime supplicarunt. Nam in huiuscemodi electione consensus est Regius tam ex consvetudine qvam ex indulto apostolico reqvirendus. Nos autem fratrum ipsorum precibus favorabiliter annuentes, electioni predicte consensum nostrum Regium prebuimus. Rogantes instantissime, ut dilatione semota electionem ipsam ea qve in vobis est autoritate, vestra in Christo velit devotio confirmare. Et nos ordini vestro necnon degentibus in ipso fratribus erimus in omnem favorem eo propensius inclinati. Valete feliciter. Ex castro nostro Haffnensi, prima die Aprilis, anno domini 1467, nostro Regali sub Secreto.

Ad Papam pro Electo Lubicensi.

Cum vacante nuper Ecclesia Lubicensi, ad suscipiendum ipsius ecclesie pontificale regimen vir honorabilis magister *Albertus Krummedike*, in predicta ecclesia canonicus, concorditer, rite ac canonice, ut ad me fama pertulit, sit electus; cumqve ipsi Magistro *Alberto* ex utroqve parente parta nobilitas, scientiarum eminentia, complura qvoqve probitatis & virtutum egregia suffragentur merita, qvibus ad tantum sacerdotii gradum probatur digne iure ac merito provehendus; sanctitatem vestram duxi, Pater beatissime, supplicandam humillime, qvatenus

memoratam electionem dignetur & velit approbare, ratificare, insuper & apostolica auctoritate confirmare. Ego autem uti filius obseqventissimus indesinenter obtemperabo preceptionibus vestre sanctitudinis, qvam salvet semper & conservet Dei filius in secula benedictus. Ex castro meo Kalundeborgh, anno domini 1466. mensis Martii die 24. meo sub Secreto.

Ad Cardinalem Mantuanum pro eodem.

Qvoniam ad vacantis Ecclesie Lubicensis pastoralem curam rite ac canonice ut accepimus electus est Reverendus magister *Albertus Krumedike*, & generositate, scientia omniqve virtutum genere non mediocriter prefulgeat, ipsi Ecclesie Lubicensi & cleri & populi iudicio speratur qvamplurimum profuturus; Paternitatem vestram in Christo reverendissimam deprecamur, qvatenus nostri velit intuitu eidem Magistro *Alberto* id favoris impendere, qvo ipsius electionem summa summi pontificis, patris nostri beatissimi, auctoritates approbet, ratificet, & confirmet. Et nos hoc ipsum vestras erga Reverenciam & celsitudinem gratissima studebimus vicissitudine promereri. Valete feliciter. Ex castro nostro Kalundeborgh, anno domini 1466. mensis Martii die 24. nostro Regali sub Secreto.

Ad Papam pro Electo Lubicensi.

Beatissimo & clementissimo in Christo patri domino *P.* divina miseratione sacrosancte Romane & universalis ecclesie summo Pontifici, *Cristiernus* dei gratia regnorum Dacie, Swecie, Norwegie, Sclavorum, Gotorumqve Rex, Dux Sleswicensis, Comes Holsatie, Stormarie, Oldenborch & Delmenhorst, Reverentiam & obedientiam filialem. Bone memorie *Arnoldo* ultimo Ecclesie Lubicensis presule rebus exempto humanis, eiusqve corpore honorifice ut decuit ecclesiastice tradito sepulture, devoti V. B. oratores Prepositus, Canonici & capitulum die ad eligendum & ipsi viduate ecclesie de futuro antistite providendum statuta & prefixa, capitulariter congregati, tandem non absqve divino munere, sanctiqve spiritus gratia concurrente, in venerabilem virum Magistrum *Albertum Krumedike*, eiusdem ecclesie canonicum, in sacerdotio constitutum, artium liberalium Magistrum, & qvi qvadragesimum etatis sue annum exegit, meum regnorumqve & dominiorum meorum consiliarium, ex legitimo matrimonio, antiqvoqve militari genere ex utroqve parente procreatum, & non tam sangvine qvam vita & moribus conspicuum, clero & populo gratum, in spiritualibus providum & temporalibus circumspectum, concorditer ut michi detegunt, sua direxerunt vota: ipsumqve nemine discrepante in suum & dicte ecclesie futurum pontificem & episcopum elegerunt. Prout hoc & alia ex electionis decreto & processu, vestra beatitudo fide comperiet luculenta. Cum itaqve Lubicensis Ecclesie Electo & Capitulo, qvorum bona, redditus, fructus & proventus in meis noscantur dominiis constituti, & qvos meorum seqvendo vestigia predecessorum sub Regali teneam protectione, plurimum afficiar; & memoratum deprehenderim Magistrum *Albertum* familiari experientia, in gerendis industrium, consiliorum maturitate pollentem, & non tam sangvine qvam vita & moribus clarum, & ut res sibi magne credantur optime meritum, ac ipsi Ecclesie Lubicensi eiusqve regimini fructuosum. Ea propter ad vestre Beatitudinis gremium genibus confugio

provo-

provolutis, prece orans geminata, ut concordem electionem huiusmodi de benignitate apoſtolica confirmare & approbare, eundemqve magiſtrum *Albertum* prefate Eccleſie Lubicenſi in Epiſcopum preficere dignemini & paſtorem, ad laudem omnipotentis: Qvi veſtram dignetur ſanctitatem preſervare incolumem ad regimen Eccleſie ſue ſancte. Datum in caſtro meo Haſnenſi, feria tertia Paſche anno domini MCDLX. ſexto, Regio meo ſub Secreto.

Ad Papam pro Prepoſito Lubicenſi.

Sanctiſſimo & clementiſſimo in Chriſto patri domino *S.* divina providentia ſacroſancte Romane &c. poſt devota pedum beatorum oſcula paratam in omnibus obſeqvendi voluntatem. Veſtra novit beatitudo, qvod decurſis proximis hiis diebus Magiſter *Albertus Crumedik* rector parochialis Eccleſie in Campis, ad Lubicenſem Eccleſiam tunc deſtitutam ſolacio, concorditer electus fuerit & aſſumptus, & per electionis huiusmodi confirmationem munusqve conſecrationis eidem impendendum memorata ſperetur eccleſia vacare. Et qvia admodum carus & conſiliarius Magiſter *Theodericus de Clavis*, decretorum Doctor, veſtre ut arbitror ſanctitati notus, & qvi in curia Romanenſi extitit cauſidicus, qviqve meis genitus eſt dominiis, adeo exilia tenuiaqve obtinere noſcatur beneficia, ut ipſe qvi Eccleſie Lubicenſis eſt prepoſitus, iuxta ſui ſtatus decentiam & doctoralis meriti exigentiam, incumbentia ſibi neqveat onera ſupportare. Ut igitur eius conſulatur indigentie, & victus neceſſaria conſeqvatur, veſtram decrevi ſanctitatem exorandam, ut meo interventu eidem *Theoderico* doctori de ſupra dicta prouidere dignemini parochiali eccleſia, de gratia ſpeciali. Et ſi has meas preces ad exaudicionis gratiam admiſſas cognovero, & meam interceſſionem vulgarem non extitiſſe, veſtra me reddet beatitudo ad ſua & Romanenſis Eccleſie proſeqvenda votive negotia obligatiorem. Altiſſimus veſtram conſervet ſanctitatem per longiora tempora. Datum in caſtro noſtro Haſſnenſi, feria tertia Paſche, anno domini &c. LX. ſexto. meo ſub ſecreto.

Gregorius *Papa ad* Woldemarum *Regem Dacie.*

Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Cariſſimo in Chriſto filio *Waldemaro* Regi Dacie illuſtri, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Viſis tuis ſcriptionibus nobis per dilectum filium nobilem virum *Johannem Ruth* Ambaxiatorem tuum porrectis, grata manu gratoqve ſuſcepimus animo palafredos & gerfandum, qvos pro parte tua nobis idem ambaxiator honorifice preſentavit. Et licet huiusmodi excenia grata venerint in recipientis affectum, gratior tamen apparuit in conſpectu noſtro regie ſerenitatis devotio liberalis, eidem ſerenitati tanto exinde regratiantes uberius, qvanto ea conſpicimus ex regali animi puritate ſincerius emanaſſe. Porro, fili predilectiſſime, Signetum ſecretum nobis miſſum contemplatione tui penes nos curioſe ſervabimus, de hiis qve futuris temporibus infidebunt cordi noſtro ferventer, maieſtati tue ſub eius impreſſione ſcripturi. Aliud autem tibi remittimus, ſub cuius clauſura qvevis etiam tibi ſtricte placitura nobis poteris nunciare; Non qveſumus valorem eius conſiderans, ſed perinde recogitans qvem ad te gerimus paterne dilectionis affectum. Ceterum nobis expoſita

poſita affectione ſincera, qvam ad felicis recordationis *Urbani* Pape V. predeceſſoris noſtri memoriam habere dinoſceris, ſerenitati tue grates exinde referimus copioſas, devotionem tuam plurimum in domino commendantes. Unde ſi noſtro tuoqve temporibus Canonizationem eius evenire contingat, de ipſa te faciemus pre ceteris certiorem, tenens indubie qvod ad perſonam tuam & regnum afficimur, tibiqve tam in proviſionibus qvam aliis emerſuris prout iuſte poterimus, incunctanter ſtudebimus complacere. Sane ſuper eo qvod nonnulli prelati regni tui nonnulla tibi damnoſa pariter & displicibilia, ſicut prefatus ambaxiator nobis expoſuit, commiſerunt, dolemus acerbe, licet contra eos ipſis inauditis procedere minime debeamus, cum ſimus omnibus eqva lance iuſtitie debitores. Sed ſuper petitis parte tua reſponſionem eidem nuncio fecimus, atqve vocatis partibus ipſis talem iuſtitiam volumus miniſtrari, qvod exinde tua ſerenitas debeat merito contentari; prout per noſtras apoſtolicas litteras, qvas portat Ambaxiator prefatus, liqvido tibi conſtabit. Nam ſicut beneplacitorum noſtrorum te ſtudioſum cooperatorem exhibere promittis, ſic te tanqvam principem Chriſtianiſſimum & Eccleſie Romane peculiarem filium in votis tuis proſeqvamur favoribus & affectibus gratioſis. Super hiis autem & nonnullis aliis, prefato Ambaxiatori tuo plenius aperuimus mentem noſtram, ſublimitati tue vive vocis oraculo referendam. Datum apud Villam novam Avinionenſis dioceſis, X. Kl. Septembris, Pontificatus noſtri anno qvinto. *Gregorius* Papa XI.

Teſtimoniale.

Chriſtiernus &c. univerſis preſentes litteras inſpecturis, ſalutem & ſinceram in domino caritatem. Contingit nonnunqvam probiſſimos qvosqve invidentium perurgeri ſtimulis, mendaciorum circumveniri funiculis, & mordacibus detractorum latratibus agitari. Sed morbo huic peſtifero id obiiciendum eſt antidotum, ut innocens omnis fidedigni ſcuto teſtimonii protegatur. Teſtificamur itaqve, qvod honorabilis dominus *N.* Eccleſie Burglanenſis Prepoſitus vita ſit irreprehenſibilis, fama clarus, bonis moribus inſignitus; ſicqve cunctis ei creditis preſuerat, ut ſit omnium laude dignus: atqve in eis paucis qve ſue ſunt commiſſa fidei ita fidelis extiterat, ut ſupra multa conſtitui mereatur. In cuius rei teſtimonium, noſtrum Regale ſecretum preſentibus eſt appenſum. Datum in civitate noſtra Viborgenſi, anno domini 1466. prima die Septembris.

Ad Papam ut fratres Minores reducat ad obſervantiam.

Subiectionem debitam & reverentiam filialem. Regum ſtudia etſi circa ſubiecte ſibi multitudinis deſudant commoda, & ut qvieta ſint tempora, enitantur, atqve in tutamen reipublice plurimum expendantur, multo magis Reges condecet chriſtianos ſaluti militantium Deo intendere, Religionis ampliare cultum, & gloriam ſui querere conditoris. Sane, pater beatiſſime, ſancti *Franciſci* ordo in eum precipue finem inſtitutus eſſe deſcribitur, ut degentes in eo fratres temporalia contemptui habenda fore actu probent & habitu; & eterna ſolum ac ſummopere predicent appetenda, mundanorum mentes a mundanis avocent & dirigant ad ſuperna, terrena deſpicere & amare celeſtia opere doceant & ſermone. Ut ſic in terrenis hominibus terrenorum inſatiabilis ſatietur cupiditas, & ceca ſemper avaritia

ritia qve neſcit minui minuatur. Unde & *Franciſcus* ille devotiſſimus Religionis huius ſacerrime inſtitutor in corpore ſui Chriſti portavit ſtigmata, vili veſte membra contexit, ſvalida contentus, nonnunqvam ſemitrucciis. Non aſoris zona ſe truxit candida ad ornatum, ſed ab intus nodato funiculo confectum inedia ſtrinxit corpuſculum ad carnis ſomitem reprimendum. Hac autem noſtra etate in fratribus huius ordinis devotionis fervor nimis tepuit, & multorum refriguit caritas, qve forma eſt fidei & virtutum. Eam ob rem prudenti opus eſt remedio, qvo Fratres ipſi a laxiori ad regulaciorem transferentur vivendi modum, & iuxta ſue legem regule cum lenitate debita reformentur. Veſtram igitur ſanctitudinem attente deprecor & obnixe, ut devoto in Chriſto fratri Saxonie miniſtro, qvi reformationis operi, ut ad me ferebat fama, diligenter invigilat, eam dignetur auctoritatem concedere, qva ſue commiſſos cure fratres, eos videlicet, qvi in meis degunt Ducatu Slesvicenſi & Holſacie Comitatu, poſſit ad regularem obſervantiam ſecundum predicti ordinis inſtituta, per cenſuras, ubi oportunum fuerit, Eccleſiaſticas coercere. Qvatenus ita ad meliorem vitam provocetur populus chriſtianus, fiantqve accumulatiora veſtre merita ſanctitatis. Qvam Chriſtus Iheſus ad regendum Eccleſiam ſuam ſanctam cuſtodiat ſemper ſaluam. Ex caſtro meo Gottorp 22. die Octobris anno domini 1467. meo Regio ſub ſecreto.

Ad Imperatorem Fredericum *in cauſa Turcorum.*

Sereniſſimo ac invictiſſimo Principi domino *Frederico* Romanorum Imperatori ſemper auguſto, Hungarie, Dalmatie, Croacie &c. Regi, necnon Auſtrie, Stirie &c. Duci, fratri noſtro cariſſimo, *Criſtiernus* dei gratia Dacie, Swecie, Norwegie, Slavorum, Gotorum Rex, Dux Sleswicenſis, Comes Holſatie, Stormarie, Oldenborch & Delmenhorſt, ſalutem & in omnibus proſperari. Imperialis veſtre Maieſtatis epiſtolam Reverendiſſimus in Chriſto *Ludovicus* Patriarcha *Antiochenus*, ceſaree celſitudinis veſtre conſiliarius & Ambaſiator nuperrime nobis obtulit. Eandem cum omni ut debitum erat reverentia ſuſcepimus. Ex illa ipſa plane didicimus, ipſi reverendiſſimo *Ludovico* id eſſe propoſitum, ut catholice fidei ſublimande gratia patrias complures & diſtantiſſimas perluſtraret: Nos qvoqve de hoc ipſo & nonnullis aliis diffuſius edoceret. Inprimis clare mentem nobis veſtre maieſtatis de armatis per nos contra infideles Teucros emittendis expoſuit; etſi propter guerrarum aut rebellantium turbines id nobis impedimentum adeſſet, qvo id pronunc efficere prohiberemur. Ad huius ſummotionem impedimenti nobis a rege ſereniſſimo Polonie, inſuper & a veſtro ſubiectis imperio civitatibus maritimis & regno noſtro proximioribus, veſtra nobis celſitudo auxilium procuraret, ut ſublato hoc obſtaculo, expeditos in armis homines ad predicti perſecutionem negotii pararemus. Pernoſcat igitur veſtra dominatio, qvod ante annos tres fuit contra nos in regno noſtro Svecie ſuborta rebellio, qve graſſatur indies & creſcit. Qvidam enim nobiles, qvi a nobis terras, caſtra tenent & dominia, dominandi libidine inflammati, Regno nos privare conantur & ſpiritu, ſtruunt inſidias, bella cient, ſangvinem noſtrum ſitiunt, & in necem noſtram continue machinantur. Nec opitulatur nobis manſvetudo noſtra, lenitas & diuturna ſuſtinentia. Obtuleramus nos creberrime, ſi ex eis cuiqvam qverele qvid aut cauſe libuerit adverſum nos producere, velle nos veſtre ſerenitatis Regum Chriſtianorum & Principum aliorum ferre ſententiam & ſubire. Sed

adeo illi obdurati in ſua ſunt malivolentia, ut nec ſic a concepta poſſint malicia dimoveri. Dato itaqve qvod ſupra ſcribitur auxilio, & reddita regno noſtro pace, qve deturbata fuerat, curremus ad arma, & vobiscum iuxta extremas vires noſtras contra barbarorum rabiem procedemus. Placere Imperiali honorificentie ab eo, qvem ſepe ſupra nominavimus, Patriarcha intelleximus, ut inclitiſſimo Polonorum Regi non ſolum in fraterna & ſingulari amicitia, verum etiam per matrimonialem ſue prolis & noſtre copulam iungeremur. Qvod tante Maieſtati placuit, nobis non licuit non placere, qvin potius ipſi maieſtati in omnibus noſtre facultati poſſibilibus, nedum hac in re obtemperare ſtudebimus. Conſentimus igitur, ut ſereniſſimi Regis Polonie filiam filius noſter in uxorem accipiat, & inter ipſos filium & filiam contrahendi & concludendi matrimonium in prememoratum dominum Patriarcham contulimus & conferimus auctoritatem noſtram & omnimodam poteſtatem. Imperialis veſtra ſerenitas vita victoria in evum & valitudine optima cupimus perfruatur. Ex caſtro noſtro Haffnenſi, die Nativitatis beati Johannis Baptiſte, noſtro ſub ſecreto, Anno domini milleſimo qvadringenteſimo ſexageſimo ſeptimo.

Ad Conſiliarios Regni Scotie, in captione Epiſcopi Orchadenſis.

Favorem regium & ſalutem. Qvod in Chriſto Reverendus pater dominus *Wilhelmus* Eccleſie Orchadenſis Epiſcopus a ſua ſit abſtractus Eccleſia, miſſus in carcerem, conſtrictus vinculis, ac poſtremo ad ea compulſus iuramenta, qve divinis adverſa ſunt legibus & humanis; qvodqve in ipſum Epiſcopum has tot inhumanitates exercueritis, qvi primogenitus dicitur Comitis Orchadenſis: circumſpectiones veſtras generoſiſſimas credimus non latere. Amantiſſimas igitur nobis magnificentias veſtras precamur, exqvirimus, obſecramus, qvatenus propter Deum, iuſtitiam, ſimulqve propter noſtri contemplationem, fraternam qvoqve compaſſionem, qvam in omnem habere proximum iubemur & maxime in prelatos, prememorato domino Preſuli favorem, aſſiſtentiam, conſilium prebere velitis & auxilium, qvo & ſue reſtituatur ſedi, iuſtamqve aut condignam emendam & recompenſam pro illatis iniuriis aſſeqvatur. Nec ſinatis, qvod ipſius Epiſcopi emulis ex veſtris qvisqvam ſit auxilio, qvin potius qvantum in vobis fuerit ab eodem qvevis in poſterum iniurie propulſentur. Per hec autem & alia pietatis exercitia preſtabitur vobis eterna, nedum temporalis gloria. Inſuper & nos ſemper reddemur ad veſtra beneplacita promptiores. Valete feliciter. Ex caſtro noſtro Haffnenſi.

Sereniſſimo Principi ac domino prepotenti, domino *Jacobo* Dei gratia Regi Scotie, *Criſtiernus* eadem gratia Dacie, Svecie, Norvegie, Gotorum, Slavorumqve Rex &c. ſalutem & in Chriſto continuam caritatem. Regia ſollicitudo etſi circa ſecularia verſari negotia, & ea pene ſola eſſe ſibi cure putetur a plurimis; nichilominus ut Regum ſtudia religioni & divino cultui intendant faventius, perſvadet eqvitas, dictat ratio, qve ſemper ad optima deprecatur: id ubi fit, Eccleſiarum prelati & inferiores clerici utuntur iuſtis, gaudent legibus; relevantur oppreſſi, & ſuis pulſi ſedibus reſtituuntur. Cum itaqve Reverendus in Chriſto pater dominus *Wilhelmus* Epiſcopus Orchadenſis Eccleſie, Conſiliarius noſter,

ſter, ex ipſa ſua ſit raptus Eccleſia, detruſus in carceres, ligatus vinculis, ac noviſſime iuramenta preſtare coactus, qvibus Orchadenſis Eccleſie libertas infringitur, tolluntur iura Epiſcopi & ſucceſſorum eius, vix dicibilia gignuntur preiudicia. Hec autem omnia, ut fert fama, paſſus eſt ſua ſine culpa venerabilis ille preſul ab eo, qvi primogenitus eſſe dicitur Comitis Orchadenſis. Fraternitatem ergo veſtram & majeſtatem regiam hortamur & rogamus attente, qvatenus Dei, iuſtitie, noſtri qvoqve contemplatione, ſub veſtra protectione regia memoratum velitis antiſtitem cum ſuis recipere, ut ſue reddatur eccleſie cooperari, & ne ſubditorum veſtrorum qvispiam hoſtibus ipſius Epiſcopi ferat auxilium, artius inhibere. Sic enim & obſeqvium Deo acceptiſſimum & rem nobis gratiſſimam facietis. Erimus inſuper & nos inclinatiſſimi ad ea omnia, qve veſtre ſunt placita fraternitati, cui concedat omnipotens feliciter vivere, valere. Ex caſtro noſtro Haffnenſi, ultimo die May, Noſtro Regali ſub ſecreto, Anno domini Milleſimo qvadringenteſimo ſexageſimo ſeptimo.

Ad Cardinalem Mantuanum.

Criſtiernus Dei gratia Dacie, Svecie &c. reverendiſſimo in Chriſto patri & domino, affini & amico noſtro cariſſimo, domino *Franciſco* divina miſeratione ſancte Marie nove Mantuano nuncupato ſacroſancte Romane Eccleſie Diacono Cardinali meritiſſimo. Ad veſtram notitiam, affinis cariſſime & amice confidentiſſime, deduci volumus, qvod anno preterito dum extra regnum noſtrum Dacie conſtitueremur, informatione ſiniſtra & relatione non vera circumventi, ad Roſkildenſe capitulum literas qvasdam noſtro ſub Signeto miſimus, qvarum pretextu tunc occaſione captata, ſed vehementer prius affectata, vir honorabilis dominus *Jacobus Petri* eiusdem eccleſie Canonicus, non parum tam Eccleſie qvam Capitulo utilis, non ſuſpectus de crimine convictus, confeſſus, monitus aut citatus, ſuis emulis id procurantibus, iuris ordine pretermiſſo, a capitulo & chori ingreſſu, qvousqve in noſtram rediret gratiam excluſus, & a concanonicorum fuit conſortio ſegregatus. Nobis autem in regnum redeuntibus, in veritate comperimus, ipſum dominum *Jacobum* in univerſis, de qvibus coram nobis accuſatus extitit, innocentem, & propterea ut in priorem ſicut dignum erat reſtitueretur ſtatum, reqviſivimus inſtanter capitulum ipſum, imo & rogavimus vicibus iteratis. Sed reluctantibus emulis preces regias incaſſum fudimus, nec usqve hodie, qvod non lete referimus, pro noſtra ſumus reverentia exauditi. Cauſa igitur excluſionis pretenſe ad reverendiſſimum reverendosqve in Chriſto patres & dominos, Archiepiſcopum Lundenſem ceterosqve regni noſtri Epiſcopos, in oppido noſtro Haffnenſi anno currenti circa principium Julii congregatos deducta fuit, nec ab eis propter improbam adversariorum pertinaciam terminata, ſed per appellationis viam ad Romanam curiam sanctamqve ſedem Apoſtolicam devoluta. Nobis igitur iure & merito cariſſimam & in Chriſto reverendiſſimam paternitatem veſtram precamur attentiſſime, qvatenus noſtri velit contemplatione predictum dominum *Jacobum Petri*, qvi Romam nunc profectus eſt, in agendis ſuis negociis preſtare conſilium, prebere favorem & aſſiſtenciam: necnon & apud ſanctiſſimum dominum noſtrum Papam prout licet & expedit promovere. In hiis enim nobis noſtreqve conthorali cariſſime non mediocrem complacentiam sed & rem gra-

gratiſſimam facietis; & nos illis omnibus intentiſſimi ſemper erimus, qvibus honor & gloria veſtre reverende dilatari paternitatis poſſit, qve in Chriſto vivat & valeat tam feliciter qvam longeve. Ex caſtro noſtro Haffnenſi, 26. Octobris anno domini 1466. Regali noſtro ſub ſecreto.

Ad Imperatorem in cauſa Turcorum.

Sereniſſimo & invictiſſimo Principi domino *Friderico* divina favente clementia Romanorum Imperatori ſemper Auguſto, Hungarie, Dalmacie &c. fratri noſtro cariſſimo *Chriſtiernus* dei gratia Dacie &c. ſalutem & ſincere dilectionis affectum. Imperialis veſtre celſitudinis tres ſimul in nova civitate ſcriptas epiſtolas nuper ad nos delatas accepimus, e qvibus clare cognovimus, qvod poſteaqvam Conſtantinopolitanum ac circumiacentem Chriſti populum per Thurcorum feritatem affligi divina permiſit iuſtitia, ſtatuit Imperialis Maieſtas ad hortationem ſancte ſedis Apoſtolice, nedum ex debito Imperialis faſtigii, complures in diverſis locis celebrari conventus, in eum precipue finem, ut ruina Chriſti fidelium reparata, religio tuta ſecuraqve perſiſteret, pax qvoqve qvam hoſticus furor turbaverat Eccleſie militanti redderetur, qve dum tranqville soli militaret Deo, iungeretur tandem Eccleſie triumphanti. At qvia non qvantum ſperabatur aut dignum erat, tanti tamqve exacti profecere labores, nec qvo currebatur eo itum eſt, ne in oves Chriſti luporum dentes graſſarentur ſevius, decrevit Imperialis prudentia, ut in opido Norenbergenſi ad proximum Beati Martini feſtum ſecularia gregis Chriſti capita eius finis, cuius meminimus, gratia convenirent. Hortabatur & nos illo noſtros mittere, qvos & mittimus, etſi non qvantos Regium decet ſtatum. Hoc enim ut alia ſileamus prohibentia, temporis anguſtia non ſinebat. Nec ulla in parte dubitet Imperialis dignitas, qvin nobis ſit & erit ſemper is animus, ea voluntas, id ſtudium, ut veſtre Imperiali placeamus celſitudini, qvam omnipotens ad ſui tuitionem populi ſervet incolumem, fortiſſimam efficiat victricem. Ex caſtro noſtro Haffnenſi 26. Octobris, anno domini 1466. Regali noſtro ſub ſecreto.

Ad Carolum *Burgundionum Ducem in cauſa Colonienſium ſ.* Marcelli *Scalh.*

Chriſtiernus dei gratia &c. illuſtri principi & prepotenti domino *Karolo* Burgundionum duci &c. amico & conſangvineo noſtro cariſſimo, benivolentiam & ſalutem. Ante annos plures dominum *Marcellum* bone memorie Conſiliarium noſtrum Romam pro noſtris ibi expediendis negociis proficiſci iuſſimus, qvi dum ad metam expleſſet pro qvibus erat miſſus negotia, rediturus ad nos per Coloniam ire conſtituit. Illo ut advenit, cives Colonienſes eum omni ſuffultum innocentia nec ullo reſperſum crimine apprehenderunt: Eundem litteris nobis admodum neceſſariis, qvas ad Nos ſummus Pontifex, Cardinales qvidam, necnon Principes & alii emiſerunt, inſuper & clenodiis pretioſis atqve magna Anglicani auri ſumma, balſamo qvoqve qvod ingenti dignum erat precio, ſpoliarunt. Nec illis contenti violenciis, nec ad Maieſtatem Regiam ullam habentes reverentiam, ipſum noſtrum Legatum & conſiliarium, humanitate omni neglecta, in carceres detruſerunt, a qvibus ille proprio (qvo egregie viguit) ingenio, non absqve ſpeciali cuncta cernentis auxilio ereptus, ad nos rediit; rem ut geſta fuerat enarravit.

vit. Nos autem Colonienſes ipſos nunc nunciis, nunc litteris per vices iteratas commonefecimus, ut ablata redderent, & recompenſatione iuſta emendarent iniurias, qvas innocentie noſtre noſtroqve Legato & conſiliario irrogarant. Illi vero longanimitatem noſtram, lenitatem & manſvetudinem neglectui habentes, nec hoc nec illud usqve in hodiernum diem facere curaverunt. Ad convincendum induratum cor illorum & impenitentes, & ut per monitionum ſuperhabundantiam omnino reddantur inexcuſabiles, amantiſſimam nobis veſtram celſitudinem precamur inſtantiſſime, ut qvantocius & ſerioſe per ſcripta veſtra & nuncios monere velitis & exhortari Colonienſes ipſos, qvatenus indilate digna emendatione illatas nobis noſtra ſine culpa contumelias & iniurias recompenſent. Qvod ſi nec vobis obtemperanter adqvieverint, nec diffinitioni veſtre, cui hac in cauſa ſtabimus, parere curaverint, acri eos animadverſione, ut male commeruerunt, plectere compellemur. Qvid reſponſi ab eisdem ceperitis, nobis per hunc noſtrum *Stocholm* qveſumus demandetur. Benivoli ſumus & erimus ad ea omnia, qve veſtre ſunt placita ſerenitati. Qvam omnipotens in evum dirigat & conſervet. Ex caſtro noſtro Haffnenſi, ſecunda Junii, anno domini MCDLX. octavo, noſtro ſub ſecreto.

Viaticum cuiusdam qui pro fide cuncta perdidit.

Chriſtiernus &c. Univerſis Chriſti fidelibus preſentes audituris litteras aut viſuris, ſalutem in eo qui pro temporalibus dat eterna. Conſtantinopolim Grecorum urbem opinatiſſimam dum per ſacrilegam Theucrorum gentem debellari permiſit deus, cuius occulta ſunt iudicia et vie inveſtigabiles, *Demetrius Paleologus* miles et Comes Conſtantinopolitanus cuncta qve poſſiderat amiſit, prolem ſuam omnem & familiam abduci in ſervitutem conſpexit; & nunc ad ſui ſuſtentationem, prolis & familie redemptionem urget eum ſuprema neceſſitas in diſtantiſſimis orbis partibus mendicare. Univerſitatem igitur veſtram in Chriſto duximus exorandam, qvatinus ipſum *Demetrium* cum comitiva rebus & ſociis ſub honore digno velitis recipere, humanitatis ei prebere officia, & ex liberalitate veſtra ſubſidia larga porrigere. Ut per hec & alia pietatis opera, in extremi die iudicii a iudice diſcretiſſimo audire merea mini: venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum eſt ab origine mundi Amen. Datum in caſtro Haffnenſi, viceſima die menſis Junii, anno &c. LX. octavo.

Ad Papam pro nunciis de Mareagher.

Sanctiſſima ſedes apoſtolica etſi munificentie ſue beneficia in univerſos ſuos filios profundat larigſſime, in eos tamen propenſius qui ſervore devotionis eminent, diſciplinis prefulgent regularibus, & vite ornantur ſanctimonia, benivolentiam & gratiam diſpertitur. Pro eisdem ad ipſam ſedem ſanctiſſimam Principum preces frequentius diriguntur. Sane pater beatiſſime, in Aruſienſi Dioceſi regni mei Dacie, a non plurimis retroactis annis fundatum eſt Monaſterium de ordine Sancti Salvatoris, in honorem glorioſiſſime Virginis *Marie* & Beate *Birgitte* vidue. In hoc ipſo monaſterio degunt ſimul perſone ſexus utriusque, Fratres videlicet & Sorores, que ſine intermiſſione a noctis medio in meridiem usque orationes, horas & miſſas per vices continuant, marcerantur ieiuniis, orationibus incumbunt, & quantum

humana fragilitas ſinit, regularem obſervantiam ad rigorem actitant, novellam inſtaurant Eccleſiam, parant edes ſuo neceſſarias uſui. Sed nec has nec illam pro tenuitate redituum, pro diſturbatione regni, propter guerrarum turbines conſummare qveunt, niſi Sanctitatis veſtre ſpeciali gratia fuerint coadiuti. Precor ergo ut propter Deum cuius res agitur, atque humiles preces meas, dicti monaſterii nuncios, dum tempus exigat, ad benignam audientiam & ſupplicationes eorum intra exauditionis paterne ianuam admittere veſtra dignetur ſanctitas, quam ſalvam conſervet Omnipotens ad gubernationem Eccleſie ſue ſancte. Ex caſtro meo Haffnenſi, die nativitatis beatiſſimi *Johannis Baptiſte*, anno domini MCDLX. octavo, meo ſub Secreto.

Ad Papam pro nunciis de Mariebo.

Ad honorem beatiſſime virginis *Marie* & ſancte *Birgitte* vidue, in regno meo Dacie in Dyoceſi Ottonienſi fundatum eſt de Sancti Salvatoris Ordine Monaſterium, vulgariter dictum Mariebo; in eo fratres ſimul & ſorores iuxta illius inſtitutionem ordinis Deo devotiſime famulantur, alternatim horas canonicas cum miſſarum ſolenniis die noctuque decantant, nec ab hora noctis media usque in meridiem conticeſcunt a divinis laudibus, ſed iugiter orationibus & obſecrationibus ieiuniis & vigiliis vacant, & predicationibus, que plurimis profuerunt peccatoribus ad ſalutem. Statutis enim anni temporibus ad eum locum ſolita fuit fieri magna populorum frequentia propter maximas loco illi conceſſas indulgentias, quas in parte nonnulli ſuſpicantur a quibusdam eſſe Sanctitatis veſtre predeceſſoribus revocatas. Quo factum eſt, ut ad obtemperandum ſancte ſedi Apoſtolice, illius loci fratres a pronunciatione indulgentiarum talium deſtiterunt. Inde ſecutum eſt, ut nec more ſolito concurrat illuc populus, dum priſcis ibi gratiis ſe ſperet minime refovendum: futurum quoque timetur, quod regularis ibi lenteſcat obſervantia, tepeſcat devotionis ardor, & plurimorum caritas refrigeſcat. Veſtre igitur bonitati cum omni devotione ſupplico, quatenus preſcripti Monaſterii nunciis, qui ad ipſam has ob cauſas & alias acceſſerint, piam preſtet audientiam, ſupplicantium preces clementer exaudiat, & vota mea benigne ſuſcipiat, ad Chriſti gloriam, ad ſalutem populi, ad laudes perpetuas veſtre ſanctitudinis. Qvam ſemper incolumen conſervet altiſſimus ad regimen populi ſui ſancti. Ex caſtro meo Haffnenſi, viceſima ſecunda Junii, anno domini MCDLXVIII. meo ſub Secreto.

Ad Cardinalem Mantuanum.

Chriſtiernus Dei gratia &c. Reverendiſſimo in Chriſto patri & domino affini & amico noſtro cariſſimo, domino *Franciſco* miſeratione divina tituli Sancte *Marie* nove, Sacroſancte Romane Eccleſie Dyachono Cardinali digniſſimo, proſperitatis affectum ſinceriſſimum & ſalutem. Regum ſtudia etſi circa ſubiecte ſibi multitudinis deſudent commoda, & ut quieta ſint tempora enitantur, atque in tutamen reipublice plurimum expendantur, multo magis Reges condecet chriſtianos ſaluti militantium Deo intendere, Religionis ampliare cultum, & gloriam ſui qverere conditoris. Sane pater in Chriſto reverendiſſime, ſancti *Franciſci* ordo in eum precipue finem inſtitutus eſſe deſcribitur, ut degentes in eo fratres tempo-

ralia

ralia contemptui habenda fore actu probent et habitu, et eterna ſolum ac ſummopere predicent appetenda, mundanorum mentes a mundanis avocent et dirigant ad ſuperna, terrena deſpicere et amare celeſtia opere doceant et ſermone, ut ſic in terrenis hominibus terrenorum inſatiabilis ſatietur cupiditas, et ceca ſemper avaritia que neſcit minui minuatur. Unde et Franciſcus ille devotiſſimus, primus huius religionis ſacerrime inſtitutor, ſuo in corpore Chriſti portavit ſtigmata, vili veſte membra contexit ſqvalida, contentus nonnunqvam ſemicinctiis, non Aſtoris zona ſe cinxit candida adornatum, ſed ab intus nodato funiculo confectum inedia ſtrinxit corpuſculum ad carnis ſomitem reprimendum. Hac autem noſtra ætate in fratribus huius ordinis devotionis fervor nimis tepuit, et multorum refriguit caritas que forma eſt fidei et virtutum. Eas ob res prudenti opus eſt conſilio, qvo fratres ipſi a laxiori ad regulatiorem transferentur vivendi modum, et juxta ſue legem regule cum lenitate debita reformentur. Quia vero ad eam regularem obſervantiam actitandam, quam Sanctus Franciſcus ſuis imitationibus tenendam inſtituit, dilectum nobis fratrem *Laurentium Branderi* latorem preſentium permultis aliis in regno noſtro Daciano ſub huius umbra obſervantie degentibus inclinatum reperimus, Paternitatem veſtram in Chriſto reverendiſſimam ex intimis oramus affectibus, ut per ſue interventionis operam Summus dignetur Pontifex dictum fratrem Ottonienſi conventui a noſtris fundato progenitoribus, Gardianum preficere, generali Ordinis illius Miniſtro eundem in verum ſubrogare Commiſſarium. Eidem inſuper fratri *Laurentio* ex auctoritatis apoſtolice mandato iniungere, ut ad originalem regule premiſſe cuſtodiam fratres ſub hac profeſſos et profeſſuros regula, ſaltem illos qvi ſecum in prefato conventu Ottonienſi conſtiterint, diligenter commoneſaciat, et quantum in ſe fuerit ſub manſveta lenitate coherceat. Ipſius qvoqve in Ottonienſi conventu ſucceſſores et adminiſtratores, ut huic preceptioni apoſtolice omniqvaqve pareant, obligentur. Prohibeantur etiam provincialis Miniſter Dacie ac alii de hoc ordine fratres, ne prememoratum Ottonienſem conventum iamnunc per Dei Gratiam et Apoſtolice ſedis providentiam reformandum, aut ſuccedentibus temporibus reformatum, turbare, moleſtare, inqvietare, aut eidem conventui in ſuis terminis, clenodiis, ornamentis, bonis mobilibus aut immobilibus, fratribusqve dicti conventus in ſermonibus aut negotiis aliis publicis vel privatis, preiudicium, direptionem, diminutionem, ſcandalum aut qvodcunqve damnum aliud preſumant aliqvatenus irrogare. Videtur autem expediens, iam narratis inhibitionibus penas certas et cenſuras adiungere, ut eo ſtrictius teneantur. Nec liceat Miniſtro Dacie Gardianum Ottonienſis conventus aut inſtituere aut deſtituere absqve Dyoceſani Ottonienſis ac totius conventus illius conſenſu pleno, libero et expreſſo. Protectores autem ſupradicti conventus, et privilegiorum eius conſervatores, ex mandato apoſtolico Reges regni Dacie et Ottonienſes Epiſcopi, qvi pro tempore fuerint, deputentur. Porro cives loci prenominati, aliorum etiam locorum incole, apud qvos manere fratres reformatos contigerit, per exhortatoria Summi Pontificis ſcripta, ſimulqve per concedendas illis indulgentias ad beneſaciendum memoratis fratribus invitentur. Si ad hæc impetranda et in effectum deducenda elaborare Reverendiſſima veſtra dignetur Paternitas, conſecutura ſperabitur et gratiam in preſenti et gloriam in futuro. Qvas eidem concedat inerrabilis miſericordia Salvatoris. Ex caſtro noſtro Haſſnenſi 14. Novembri Anno Domini 1468. Noſtro ſub ſecreto.

Ad

Ad Miniſtrum Fratrum Noſtrorum.

Criſtiernus &c. Venerabili ac Devotiſſimo in Chriſto patri ac Domino Fratrum minorum Miniſtro, ſinceriſſimo nobis dilecto, Salutem in ſalutari qvod paravit Deus ante faciem omnium populorum. Qvoniam fratres minores in regno noſtro Daciæ ſparſim degentes nimium ab ea qvam Beatus Franciſcus inſtituit regulari obſervantia exorbitant, et religionem illam ſanctiſſimam laxiſſimis vivendi modis ita contaminant, ut ſibi ipſis damnationis periculum parare, et pernicioſum prebere exemplum aliis videantur, dilectum nobis fratrem *Laurentium Branderi* oſtenſorem preſentium ad veſtram devotionem emittimus, affectantes ut eidem in hiis qve circa hanc materiam narraverit, benignam dare velit audientiam: eundem Ottonienſi conventui a noſtris progenitoribus regni Dacie regibus fundato Gardianum preficere, commiſſarium veſtrum ſtatuere, atqve talem ei Autoritatis veſtre partem concedere, per qvalem ipſe ſuiqve in eisdem loco et officio ſucceſſores ad regularem obſervantiam confratres ſuos valeant artare. Devotionem veſtram ad hec ſi bene inclinatam comperimus, religionem ipſam et in ea per regni noſtri circuitum degentes fratres gratiis ac favoribus regiis ubertim fovebimus, promovebimus, amplectemur. Valete feliciter. Ex caſtro noſtro Haffnenſi 14. Novembris Anno &c. 68. Noſtro ſub ſecreto.

CCXXX.

Ordo in oſtenſione ſanctarum reliquiarum in eccleſia Lundenſi.

In collectione Manuſcriptorum Bibliothecæ Regiæ Hafnienſis antiqua, extat ſub No. 2470, Codex Membranaceus, forma 4ta, Seculo XVto ad finem vergente ſcil. poſt A. 1474, maxima ex parte, unius ſcriptoris manu ſat nitida exaratus (vid. *Erichſenii* Udſigt over den gamle Kongl. Manuſcriptſamling p. 101). — Continet iſte Codex *a*) Ordinem in oſtenſione ſanctarum reliqviarum in eccleſia Lundenſi; *b*) Regeſtum literarum Capituli Lundenſis A. 1425; *c*) Summam Indulgentiarum ab Eugenio IVto conceſſarum una cum narratiuncula de conſecratione altarium. Primam partem A. 1819 inter nos commoratus exſcripſit & poſthac cum prooemio et animadverſionibus eruditis edidit b. m. *Sveno Hylander*, Philos. Doctor & Hiſt. Litt. in Academia Lundenſis Docens, ſub titulo: *Catalogus reliquiarum Sanctorum in eccleſia Lundenſi.* Lundæ 1820. 8. — Nos vero nihilominus ſcriptum, qvod ad antiqvitates patriæ noſtræ eccleſiaſticas illuſtrandas haud parum valet, ex dicta editione, cum Autographo denuo collata, ſervatis qvoqve nonnullis Editoris annotationibus, huic Scriptorum Daniæ Corpori inferere haud dubitavimus.

In nomine domini Ordo in oſtenſione ſanctarum reliquiarum que in lundenſi eccleſia continentur obſervandus.

Primo In cruce minore. cuius pes ligneus eſt. que precioſis lapidibus eſt intexta. In foramine habens duas cruces huiusmodi figuracionis.

Sunt XI partes de ligno crucis. in qua mortem ſuſtinuit Iheſus Criſtus

In cruce maiore. que lapidibus precioſis eſt intexta cuius pes cupreus eſt deauratus.

Eſt

Eſt pars de columpna. in qua ligatus & flagellatus erat Criſtus

In cruce parua aurea. precioſis lapidibus intexta. quam obtulit felicis memorie domina Margareta *Dacie Swecie Noruegieque Regina.*

Eſt pars de ligno crucis. in qua paſſus eſt dominus noſter Iheſus Criſtus

Nota hic fit oſtenſio partis ligni ſcilicet crucis domini date per dominam *Dorotheam* reginam Dacie iam poſite in monſtrancia deaurata cum duabus campaniculis pendentibus *).

In corona deaurata spinis circumſepta.

Eſt particula de corona ſpinea. quam in derisionem & obprobrium. portauit dominus noſter.

In monſtrancia criſtallina ſub forma trium turrium argentea deaurata ſunt

De ligno crucis ſancti petri apoſtoli. De brachio ſancti philippi apoſtoli. Item de coſta ſancti mathei apoſtoli & ewangeliſte. Item de ſancto bartholomeo apoſtolo. Item de ſancto thoma apoſtolo. Item de ſancto andrea apoſtolo. Item de ſancto petro apoſtolo. Item de ſancto thadeo apoſtolo. Item de digito ſancti panli apoſtoli. Item de manna ſepulcri beati Johannis apoſtoli & ewangeliſte. Item de ſanctis phillippo & iacobo apoſtolis **). Item vnum os de corpore ſancti laurencii martiris. Item os de ſancto thoma archiepiſcopo cantuarienſi. Item de ſancto willelmo abbate.

In magna monſtrancia criſtallina. circumſepta argento deaurato. intra quam eſt pictura ymaginum

De ſancta petronilla virgine. Item de ſancto mauricio martire. Item de ſancto Zacharia, patre ſancti johannis baptiſte. Item de coſta ſancti benedicti abbatis. Item de ſancto gregorio papa. Item de ſancto georgio martire. Item de ſancta praxede virgine. Item de lecto beate virginis. Item de ſancto laurencio martire. Item de ſancto Andrea apoſtolo. Item de ſancta anna. Item de ſancta euſemia virgine. Item de ſancto barnaba apoſtolo.

In ſcrinio argenteo tricamerato, deaurato. In cuius tecto eſt ymago ſaluatoris crucifixi vna cum ymaginibus beate virginis & beati johannis apoſtoli & ewangeliſte

De veſtimentis beate virginis. Item de ſancto petro. Item de ſancto andrea. Item de ſancto jacobo minore. Item de ſancto phillippo apoſtolo. Item de ſancto georgio martire. Item de ſancto martino Epiſcopo. Item de ſancto bernardo. Item de ſancto ansgario confeſſore. Item de ſancto ceſario martire. Item de ſancto ciriaco martire. De ſancta gertrude virgine. Item de ſancta eucleciana virgine. Item de oleo ſancte katerine virginis. Item de ſancto laurencio martire. Item de ſancto feliciſſimo martire. Item de ſancta Emerenciana virgine. Item de ſancto willehado Epiſcopo & confeſſore. Item de ſancto quiriaco martire.

In

*) Cum hæc verba recentiori adſcripta ſunt manu, veriſimillimum eſt, hanc crucis particulam eccleſiæ Lundenſi, Codice jam confecto, datam fuiſſe. Facili igitur in eam opinionem adducimur, ut Regina Dorothea, uxor Chriſtophori Bavari & deinceps Chriſtiani Imi Romæ A. 1488 commorata, hoc donum a Pontifice romano acceperit.

**) In margine leguntur verba: *& de ceteris apoſtolis.*

In infima cellula. De genu ſancti ſebaſtiani. Item de ſancta agnete. Item de ſancto leonardo. Item de ſancta maria magdalena. Item de capite ſancte cecilie virginis. Item de ſancto bauone. Item de ſancto leuino. Item de ſancto arnulpho epiſcopo. Item de ſancto petro apoſtolo. Item de ſancto nicolao epiſcopo. Item de ſancto ſebaſtiano martire. Item de ſancto vicencio martire. Item de ſancto bertino abbate. Item de ſancto ſymeone juſto. Item de ſancto oswaldo rege. Item de ſanctis felice & nabore martiribus. Item de caſula ſancti liuderi. Item de coſta ſancti vsgori martiris. Item de digito ſancti viti martiris. Item de caſula ſancti lamberti epiſcopi & martiris. Item de ſancto georgio martire. Item de puluere corporis ſancti johannis baptiſte. Item de veſtimentis, in quibus ſepultus fuit ſanctus Remigius Epiſcopus. Item de ſancto godehardo martire. Item magnum os de ſancto Zacharia, patre beati johannis baptiſte. Item de ſancta petronilla virgine. Item de ſancto mauricio martire. Item de ſancto barnaba apoſtolo. Item de pannis beate virginis. Item de ſancto gregorio papa. Item de ſancto andrea apoſtolo. Item de lacte beate virginis. Item de ſancto laurencio. Item de ſancto nicolao confeſſore. Item de ſancta barbara virgine. Item de ſancta anna, matre beate virginis. Item de capite ſancti ſtephani martiris. Item de ſancta euſemia virgine. Item de ſancto georgio martire. Item de coſta ſancti benedicti abbatis.

In monſtrancia parua argentea deaurata ſupra quam ſtant ymagines crucifixi Beate virginis & johannis ewangeliſte

De ſancto andrea apoſtolo. Item de ſancto thoma apoſtolo. Item de ligno crucis ſancti petri apoſtoli.

In monſtrancia criſtallina oblonga argentea deaurata cum quatuor pedibus. In cuius ſummitate ſcriptum eſt maria iheſus.

De ſancto phillippo apoſtolo. Item de ſancto jacobo minore apoſtolo. Item de ſancto thadeo apoſtolo. Item de manna ſepulcri beati johannis apoſtoli & ewangeliſte. Item de coſta ſancti mathei apoſtoli. Item de digito ſancti pauli apoſtoli. Item de ſancto bartholomeo apoſtolo.

In vaſe rotundo argenteo deaurato quod circumquaquam & ſubtus eſt ymaginibus & lapidibus precioſis intextum & circumſeptum

De ligno domini. Item de ſepulcro domini. Item de ſancta maria magdalena. Item de XI milibus virginum. Item vnus dens de legione martirum thebeorum. Item de puluere ſancti dominici. Item de tunica & matta ſancti franciſci. Item vnus carbo ſancti laurencii martiris. Item de ſancto gereone martire. Item de ſancta margareta virgine. Item de ſancto kanuto rege & martire. Item de ſancto ketillo due partes. Item de ſancto jeronimo confeſſore.

In brachio deaurato in cuius manu eſt ſpera rotunda cum cruce.

Eſt Lacertus brachii ſancti kanuti regis & martiris qui fundauit edificauit & dotauit eccleſiam metropolitanam lundenſem.

In ſcrinio magno argenteo deaurato circumquaquam diuerſis animalibus ſculpto.

De ligno domini. Item de ſepulcro domini. Item de ſancto laurencio martire. Item de ſancto blaſio. Item de ſancto bartholomeo apoſtolo. Item de ſancto ponciano martire. Item de ſancto criſtofero. Item de ſancta maria magdalena. Item multa oſſa de XI milibus virginum. Item aliorum plurimorum ſanctorum.

Item

Item ſub lapide iſti ſcrinio appenſo ſunt reliquie.

De ligno domini. Item de ſancto ypolito martire. Item de ſancto valerio epiſcopo. Item de ſancto Liborio epiſcopo. Item de ſancto egidio abbate.

In magna ymagine argentea deaurata ad formam archiepiſcopi infulati, geſtantis pixidem in manu, quam obtulit venerabiliſſimus dominus petrus lycke *archiepiſcopus donatam ſibi per phillippum regem anglie* *).

De ſancto johanne bewerlaco archiepiſcopo eboracenci. Item de ſancto ſigfrido archiepiſcopo eboracenci qui poſtea factus epiſcopus vexionenſis totam ſweciam & partem dacie conuertit ad fidem orthodoxam. Item de ſepulcro domini. Item de beato petro apoſtolo. Item de ſancto cyriaco martire. Item de ſancto gallo archiepiſcopo cantuarienſi. *Hec predicta ſunt in pixide.*

In magno capite argenteo cum corona & capillis deauratis.

Eſt integrum caput ſancti laurencii quondam regis anglie.

In paruo capite argenteo cum mitra epiſcopali. habente humeros.

De ſepulcro domini. Item vnum os de ſancto thoma archiepiſcopo Cantuarienſi martire.

In paruo vaſe argenteo in cuius ſummitate ſculpta ſunt duo capita cum circumferencia deaurata.

De ſepulcro domini. Item de preſepe domini. Item de ſancto bartholomeo apoſtolo. Item de ſancto barnaba apoſtolo. Item de ſancto martino epiſcopo. Item de ſancto clemente papa & martire. Item de ſancta lucia virgine.

In manu argentea deaurata.

Sunt oſſa de digitis ſancti clementis pape & martiris. Item de ſancto laurencio martire. Et de aliis plurimis ſanctis.

In manu argentea habente pennam inter digitos.

Eſt pars digiti ſancti birgitte. Item de ſancta maria magdalena.

In pixide rotunda criſtallina cuius tectura & pes ſunt argentei deaurati.

Vnum os de innocentibus. Item multa oſſa XI milium virginum. Item aliorum plurimorum.

In parua ymagine argentea tenente librum & craticulam.

De ſancto laurencio martire. Item de ſancto benedicto abbate. Item de ſancta margareta virgine. Item de ſancta regina virgine. Item de ſancta florencia virgine. Item aliorum plurimorum.

In cipho alabaſtrino rotundo ſubtus & ſupra deaurato **).

Iſte ciphus commutatus eſt in magnam pixidem deauratam ſupra habentem in pede 4:or lilia deaurata deſculpta.

De

*) Notum eſt, *Petrum Lycke* a:o 1401 legatum in Angliam miſſum eſſe, ut Philippam, filiam Henri IVti Regis, quem Catalogus noſter perperam Philippum appellat, nomine Erici Pomerani, nuptiis ambiret, illumque in hac legatione ſummum Henrici conſecutum eſſe favorem. Valde eſt veriſimile, Regem non ſolum argenteum Archiepiſcopi ſimulacrum, verum etiam ſanctorum reliquias, quas continere perhibetur, ei donaſſe, cum inter alias etiam mentio facta ſit trium Anglorum, in quorum numero collocatum invenimus S. Sigfridum, quem etiam Lundæ titulo Archiepiſcopi Eboracensis honoratum fuiſſe videmus. Caput S. Laurentii, ni fallimur, his reliquiis addidit Henricus, qvod donum Lundenſibus gratiſſimum fuiſſe, facile patet. Verba enim: *quondam regis anglie* ad Laurentium referri non debent.

**) His expunctis, ea, quæ ſubſequuntur, poſtea adjecta ſunt.

De cunabulis domini. Item de coſta ſancti laurencii martiris. Item de ſancto Leone papa. Item de ſancto gregorio papa. Item de ſancto georgio martire.

In ſcrinio eburneo auibus & animalibus circumſculpto.

De ſancto Laurencio martire. Item de lapide in quo ſedit dominus quando jejunauit in monte. Item de ligno paradiſi. Item de ſancto phillippo apoſtolo. Item de ſancto thoma apoſtolo. Item de ſancto iacobo apoſtolo. Item de ſancto Bernado. Item Quatuor coronatorum. Item de tribus Regibus. Item de cilicio ſancti thome cantuarienſis. Item de ſancto gereone martire. Item de ſancto ſeruacio. Item de ſancta cecilia virgine. Item de ſancta agatha virgine. Item de ſancta ſcolaſtica. Item de ſancto philippo apoſtolo. Item de ſancto ſebaſtiano martire. Item de ſancto egidio abbate. Item de ſancto auguſtino epiſcopo. Item de ſancto bonifacio. Item de XI milibus virginum. Item *In vna burſa hic incluſa* ſunt Reliquie quorum nomina ignorantur.

In pixide eburneo ſuper & ſubtus deaurata, cum numero apoſtolorum circumſculpta quam obtulit dominus aſlacus *Epiſcopus bergenſis* *).

De ſepulcro domini. Item de ſancta ſonniua virgine. Item pars mandibuli cum quatuor dentibus de vno ſanctorum martirum in ſcilo. Item de ſancto thoma Cantuarienſi archiepiſcopo & martire.

Sequitur de ſeptem pixidibus eburneis, quarum quelibet minor eſt alia, que oſtendantur gradatim ſecundum quantitates ſuas Incipiendo a maiore & ſic deſcendendo ad minores.

In maxima pixide que habet ſeram cupream & quatuor circulos cupreos ad duo latera. Et in ſummitate tenaculum.

De ſancto kalixto martire. Item de ſancto bonifacio & aliorum plurimorum ſanctorum.

In ſecunda pixide eburnea que nulla eſt metalli materia circumdata.

De capite & barba ſancti petri apoſtoli. Item de capillis ſancti pauli apoſtoli. Item de veſtimentis apoſtolorum petri & pauli & ceterorum apoſtolorum. Item de oſſe ſancti jacobi apoſtoli. Item de coſta ſancti mathei apoſtoli. Item de ſancto phillippo apoſtolo.

In tercia pixide eburnea que habet Nodum cupreum ſupra jn clauſura fracta & ſeram cupream cum quatuor pedibus.

De capillis beate virginis. Item de veſtimentis eius. Item de caliga domini. Item de ſpongia domini. Item de ſepulcro domini. Item de cuna domini. Item terra ſcaturiens de ſepulcro ſancti Johannis apoſtoli & ewangeliſte.

In quarta pixide eburnea habente clauſuram paruam ſine ſera que ſupra habet quatuor tenacula ad modum librorum.

De ſancto Andrea apoſtolo. Item de ſancto matheo apoſtolo. Item de ſancto bartholomeo apoſtolo. Item de ſancto ſilueſtro. Item de ſancto godeardo. Item de ſancto mauricio martire. Item de ſancto ypolito martire. Item de ſancto leodegario martire. Item de ſancto adalberto epiſcopo. Item de

ſancta

*) Aſlacus Bolt Epiſcopus Bergenſis A. 1418-28, poſtea Archiepiſcopus Nidroſienſis.

ſancta cecilia virgine. Item de ſancto bonifacio epiſcopo & ſociis eius. Item de vincencio martire. Item de ſancto thoma apoſtolo. Item de ſancta vrſula virgine. Item de ſancto gereone martire.

In quinta pixide eburnea que ſupra clauſuram in circulo argenteo tres habet cathenas argenteas.

De oſſibus ſancte florencie virginis que vna eſt de XI milibus virginum & aliorum ſanctorum quorum nomina nouit deus.

In ſexto pixide minima exterius depicta per modum Rotarum ſ. agnorum paſchalium.

De ligno domini. Item de ſancto bartholomeo apoſtolo. Item de ſancto ypolito martire. Item de XI milibus virginum.

In ſeptima pixide.

De ſancto willelmo abbate.

In paruo ſcrinio eburneo oblongo cum duobus tenaculis cupreis ſ. clauſura cuprea deauratis.

De ligno domini. Item de ſancto andrea apoſtolo. Item de ſancta cordula virgine. Item de ſancto adriano martire. Item de XI milibus virginum. Item de legione ſanctorum thebeorum martirum. Item de ſancta elizabeth lantgrauia thuringie & aliorum plurimorum ſanctorum.

In vno ouo cum duobus nodis ſ. quatuor circumferenciis deauratis quod modo eſt monſtrancium ex legato domini andree mathie *canonici quondam lundenſis* *).

De oſſe ſancte katerine virginis. Item de ſancto dyoniſio. Item de ſancto Ruſtico. Item de ſancto eleuterio. Item de ſancto kalixto papa & martire.

In alio ouo eiusdem diſpoſicionis quod modo eſt monſtrancium ex donacione domine criſtine de glathſaxe **).

De ligno domini. Item de ſepulcro domini. Item de ſancto bartholomeo apoſtolo. Item de crinibus vnius ſancte virginis. Item plurimorum ſanctorum.

In tercio ouo quod eciam eſt monſtrancium. Ex donacione domini petri hermanni *canonici* ***).

De ligno domini.

In cruce argentea parua que affixa eſt cruci lignee quam dedit Hanes Klingenbergh.

De ligno domini. Item de lapide in quo Criſtus ſanguinem ſudauit. Item de lapide ſupra quem Criſtus cedebatur.

In Criſtallo paruo oblongo habente pedem deauratum ſ. tecturam deſuper ad modum turrium deauratam.

Eſt vnum os de ſancto laurencio.

In ſummo altare ſolent continuo ſtare tria ſcrinia vnum in medio vnum a dextris ſ. vnum a ſiniſtris.

In

*) *Andreas Matthiæ*, Canonicus Lundenſis, eccleſiæ Cryptæ, teſtamento *Lundæ in vigilia S. Laurentii* A:o 1478 facto, legavit *then veſtre bood veed poorten i ſin gard i Malmöghe.*

**) Cfr. *Suhmii* Samlinger til den Danſke Hiſtorie, I. Faſc. 3. p. 25.

***) Ad annos 1465 & 1474 commemoratur hic P. Hermanni in *M. Mathiæ* Serie epiſcoporum eccl. Lund. ed. Bartholino p. 190. 205.

In primo quod ſolet ſtare ad partem altaris ſiniſtram jn cuius ſummitate eſt lapis precioſus quadrangularis griſei coloris.

De ſancta cecilia virgine. Item de ſancta agatha virgine. Item de ſancta valburge virgine. Item de ſancta margareta virgine. Item de ſancta Oda vidua. Item de ſancta daria virgine. Item de ſancta bapſta virgine. Item de ſancta ſpecioſa virgine. Item de ſancta vrſula virgine. Item de ſancta petronilla virgine. Item de ſancta Euſemia virgine. Item de ſancta ſauina virgine trecenſi. Item de ſancta maria magdalena. Item de ſancta barbara virgine. Item de ſancta thauta virgine. Item de ſancta iuliana virgine. Item de ſancta prothaſia virgine. Item de ſancta Lucia virgine. Item de ſancta brigida virgine. Item de ſancta clara virgine. Item de ſancta maura virgine. Item de ſanctis XI milibus virginum.

In alio ſcrinio ſummi altaris, ſupra quod continue ſolet ſtare pixis cum corpore dominico.

De ſancta florencia virgine. Item os de brachio ſancte eufroſine virginis.

In tercio ſcrinio, quod ſolet ſtare ad dextram partem altaris, ſ. ſupra illud crux cuprea cum ymagine eburnea ſ. ymagine beate virginis alabaſtrina *).

Sunt reliquie de multis virginibus & aliis multis ſanctis quæ fuerunt pro magno munere miſſe domino *aſcero* primo lundenſi archiepiſcopo ab epiſcopis terre ſelie **).

Tria ſunt ſcrinia magna, cuprea, que in tribus feretris ſolent portari, diebus rogacionum ſ. letanie maioris circum ciuitatem lundenſem, pro nunc poſita in eminenti loco, prope ſacriſtiam domini archiepiſcopi, ad borealem partem ſummi chori.

In maximo horum trium.

Sunt quaſi omnia oſſa integri corporis ſancti Marini epiſcopi & martiris ***).

In ſecundo ſcrinio quod eſt oblongum.

De ſancto pompegio confeſſore. Item de alba ſancti Ludegeri confeſſoris. Item de ſancto valerio epiſcopo. Item de ſancto bernardo abbate. Item de ſancto germano epiſcopo. Item de ſancto godehardo epiſcopo. Item de veſtimento ſancti benedicti abbatis. Item de ſancto Euaſio epiſcopo. Item de ſancto victore epiſcopo. Item de veſtimento ſancti ſaluatoris. Item de ſancto Rimberto epiſcopo. Item de ſancto Agricio epiſcopo. Item de ſancto martino epiſcopo. Item de ſancto Eleutherio epiſcopo. Item de ſancto theodorico epiſcopo. Item de ſancto egidio epiſcopo confeſſore. Item de ſancto marciali. Item de ſancto ſymeone confeſſore. Item de ſancto Robino epiſcopo. Item de ſancto Leuchonio epiſcopo. Item de ſancto Euodio epiſcopo. Item de capite ſancti ſilueſtri pape. Item de ſancto Joſeph ab arimathia. Item de ſancto alexio confeſſore. Item de ſancto melano confeſſore. Item de ſancto aurelio epiſcopo. Item de ſancto epyphanio confeſſore. Item de ſancto theodorico epiſcopo. Item de

*) In margine legitur: *olim.*

**) De hac terre Selie vide conjecturam *Suhmii* Hiſt. Dan. Tom. V. p. 506.

***) De S. Marino ejusqve in Dania cultu, vide qvæ ex breviariis danicis contulit *Hylander* in hoc *Catalogo reliqv. Lundenſ.* p. 32-34.

de ſancto nicolao epiſcopo. Item de ſancto modowaldo epiſcopo. Item de brachio ſancti malachie epiſcopi ſcotenſis. Item de ſancto Epyphanio Epiſcopo. Item de ſancto euticio epiſcopo. Item de ſancto legoncio epiſcopo. Item de veſtimento ſancti ſeruaſii epiſcopi. Item de ſancto auguſtino epiſcopo. Item de barba ſancti nicolai epiſcopi. Item de oleo tumbe ſancti nicolai epiſcopi. Item de ſancto leuino confeſſore.

In ſcrinio quod eſt triginta duabus ymaginibus vndique circumſtipatum habente loco pedum quatuor leones fuſiles.

De ſancto criſtofero martire. Item de ſancto georgio martire. Item de ſanctis Cosma & Damiano martiribus. Item de oſſibus ſanctorum maurorum martirum. Item de ſancto ruffino martire. Item de ſancto vicencio martire. Item de ſancto manſueto martire. Item de ſanctis nazario & celſo martiribus. Item de ſancto firmino martire. Item de ſancto nicomede martire. Item de ſancto mauricio martire. Item ſanctorum thebeorum martirum. Item cancianorum martirum. Item de ſancto agilulfo martire. Item de ſancto clemente mentenſi epiſcopo martire. Item de ſancto euſtachio martire. Item de ſancto clemente papa & martire. Item de ſancto ignacio epiſcopo & martire. Item de ſancto ceſario epiſcopo & martire. Item de ſancto theodoro martire. Item de ſancto ſigismundo rege & martire. Item de ſanctis tiburcio & valeriano martiribus. Item de ſancto gereone martire. Item de veſtimento ſancti georgii martiris. Item de ſancto agapite martire. Item de ſancto kalixto papa & martire. Item de ſancto gangulpho martire. Item de ſancto panthaleone martire. Item de ſancto appollonare martire. Item de puluere ſancti aniani martiris. Item de ſancto ciriaco martire. Item de ſancto blaſio martire. Item de ſancto Johanne baptiſta. Item de ſancto hermolao martire. Item de ſanctis albino maurino Romano & ypolito martiribus. Item de ſancto alexandro martire. Item de ſancto anaſtaſio epiſcopo & martire. Item de ſanctis fabiano & ſebaſtiano martiribus. Item de ſancto memorio martire. Item de ſanctis Johanne & Paulo martiribus. Item de ſancto vito martire. Item de ſanctis naborio & felice martiribus. Item de ſancto pancracio martire. Item de coſta ſancti ſimphoriani martiris. Item de ſanctis criſpino & criſpiniano martiribus. Item de veſtimentis eorum cum ſanguine. Item de ſancto innocencio martire. Item de ſanctis ferreolo & ferruco martiribus. Item de ſancto ruſo martire. Item de ſancto nazario martire. Item de ſancto fortunato martire. Item de ſancto dyonifio martire. Item de ſancto potenciano martire. Item de ſancto adriano martire. Item de ligno ſuper quod decollatus eſt ſanctus Johannes baptiſta. Item de camiſia ſancti mauricii martiris. Item de ſanguine ſancti mammetis martiris. Item de ſancto pimmeo martire. Item de ſancto Johanne baptiſta. Item de ſancto quintino martire. Item de ſancto firmino epiſcopo & martire. Item de ſanctis juſto & archonio martiribus. Item de ſanctis felice & adaucto martiribus. Item de oſſe ſancti alexandri martiris. Item de innocentibus. Item de ſancto theodorio martire. Item de ſancto mauricio martire. Item de ſancto ſixto papa & martire. Item de carbonibus ſancti laurencii martiris. Item ſancto ſebaſtiano martire. Item de ſanctis geruaſio & prothaſio martiribus. Item de ſancto blaſio epiſcopo & martire. Item de ſanctis johanne & paulo martiribus. Item de ſancto ypolito martire. Item de veſtimento ſancti olaui regis & martiris. Item de ſancto mauricio martire. Item ſanctorum laurencii clementis

tis & flori martirum. Item de ſancto victore martire. Item de ſancto georgio martire. Item de ſancto criſtofero martire. Item de lapide ſancti ſtephani martiris. Item de ſancto albano martire. Item de ſancto quiriaco martire. Item ſanctorum innocencium martirum. Item quatuor coronatorum. Item ſanctorum mauricii ſociorumque eius martirum. Item de ſanguine ſancti luciani martiris. Item ſanctorum cancianorum. Item ſanctorum tiburcii & valeriani martirum. Item ſanctorum cosme & damiani martirum. Item de coſta ſancti vicencii martiris. Item de ſancto ruſo martire. Item de cinere corporis ſancti johannis baptiſte. Item de ſanctis felice & agapito martiribus. Item de ſancto laurencio martire. Item de ſancto vrbano papa & martire. Item de ſanguine ſancti vincencii martiris. Item de ſancto apollinare epiſcopo & martire. Item de ſancto clemente papa & martire. Item de ſanguine ſancti ſtephani martiris. Item de ſancto cyriaco martire. Item de ſancto kalixto papa & martire. Item ſanctorum mauricii ſociorumque eius. Item de ſancto pancracio martire.

In dente eburneo pendente ſub maiore cruce in medio eccleſie lundenſis & ouo ſibi ſuprapoſito.

De crinibus ſancti kanuti regis & martiris. Item de ſancto johanne criſoſtomo. Item de ſanctis cosma & damiano martiribns. Item de pollice ſancti geroncii epiſcopi & martiris qui requieſcit in eccleſia ſancte virginis magdeburgenſi. Item de ſancto autore treuerenſi archiepiſcopo qui requieſcit in eccleſia ſancti egidii brunſwigh. Item de coſta ſancti ſilueſtri & de manipulo eiusdem. Item de ſancta ſcolaſtica virgine. Item de ſancto egidio abbate.

In ſacriſtia ſunt tria ſcrinia lignea que ſolent ſtare in infimo loco reliquiarum ibidem.

In horum maximo habente duas ſeras cupreas deauratas in cuius ſummitate affixum eſt vnum ſcrinium paruum eciam ligneum habens ſeram cupream deauratam.

Eſt caput vnius de XI milibus virginum. Item de cuculla ſancti benedicti abbatis. Item de cuculla ſancti willelmi abbatis. Item de ſancto vincencio martire. Item de ſancto nicolao epiſcopo. Item de ſancto felice martire. Item de ſancto Luca ewangeliſta. Item de ſancto tyrſo martire. Item de ſancto ſtephano prothomartire. Item de ſancto jacobo niceroſo *). Item de ſancto abraham patriarcha. Item de ſancto yſaac. Item vnum os de dorſo beati ansgarii epiſcopi. Item de ſancto mauricio martire.

Inſuper tempore ſiccitatis ingruentis quando hoc ſcrinium portatur in proceſſionibus, dignatur dominus deus ſuos ſupplices pro pluuia orantes ob merita ſuorum ſanctorum, miſericorditer exaudire.

In ſecundo ſcrinio cipreſſino, cuius clauſura eſt fracta non habens ſeram.

Sunt quaſi omnia oſſa corporis ſancte eufroſine virginis.

In tercio ſcrinio habente clauſuram integram cum ſera inutili.

Sunt pro maxima parte quaſi omnia oſſa corporis ſancte florencie virginis **).

In monſtrancia de berillo cuius pes & circumducture ſunt de puro auro,

*) Subſtituendum forte: interciſo.

**) Cfr. *Hylander* l. c. p. 39-42.

auro, quam obtulit ſereniſſimus princeps dominus Olauus, Dacie Noruegieque rex *).

De ſancto jacobo minore apoſtolo. Item de ſancto phillippo apoſtolo Item de ſancto leone papa martire. Item magnum os de ſancta martha hoſpita Criſti. Item de ſancta criſtina virgine. Item de terra & pinguedine ſancti laurencii tincta ſub craticula tempore martirii ſui.

Cappa ſancti kanuti regis & martiris.

In parua cruce argentea, quam dedit dominus boëcius ſommer *canonicus.*

Multorum ſanctorum reliquie reconduntur, quorum nomina non ſciuntur.

In magna ymagine argentea ſancti laurencii quam dedit domina criſtina de glathſaxe **).

Sex partes de XI milibus virginum. Item de ſancto gregorio mauro. Item de ſanctis caſſio & florencio martiribus, ſociis ſancti victoris.

In ymagine ſaneti kanuti regis & martiris argentea deaurata quam dedit nicolaus twonis *quondam camerarius curie lundenſis* ***).

Eſt vnus articulus, manus ſancti kanuti regis & martiris.

In Nuce nigra cum turri argentea & pede argenteo.

Vna mandibula de XI milibus virginum.

In ymagine argentea ſancte barbare, quam contulit nobilis matrona domina barbara *relicta domini* ſtigoti militis ****).

Reliquie multe de XI milibus virginum, de collo vnius earum. Item de coſta. Item de digito. Item vnus dens cum aliis quatuor notabilibus partibus de eisdem XI milibus virginum. Item de digito ſancti adriani martiris.

Has reliquias transmiſit dominus jacobus Garrer *canonicus lundenſis, cum ceteris in ſtudio colonienſi.*

Ceterum in multis aliis locis & precipue in altaribus conſecratis huius eccleſie que ſunt circiter lxta ſunt multorum ſanctorum recondite reliquie precioſe. Et quia precepit dominus moyſi calciamenta pedum ſuorum ſoluere cum locus in quo ſtaret ſanctus erat, Conſilium eſt, vt quisque, ſua mundata conſcienſia nec non rugoſis mundanarum affectionum & peccatorum pellibus per veram confeſſionem depoſitis, dominum deum in ſanctis eius in hoc loco reuereatur & laudet cuius domus domus oracionis vocabitur, quamque decet in dierum longitudine precipua ſanctitudo. Ideo quod in ea a variis colloquiis & ſcurrilitatibus foret non immerito abſtinendum. Rogemus igitur ipſum dominum deum, vt ob merita ſanctorum ſuorum quorum hic conitnentur reliquie, domum iſtam & habitantes in ea, nec non deuote confugientes ad eandem in viriusque hominis ſoſpitate, cuſtodiat & conſeruet. Inſuper vt animabus fidelium quorum hic corpora ſunt depoſita, ſit clemens & propicius, qui viuit benedictus in ſecula ſeculorum amen.

Demum,

*) Cfr. *M. Mathiæ* Series epiſc. Lund. p. 159.

**) Cfr. ſupra.

***) De curia Lundenſi cfr. *Bring* Diſſ. de templis Lundenſibus (Lundæ 1756. 4to) p. 23.

****) Forſan *Barbara Brahe* uxor *Stigonis Krognos.*

Demum, preter quotidianas indulgencias huius ecclefie, Indulgencie feptem annorum & totidem quadragenarum a Bonifacio papa nono, deuote hanc ecclefiam vifitantibus, hodierno die in nomine domini mifericorditer condonantur *).

Eugenius papa quartus dat omnibus hanc ecclefiam, die oftenfionis reliquiarum deuote vifitantibus, omnes indulgencias feſti corporis Criſti, que jam ſunt duplate per dominum Martinum papam quintum & vltra hoc cc:tos dies.

Item viginti quinque anni cum tot quadragenis, quos & quas illuſtriſſimus rex danorum &c. Criſternus inpetrauit in & exiens in curia Romana Anno jubeleo videlicet mcdlxxv:to **).

Quotidiane jndulgencie huius ecclefie xlij milia dierum cxx dies due carene duo anni penitenciales & tercia pars neglectorum.

In Criſtallo continentur reliquie. Sancti laurencii. Sancti bartholomei apoſtoli. Sancti Jacobi apoſtoli. Sancti Thome apoſtoli. Sancti gereonis martiris. Sancti ſebaſtiani martiris. Sancti Januarii martiris. Quatuor coronatorum Bonifacii epiſcopi & martiris. Sancti philippi martiris Egidii confeſſoris. Sancti Auguſtini epiſcopi & confeſſoris. Sancti ſeruacii epiſcopi. De pilis malachie abbatis & beati bernardi abbatis. De tribus regibus. Sancte cecilie virginis. Sancte agathe virginis. Sancte ſcolaſtice virginis. De XI milibus virginum. De veſtibus ſancti Thome epiſcopi cantuarienſis. De ligno paradiſi. De lapide in quo ſedebat dominus quando jejunauit.

Reliquie ſanctorum Laurencii cosme & damiani. Pauli apoſtoli. Bartholomei apoſtoli. vincencii martiris. De corpore ſancti jacobi apoſtoli. Sancti andree apoſtoli. Sancte marie Fabiani & ſebaſtiani. De corpore ſancte Ce (Cecilie?). De corpore ſancti fixti ſancte petronille virginis. Sancte agnetis. Sancti Ciriaci. Sancti viti. Sancti Briccij.

Indulgencie ſancte lundenſis eccleſie.

Dominus Eugenius papa quartus dat omnibus Criſti fidelibus vere contritis & confeſſis lundenſem eccleſiam deuote viſitantibus & ad eius conſeruacionem manus porrigentibus adiutrices. In feſtis beatorum laurencii & kanuti regis martirum. Quatuor annos indulgenciarum & totidem quadragenarum nec non in feſtis Natiuitatis Criſti Circumciſionis Epiphanie. Paſſionis Reſurrectionis Aſcenſionis Pentecoſtes Trinitatis Corporis Criſti. Concepcionis beate Marie virginis Natiuitatis Annunciationis. Viſitacionis Purificacionis & aſſumpcionis eiusdem. Ac eciam in feſtis Inuencionis & exaltacionis ſancte crucis Et ſpinee corone Criſti. Sed & in feſtis beatorum Johannis baptiſte Duodecim apoſtolorum. Quattuor ewangeliſtarum. Quattuor ſanctorum doctorum Sanctarumque Marie magdalene Elizabeth & Birgitte. Omnium ſanctorum. Commemoracionis animarum et *oſtenſionis reliquiarum.* Eciamque in feſtis ſanctorum Nicolai Martini Marini katerine Eufroſine florencie virginum Et ſingulis diebus infra

*) Hæc bulla Bonifacii IXmi extat in *Bring* Monum. ſcanenſibus I. p. 96.

**) Indigitantur ſine dubio Litteræ Papæ Sixti IV. in *Bring* Samling af adſkilliga Handlingar, ſom kunna gifva Lius i Svänſka Hiſtorien I. p. 127.

infra dictorum ſanctorum octavas ducentos dies indulgenciarum perpetuis temporibus. Idem dominus Eugenius papa concedit omnibus & ſingulis Lundenſem eccleſiam in feſtis aſſumpcionis beate virginis Sancti laurencii, Sancti kanuti et ſanctarum reliquiarum deuote viſitantibus ac ad eius conſeruacionem manus porrigentibus adjutrices, Nec non hiis qui oſtenſioni reliquiarum interfuerint, Indulgencias conceſſas pro ſingulis horis feſtiuitatis corporis Criſti perpetuis temporibus duratur. Prefatus eciam papa concedit vt in eccleſia lundenſi a principio octobris vsque ad principium aprilis poſt cantatas matutinas poſſint due miſſe ſecundum ordinacionem capituli lundenſis ante auroram ſucceſſiue & continue perpetuo celebrari. Non obſtantibus conſtitutis apoſtolicis vel aliis contrariis quibuscunque. In feſto corporis Chriſti et poſt octavas Indulgencie ſunt duplate per Dominum *Martinum* papam quintum. Indulgencie ſeptem annorum et totidem quadragenarum a Bonifacio papa nono in die oſtenſionis reliquiarum deuote hanc eccleſiam viſitantibus condonatur. Quotidiane indulgencie hujus eccleſie XLII milia dierum CXX dies, due karene II anni penitenciales et tercia pars neglectorum.

CCXXXI.

Excerpta ex regeſto tabularii eccleſiæ Lundenſis, A. 1425.

Noſtre collectionis Tom. VIImo pag. 247-63. editum eſt *Tabularium eccleſiæ Lundenſis*, juxta exſcriptum Codicis membranacei in Archivo Antiquitatum Holmenſi ſervati, cum binis aliis apographis collatum. Editorem vero tunc latuit, aliud & qvidem antiqvius regeſtum literarum capituli Lundenſis, exſtans in eodem codice membranaceo Bibliothecæ Regiæ Hafnienſis, No. 2470, cui debetur *Ordo in oſtenſione reliqviarum* ſupra typis excuſus. Ex iſto autographo, haud pauca, qvæ in ſuperiori *Tabulario* deſiderantur, hic prodeunt, additis qvoqve nonnullis lectionibus et additamentis, qvibus dicta recenſio vel emendatur vel augetur.

Ex antiquo regiſtro capituli ſeqvitur de verbo ad verbum.

In nomine Domini Amen. Anno nativitatis Ejusdem MCDXXVto. Littere que in ſacriſtia capituli protunc reperiebantur, ad certa repertoria, per ordinem & annotacionem alphabeticam ſunt reducte, vt a querentibus eo facilius valeant inueniri.

Littere papales.

In primo ſcrinio cui A rubeum eſt affixum, ſunt hec littere.

A.

Indulgencie date a *Bonifacio* .... aſſiſtinatis. Cujus copia ſervatur in aſſere pendente in ſacriſtia.

Di-

Diſtaxacio.... *Martini quinti.* procurata per Dominum *Petrum Lucke* Archiepiſcopum Lundenſem a Domino *Martino* papa *quinto.*

Littere indulgenciarum.... et de quatuor confeſſoribus eligendis confeſſiones Audituris. Tranſumptum literarum *Gregorii* XI.

Indulgencie *Eugenii* Pape date ad feſtum corporis Chriſti. Copia hujus pendet in eccleſia.

Priuilegia regum pro capitulo.

A.

Littere Domini *Kanuti* Regis ſuper quibusdam bonis et libertatibus etc.

Littere *Woldemari* ſecundi ſuper libertatibus et debito eſtiuali. De areis ciuitatis Lundenſis, datæ capitulo.

Priuilegium *Erici* regis ſuper libertatibus colonorum datum capitulo in ſua coronacione.

Secundum priuilegium ejusdem *Erici* ſuper libertate &c.

Confirmacio priuilegiorum capituli per eundem Ericum regem.

Priuilegium capituli ſuper VI. haffnas datum capitulo, per *Woldemarum* regem.

Littera *Tetleui Daa* ſuper *Slotzlaghen* Hamershuſs.

Confirmacio priuilegiorum capituli per *Johannem* regem Dacie.

Priuilegia regum pro capitulo et incolis regni.

B.

Olaui regis et *Margarite* matris ſue ſuper pace et tuicione incolarum regni et precipue cleri eccleſie daciane, ſub juramento.

Kanuti regis de iuſticia rapine, furti, vulnerum, homicidii et quibusdam aliis.

(*manu recentiori*) litera ſuper bonum in *Ondorpp* ad a. (anniverſarium?) nobilis viri *Stigoti Andree.*

Priuilegia Archiepiſcoporum pro capitulo.

C.

Priuilegium *Petri* Archiepiſcopi ſuper gracia per ipſum Capitulo Lundenſi facta.

Littere *Karoli* Archiepiſcopi ſuper CC marcis denariorum de decimis in *Gythingeheret* pro canonicis reſidentibus.

Statutum Domini *Petri Lucke* Archiepiſcopi, quod ſeniores canonici reſidentes optent prebendas meliores decedencium.

Item priuilegium *Eſkilli* ſuper opcionibus.

Juramentum Domini *Birgeri* Archiepiſcopi.

Littere regum pro capitulo et incolis regni.

D.

Priuilegium ſuper libertate et gracia data clero et incolis regni Dacie, per Dominum *Olauum* regem filium illuſtriſſime *Margarete* regine.

Littere ejusdem Domine *Margarete* regine, quod bona eccleſiaſtica in exactione *Lindholm* non graventur hoſpitalitate, tributis etc.

(*manu recentiori*) Littera permutaciõnis vnius curie capituli in *Nöbölæ* cum alia jacente in *Walkerrlæ* quæ fuit monaſterii *omnium ſanctorum*.

Littere Archiepiſcoporum pro capitulo et clero dyoceſis Lundenſis.

E.

Priuilegium *Petri* Archiepiſcopi pro heredibus et teſtamentariis canonicorum decedencium.

Priuilegium eiusdem *Petri* Archiep. ſuper hereditate et eccleſiis ſacerdotum parochialium in Lundenſi dioceſi moriencium.

Item littere due ſuper quadam curia in parochia *beati Johannis* Lundis ad Anniuerſarium Domini *Achonis Gunnari* donata et pro reſidencia perſone altaris Sancte Margarete deputata.

(*manu recentiori*) Item IIII. littere ſuper vna curia in parochia beate virginis apud *Glambech* quam nobilis matrona Domina *Catherina Michell Nielſſöns* Datther contulit in teſtamento ſuo ad altare ſancte Margrete virginis vt in teſtamento quod eſt apud Dominum *Petrum Scriffwære*.

In nomine Domini ſequitur de anniuerſariis.

F.

Littere *Magni* regis Suecie ſuper XVI. marcis denariorum dandis annuatim capitulo Lundenſi de moneta, ad anniuerſarium regum.

Item anniuerſarium regis *Woldemari*.

Littere *Criſtofori* regis ſuper X marcis den. de moneta Lundenſi annuatim dandis pro anniuerſario ſuo.

Due littere ſuper vna curia in parochia *beati Thome* Lundenſis ad anniuerſarium Domini *Petri Johannis* Archiepiſcopi Lundenſis.

Scotacio ſuper bonis in *Kagerop* facta Domino *Folquino* prepoſito Lundenſi.

Item littera ſuper una curia *Billegerghe* (*Billeberghe?*) ad anniuerſarium *Petri Brawde* et vxoris ſue et ceterorum.

Fundacio et inſtitucio Archidiaconatus et quarundam prebendarum per Dominum *Eſkillum* Archiepiſcopum et quod certis diebus pro .... caritate cantetur Chriſtus vincit.

Quittancia Domini *Nicolai Claweſſön* militis de *Ellinge* ſuper depoſitis apud capitulum Lundenſe.

(*manu recentiori*) Littera ſuper vna curia in *Benſtrop* que attinet prebende *Eſkilſtrop*.

G.

Super bonis in *Borndeholm*, datis per Dominum *Johannem Ericsſon* militem, de quibus teneantur quatuor anniverſaria. Item in litteris de quantitate et qualitate terrarum agrorum et pratorum.

Vna curia in *Öſtrawram Gersheret* pro anniuerſario Domine *Adhlæ Korning*.

Vna curia in *Wantſiathathorp*, vna in *Liongby* et vna in *Öthelöff*, pro anniuerſario *Nicolai Joſeppſſon* in *Gulöſe* et vxoris ſue.

Adjudicacio bonorum in *Othenſware* ad capitulum per Dominum *Ericum* regem.

Littere *Criſtierni* regis Dacie ſuper vna curia in *Hæliarp* parochie *Atheſaas*.

Anniuerſaria clericorum.

H.

Vna curia in *Rosleff* pro anniuerſario Domini *Petri Tordſſon* Canonici.

I.

Vna curia in parochia beati Nicolai Lundis pro anniuerſario Domini *Laurencii Pauli* presbiteri.

Super muracione Malmogis pro bonis Archiepiſcopi et capituli, ibidem.

Inſtrumentum priuilegiorum Domini *Karoli* ſuper CC marcis ſcanienſibus et ſuper homicidalibus.

K.

Anniuerſarium Domine *Sophie* de *Gerſznes* et Mariti ſui *Nicolai Oleſſſon* de duabus curiis, una in *Nyböle* et alia in *Öſtra Gordſtange*. (*add. alia manu*: ex libro Domini *Magni*).

L.

Donacio quorumdam bonorum ad menſam canonicorum per Dominum *Aſcerum* Archiepiſcopum, videl. *Wæſom*, *Aby*, *Hammer*, *Werpinge* cum molendino. Item *Fridhart*. Item *Giortzhoy* vna curia. Item vna curia in *Heruezſiatha*. Item quod inſtituit duas prebendas ſcil. *Raby* et vnam aliam. Item quod et conſecrauit eccleſiam cripte.

Fundacio cujusdam prebende in eccleſia Lundenſi de terra valente LX marchas per *Ericum* regem.

Fundacio prebende canonicalis per Dominam *Ceciliam Henriks* que dedit ad menſam canonicorum bona in *Swenarp* et *Karſtorp*. Item in *Trane*, item in *Vddarp*, item in *Hælſiarp*, item curiam in *Medhleſie grawie*, item vnam coloniam in *Biellorp magle*. Item ad diſtribuciones in choro dedit vnam curiam cum II. coloniis in *Hunabergh*, item *Heſleholt* et *Brekenryth*, item II. curias in *Gryſie*, cujus anniuerſarium teneatur de vna curia in *Medhleſie grœwie*.

Fundacio prebende canonicalis per Dominum *Helhenricum* ciuem lundenſem de bonis in *Heſlebergh*.

Littera Domini *Andree Mathie* canonici lundenſis, ſuper vna taberna curie ſue in *Malmöye* in *Tweſirœdith* data eccleſie cripte lundenſis capellano et miniſtro ejusdem pro cantacione alma redemptoris ante miſſam et Salue regina poſt miſſam.

N.

Super eccleſiis *Skanör* littera ſub ſigillo Regis *Woldemari*.

Annexio eccleſie *Skreplinge* ad cantoriam.

Bona feſtorum.

O.

Scotatio bonorum in *Werpinge* facta Domino *Nicolo Gregorio* Canonico.

Super bonis in *Werpinge*, *Bruſarp* et *Flakkarp* ad feſta corporis Chriſti, conceptionis beate virginis et Mathie Apoſtoli. Item littera ſuper commutacione eorundem bonorum in alia bona videl. *Kneeſtorp*, *Arendale* et *Weſtrabiellorp*.

Bona prelatorum.

P.

Super bonis *Hiærtzaſſ* et *Knytzlinge* ad prepoſituram.

Quod hoſpitalia ſancti ſpiritus et leproſorum pertinent ad archidiaconum.

Littere Domini *Karoli* Archiepiſcopi moderantes fundationem et inſtitucionem cantorie factam per Dominum *Eſgerum* Archiepiſcopum.

Scotacio vnius curie in *Maglehammer* ad cantoriam.

Littere ſuper vna curia in *Arrie* ad feſtum S. Eraſmi et vna colonia in Hindby parochie Foſie.

Bona prebendariorum et ad miſſam Rorate (?).

Q.

Scotacio bonorum prebendariorum per Dominum *Jacobum* Archiepiſcopum ſ. in *Howithſtorp*, *Dauſtorp*, *Sœrithslöff*, *Nörhwidingc* et molendini *Trœhöye*.

Super quibusdam terris in *Lumma* datis ad bona ſcolarium.

Super vna curia in *Dauſtorp* data ſcolaribus prebendariis per *Gwidonem* Decanum pro XII. pſalteriis legendis in anniuerſario ſuo.

Confirmacio donacionis bonorum prebendariorum per Dominum *Eſgerum* Archiepiſcopum.

Item vna littera ſuper limitacione agrorum, pratorum etc. eorundem bonorum.

Littere ſuper vno pomerio contiguo curie capituli Lundenſis in quo quendam *Jens Perſſon* proconſul *Malmogenſis* habitabat, circa domum ſancti ſpiritus *Malmogis*.

Littere *Criſtine* relicte ejusdem proconſulis *Jens Perſſon* ſuper eodem pomerio.

Inſtitutiones altarium eccleſie Lundenſis.

R.

Fundacio capelle beati Dijoniſii, de qua teneantur anniuerſaria Dominorum *Karoli* et *Yſerni* Archiepiſcoporum. Iſte littere ſunt duplate.

Item littere ſuper reſidencia ejusdem capelle in parochia beati Michaelis Lundis.

Auctoriſatio et confirmacio fundacionis et dotacionis altaris Domini *Holmgeri* per Dominum *Petrum* Archiepiſcopum.

Altare beati Johannis baptiſte in cripta, de quo teneatur anniuerſarium *Johannis Karlſſon* de lata platea, ciuis Lundenſis. Hujus altaris inſtitucionem habeat Decanus Lundenſis.

Collacio bonorum in *Gedinge*, *Hakonthorp* et *Öriæ*, ad altare beati Stephani. Item ſuper vna curia in parochia beati Petri late platee ad idem altare.

Colla-

Collacio bonorum in *Odarslöff* et *Rasryth*, ad altare Domini *Trugoti* prepoſiti, quod tutor fabrice preſentabit. Item anniuerſarium ejusdem Domini *Trugoti* tenebit fabrica de bonis in *Sandby*.

Teſtamentum Domini *Haquini* Archidiaconi ſuper dotacione altaris S. Vincencii, cujus inſtitucio pertinet ad Decanum. Item anniuerſarium ejus teneatur de vna curia in *Tattorp* et alia in *Litlœhamer*. Item Anniuerſarium patris ſui *Karoli* tenebit fabrica de bonis in *Lokkarp*.

S.

Altare *Johannis Pa* et *Andree Jacobi* Armigerorum, vnde teneantur anniuerſaria eorum cum VIII. marcis denariorum. Quod jam non eſt in vſu.

T.

Scotacio trium fundorum in *Skanör* ad altare vbi cantant ſcolares in ſabbato.

U.

Bona altaris S. Thome Cantuarienſis iuxta gradus, vnde teneatur Anniuerſarium Dominorum *Kanuti* et *Petri Helgonis* canonicorum. Super hiis ſunt littere XII.

De teſtamentis Anniuerſaria.

X.

Teſtamentum Domini *Gwidonis* Decani ſuper bonis quæ legauit Decanatui et pro anniuerſario ſuo.

Teſtamentum Domini *Mathei* Canonici ſuper vna curia in parochia beati Thome Lundis pro anniuerſario.

Teſtamentum Domini *Tychonis* Malmogenſis canonici, cujus Anniuerſarium teneatur de vna curia in *Akathorp* et vna curia in *Malmogia*.

Teſtamentum Domini *Gotonis* Canonici ſuper vna curia in *Lokkorp* quam procurator fabrice ſub ordinacione ſua habebit et in ſuum teneat Anniuerſarium, daturus ad altare beati Stephani V. marcas denar.

Teſtamentum Domini *Magni Kempe* Canonici Lundenſis ſuper vna curia Malmögis in qua *Jes Hwith* pro nunc inhabitat.

Teſtamentum nobilis viri *Andree Galyn* ſuper quinque curiis in *Öye* prope *Yſied* in *Herritzſiadheret* cum quinque litteris ſuper eisdem bonis ad altare ſancti Johannis Ewangeliſte, boreali parte eccleſie inter altaria ſancte Anne et beate Marie Magdalene.

Concilia prouincialia et ſtatuta.

Y.

Fulminacio excommunicacionis contra raptores epiſcoporum per Dominum *Johannem* Archiepiſcopum.

Defenſio curie capituli in *Nörhwidinge* dicta *Laghehœftznefnd* facta per Dominum *Folquinum* prepoſitum.

Adiudicacio cujusdam curie capituli in *Nörhwidinge*.

Placi-

Placitaciones nobilium Dacie et Handfeſtningh.

Z.

Copia priuilegiorum regum Dacie pro eccleſia Lundenſi et terra Scanie.
Vidiſſe priuilegiorum regum Dacie datorum Capitulo Lundenſi.
Handfeſtningh Domini *Woldemari* regis, ſine ſigillo.
Inſtrumentum publicum ſuper libertatibus et priuilegiis regis *Magni*.
Item Vidiſſe ſub manu publica litterarum ejusdem regis.
Intimatio prelatorum Dacie facta Domino Pape pro interdicto relaxando propter *Johannem Grand* Archiepiſcopum.
Vidiſſe ſuper libertatibus datis Capitulo per Dominam *Margaretam* reginam.
Decretum electionis Domini *Nicolai* Archiepiſcopi.
Due littere ſuper vna curia in *Malmogis*, ſcotata Capitulo lundenſi per *Henricum Teilſtorp*.

Littere contente in ſcrinio in cujus tecto eſt ſculptum ſubſcriptum *Jepp Nielſſon*. Sunt ſuper vna curia Malmogis ſita, quam quidam Dominus *Jacobus Nicolai* dictus de *Renge*, perpetuus vicarius Lundenſis contulit ad altare ſancte trinitatis, quod de facto habet et poſſidet ibidem ſub teli condicione, quod perſona ejusdem altaris poſt mortem ejus omni ſeptimana feria VIta vnam miſſam de ſancta cruce celebret vel faciat celebrari.

Littere contente in ſcrinio, in cujus opertorio eſt ſculptum *Hennike*. Sunt ſuper fundacione vnius altaris beate virginis in eccleſia Malmogenſi in eccleſia ſancti Petri, fundati per quendam Dominum *Hennikinum* . . . eccleſie *Foſie* in *Oxieherret* curatur una cum litteris originalibus et ſcotacione vnius curie Malmogis ſituati &c. Item quod Archiepiſcopus qui pro tempore fuerit, habeat conferre idem altare et quod predictus Dominus *Henichinus* habeat preſentare perſonam ydoneam infra ſacros conſtitutam de parentela ſua vtriusque ſexus.

Emendationes & Additamenta ad recenſionem ſuperiorem Tom. VII. p. 247 ſq. ex præſenti Autographo.

p. 251. Lin. 22 a fine: *pro* de ſtatu, *Cod. noſter legit* ſuper cantu.
p. 252. Lin. 12: Velgonis l. Helgonis.
— Lin. 13 a fine: Thorkilli add. Nielſſon.
p. 253. Lin. 2: Johannis Wlff l. Wlfſſon.
— Lin. 7: Frugoti Haas l. Thrugoti Haſs.
— Lin. 20: Nicolai Beintſon *add.* Armigeri.
p. 254. Lin. 5: Jacobi Jermer *add.* Canonici.
— Lin. 10-11 a fine: Margarete Strangisdother *add.* tenendo cum vna marca argenti.
p. 256. Lin. 23: Hakonathorp *add.* ad capitulum cum *Petro Saxtorp* pro menſa Canonicorum.
— Lin. 24: Boltofft *add.* ad menſam Canonicorum.
p. 258. Lin. 10: Conventus Dalbyenſis *add.* de vna curia in *Treleburg*.

p. 259.

p. 259. Lin. 22: *pro* per Dominum Aſcerum, cujus Anniuerſarium l. vnde teneatur Anniuerſarium Domini *Torberni* presbiteri.

p. 260. Lin. 12: in Herslöff *add.* ad altare beate virginis prope introitum cripte.

— Lin. 20: medio pauimenti *add.* Et tres littere ſuper bonis in Malmogis datis ad idem per Dominum Jacobum Archiepiſcopum. Et alie littere fundacionis, dotationis et collacionis habentur ibidem.

— Lin. 11 a fine, *Kiædemadh* add. contiguo *Hæſtahagen.*

p. 262. Lin. 11: in *Malmoghe* pro ſuo anniuerſario *add.* de quibus teneantur anniuerſarium ſuum et *Bertoldi Pil* cum vxore ſua.

CCXXXII.

Varia de monaſterio Dalbyenſi.

Annotata exſtant in Codice membranaceo *Quatuor Evangeliſtarum latine*, olim eccleſiæ Dalbyenſis, jam Bibliothecæ regiæ Hafnienſis, (Mſſtorum Ant, Coll. No. 1325. 4to). Prioris *Johannis Winter* nulla ſit mentio, nec in *Rhyzelii Monaſteriologia ſviogothica*, nec in Ven. *J. B. Daugaardii* opere de *monaſteriis Daniæ.*

Anno Domini MCCCLXXX ſeptimo erogata ſunt per Dominum *Johannem Winter* priorem Dalbyenſem primo pro tectura eccleſiæ videlicet pro *Hulſteen**) xxiiij marce puri. Item pro cera iij marce puri. Item edificauit quandam curiam in Malmyghe ad redditus omni anno X ſol. groſſorum. Item emit quandam nauem que dicitur *ſcutæ* pro L marcis puri pro ceteris inſtrumentis dicte nauis iij marce puri. Item pro clauis ferreis et ferro II marce puri. Item carpentariis et ſarratoribus X marce puri. Item emit quandam curiam ſitam in Quærizſtata væſtra de Nicholao Nepir in qua reſidet Petrus Jönſſon pro VII marcis puri. Item emit quandam curiam in Rudhinghe de dicto Nicholao que curia dicitur *Aſkagaarthin* pro VI marcis puri. Item emit vnum *ualabaat* quem habet Sweno Biornſſon in Lidlaheem pro vno ſol. groſſorum. Item edificauit Lunddatorp appoſuit eſtimaciones XVI ſol. groſſ. cum VII pund et XV modiis annone. Item Æsgisrutha I vaccam et I pund annone. Item Öſtrabialdarp I marca puri eſtimaciones ad duas curias deſolatas. Item emit vnum fruſtum *flöyghöl* nigri coloris pro iij marcis puri.

Iſti ſunt dies ſollempnes in quibus oportet Dominum priorem *Dalbyenſem* propinare canonicis ſuis poſt comeſtionem potum ſpecialem qui dicitur *Nonſiop***) vulgariter, videlicet in die natali Domini. Item in Epiphania Domini. Item in purificacione beate virginis. Item in die paſche. Item in die pentecoſtes. Item in die beati Auguſtini. Item in exaltacione crucis. Item in die omnium ſanctorum.

Hec

*) Videl. tegula excavata ſ. imbrex.

**) Verbotenus: poculum meridianum ſ. potus in coena meridiana propinandus.

Hec ſunt indulgencie Sancte *Dalbyenſis* eccleſie:

Innocentius Papa
Viginti octo Cardinales
Quilibet ipſorum
Abſolon Lundenſis
Trugotus Lundenſis
Jacobus Lundenſis
Nicholaus Lundenſis
Archiepiſcopi
Nicholaus Othonienſis
Jacobus Roſculdenſis
Andreas Burlanenſis
Petrus Vibergenſis
Tuko Burlanenſis
Symon Vibergenſis
Nicholaus Othonienſis
Petrus Ripenſis
Pa. Aruſienſis
Magnus Burlanenſis
Jacobus Vibergenſis
A. Roſculdenſis
} XL dierum.

Gregorius Cardinalis XXX dierum.
Petrus Lökk Lundenſis.
Brudderus.
Johannes.

Cotidiane indulgencie ſancte *Dalbyenſis* eccleſie octo milia dierum et ſexcenti dies et bis XL. In oſtenſione reliquiarum Centum XX dies pro qualibet particula illarum ſanctarum reliquiarum.

CCXXXIII.

Poema, quod inſcribitur Pauper Olavus.

Hocce poema anecdoton, loco programmatis, qvo Anniverſaria in memoriam reipublicæ ſacræ & literariæ apud nos reſtauratæ A. 1802 celebranda, rite indicebantur, publici juris fecit Noſter *Er. Nyerup* b. m. in Univerſitate Havnienſi Hiſtoriæ literariæ Profeſſor & Bibliothecarius. Ex præfatione & additamento ſeqventia hic aſſerre neceſſe duximus.

"Hunc titulum præ ſe fert Anecdoton, qvod ex Tomo Imo Bartholinianorum, ante "funeſte anni 1718 incendium Havnienſe in Bibliotheca Univerſitatis aſſervato, propria manu "exſcripſit Arnas Magnæus. Apographum vero Bartholinianum ductum erat ex codice "membranaceo formæ 8væ, qvi ante iſtud incendium ad eandem publicam pertinuerat Biblio- "thecam. Auctor, cujus nomen in fronte conſpicitur, *Olaus*, ortum ſuum debet inſulæ "Scotiæ

"Scotiæ adjacenti, Shetlandiæ, ubi ſeculo XV ineunte natus eſt. In hac ſcriptione, qvæ "partim proſaico conſtat ſermone, in eo eſt, ut res ſuas adverſas, egeſtatem, naufragium- "qve, qvod ad littora Jutiæ, dum ex Orcadibus redux Hetlandiam peteret, paſſus eſt, de- "ſcriberet; definitqve opuſculum in laude Johannis, Epiſcopi Roeſkildenſis. Fatetur "*Grammius* in notiſſima illa, qvam *de origine & ſtatu rei litterariæ in Daniæ & Norvegia* "*usqve ad fundatam a Chriſtiano Imo Univerſitatem Havnienſem* edidit, oratione (*Däniſche* "*Bibliothek* VII. p. 508 ſq.), non luculentam eſſe litteratorum celebrium copiam, qvam "Seculo XV apud nos offendimus. Haud abs re igitur fore putavi, ſi ſchedulam hanc ab "interitu vindicare conarer, qvippe qvæ non ſolum ſua ſe antiqvitate commendat, verum "eo qvoqve, qvod, cum Noſter, ex inſula, Norvegiæ usqve ad A. 1469 tributaria, oriun- "dus, Norvagus cenſeri debeat, catalogum Litteratorum Norvagenſium, qvorum illa parum "ferax ætas, adaugeat."

"De Auctore noſtro altum eſt apud Scriptores hiſtoriæ litterariæ ſilentium, nec de "fatis ejus poſt annum 1448, qvo poſtremam ſuo operi impoſuit manum, qvicqvam certo con- "ſtat. Ad manus verò ſunt litteræ, qvas anno 1472 *Olaus* Archiepiſcopus Nidroſienſis dedit "ad duos Canonicos Hafnienſes, qvorum unus gaudebat nomine *Olauo Hietland*, & licet "ſuſpicari, hunc eſſe eundem noſtrum *Olaum Pauperem*. Sunt autum hæ litteræ ejusmodi "tenoris:

Honorabilibus viris ac Dominis

Magiſtro *Olauo Hietlandh*, *Johanni Hāniin*,

Canonicis Haphnensibus, nobis sincere dilectis,

Olauus divina miſeratione *Archiepiſcopus Nidroſienſis*.

Cum noſtro ſincero favore affectuoſa in Chriſto ſalutatione præmiſſis. Dilectionibus veſtris notum facimus per præſentes, qvatenus qvæ apud vos depoſita pridem ſub fideli cuſtodia tradidimus, nunc per venerabilem virum, Dominum Iwarum, præpoſitum Asloen- ſem, noſtram ſuper hoc commiſſionem habentem, duximus repetenda. Qvamobrem, pro fidelitatis ſollicitudine gratias agentes multimodas, Diſcretiones veſtras per has noſtras patentes litteras reqvirimus, exorantes, ut fidem venerabili Domino Præpoſito adhubentes omnimodam, ducentos florenos R. & jocale ſen clenodium eidem Domino Præpoſito tradatis, uti vobis illa per Canonicos noſtros, Magiſtros Johannem Teiſte & Gautonem Iwari, tradi fecimus ad manus, Domino noſtro Sereniſſimo Regi per ipſum, noſtri nomine, præſentan- da; has noſtras patentes, ſecreti noſtri impreſſione munitas, pro recognitione ſufficienti & plena ſecuritate veſtra habituri. Vobis inſuper Domino & Magiſtro Olauo, nobis dilecto, cui plurimum obligari videmur, Nobile unum deſtinamus in autumpno de Bergis per Ka- rolum Sigwardi noſtratem & in Cancellaria Domini Regis exiſtentem. Domino autem Jo- hanni Hāniin florenum Renenſem per latorem præſentium, Dominum Præpoſitum, propi- nari mandavimus, in ſollicitudinis veſtræ benevolam gratitudinem, &, licet exiguam, la- boris recompenſam. In Chriſto valete feliciter & longæve. Scriptum in Reſidentia noſtra Nidroſienſi, Anno Domini MCDLXXII, ipſo die Luciæ virginis & martyris, noſtro ſub ſecreto.

"Infra in margine notatum reperio: "Receptum 1473 vigilia penthecoſtes ſive die "beati Bonifacii."

"Dictio auctoris qvidem ſubinde eſt durior, poeſisqve foedis ſqvalida barbarismis, & "leoninorum verſuum crepitaculis horrida, ut taceam lapſus proſodicos & vocabulorum qvan- "doqve novitatem: verum iſta non tam ſcriptoris vitia qvam potius ævi, qvo res litteraria "pæne interierat, barbariesqve omnes longe lateqve terras inundaverat. Qvod ad menda "attinet apographi, qvæ paſim corrigere conatus ſum, certo certius eſt, ea tribuenda eſſe "primo librario, qvi codicem membranaceum interdum perverſe legens, deſcriptum Bartho- "linianis commentariis inferuit, & Magnæum, criticum ſane ſagacisſimum & in hoc ſtudiorum "genere verſatisſimum, hocce exemplar ad litteram accuratisſime expreſſiſſe, ac data opera "errores exſcripſiſſe, qvos, ſi opuſculum typis evulgandum ſibi ſumſiſſet, tollere haud "neglecturus ſuiſſet."

Ex Annotationibus *Nyerupianis* complurimæ hic inſertæ ſunt.

Incipit

Incipit Pauper Olavus *).

Qvi memoratur **) *ea, qvæ ſectantur* ***) *modo ſcripta,*
Fertus (fertur?) Olavus, *ei gratia grata Dei!*
Hunc Hetland *genuit, ſed per tempus breve pavit,*
Hanc qvia dum liqvit, membra tenella tulit.
Mille qvadringenos tricenos ſi capis annos,
Adde duos, oras liqverat ecce ſuas.

Moeſtis hactenus modis metrorumqve modulamini invigilaſſe ſatis ſit; alterutro deinceps calle procedam, calamiqve officium alterabo, & qvod mente tacitus depingebam, depromam voce proſaica qveruloſus. Nam in laqveis laqveantibus laqveatus, & implicitis implicationibus implicitus, ſub involutione periculorum involutus, univerſitatem exterminiorum meorum in libra librante librabo, & periculorum meorum ſeriatim ſeriem explicabo.

Ecce mea lacera me fors dat materiei,
Succeſſusqve mei ſunt mihi materia.
Orcadiam *verſum coepi maris alta ſecare,*
Si qværis, qvare? cauſa fuit ſtudium.
Ut reor, annorum ſpatium poſt ecce duorum
Propoſui patriam revisere deinde meam.
Æqvora poſcuntur, & in altum vela feruntur,
Et vidi patriam luce ſeqvente meam.
Hujus ſed nullum poteram pertingere portum,
Et meus inde reor coepit ineſſe dolor.

Sub teneris etenim annis ætatis meæ, puta anno Dni MCCCCXXXII, ob ſtudium de portu tranqvillitatis eductus & in maris altitudinem deductus, me partibus *Orcadiæ* ſub navigio commendavi, ſed profecto remeandi ad propria facultas mihi fuerat hactenus denegata.

Occiduus procul a patria me ventulus egit.
Illud diſpoſuit, qvi bene cuncta regit.
O Veneris lacrymoſa dies, qva littora liqvi,
Tentaſſem fixus hæc utinam potius!
O dolor! inſtantis hominum mens inſcia fati,
Sic noſtri fuerat, fas fuit ergo pati.
Flatibus incitus elevat altius æqvora pontus,
Separat illico, qoæ ligat unio, carbaſa ventus.
Grando cadit, ſimul invadit nos ætheris ira.

Funes

*) Huncce dum opellæ auctor præfigeret titulum, nullum eſt dubium, qvin librum iſtum elegiarum ante oculos habuerit, qvem ſub *Henrici Pauperis* nomine, ſeculo XIImo ad finem vergente, ſcripſit Henricus Septimellenſis ſive Samarienſis, ex Etruria oriundus, qvemqve typis exſcribi inter alios curarunt Chriſtianus Daumius & Polycarpus Leyſerus. Non tantummodo titulum ad normam hujus carminis, medio ævo haud incelebris, finxiſſe Noſtrum, ſed ejus etiam nativum ſaporem ſuum feciſſe & plus uno loco penitus imitatum fuiſſe, unicuiqve, alterum cum altero contendenti, facile apparebit.

**) Abuſive pro *memorat.*

***) Sine dubio utitur Auctor hoc verbo freqventativo pro *ſeqvuntur.*

Funes rumpuntur, ſ. ventis vela teruntur,
Frangitur ſ. malus; ecce negata ſalus.
Fluctibus impleta navis fuerat ſine meta,
Ad pelagus prona fert manus ergo bona.

Nam tempeſtas naufragoſa, plena amaritudinis faſtidioſæ, & inundatio maris ponderoſa, plena auræ nebuloſæ, navigium noſtrum ſcopulis & anfractibus illiſum planctui magis qvam portui commendabat.

*Fluctiſonas ores**) *qvisqvis vitæ fuit exſpes,*
Nauta dat en ventis vela regenda ratis.
Hic gemit, is tremit, ſ. premit illius aëra clamor,
Hic riget, hic piget, ſ. viget hujus corporis ardor.
Aſi ego, moerore confuſus ſive dolore,
Ad coeli dominum clamito corde pio:
"O cur omnipotens miſeros tantis Deus undis
Sic nos confundis, deſine bellipotens!"
Qvin minas pelago (pelagi?) mortis pandebat imago,
Pandimus alterutris pondera mox ſcelerum.
Qvadriduo ferme fueramus victibus orbi,
Cauſa modo morbi qvod manet indubie.
Nos inqvam, falſum, potus fuerat mare falſum,
Eſus non raro cruda ſuina caro.

Collidimur qvippe per atrocem venti tempeſtatem & per tempeſtuoſam atrocitatem, qvæ veſtigio montes fluctuoſos, &, ut vera profitear, qvia in hoc expertus loqvor, fluctus parturit montuoſos. Qvia nonnunqvam navis apparuit in evectiſſimorum marinorum montium cacuminibus, ut nulla mihi ſpes de deſcenſu foret: juxta Pſalmigraphi ſententiam "Mirabiles elationes maris" &c.**). Plerumqve in decliviſſimis vallibus navis comparuit, ut eam opinarer pendentis montis præcipitiis marini protinus exſlingvendam, & in inopinato abyſſo Scyllæ malignantis miſerabiliter abſorbendam, dum debitis munimentis deſtituatur, fluctuat in fluctibus peritura.

Tum qvia nos vento velum commiſimus, ergo
Non affectatum præſtitit ille locum;
Nosqve charybdinos dum declinamus hiatus,
Heu dolor! in Scyllæ volvimur ingluvie.
Hinc eſt, cum terræ petimus ſolatia viſcæ,
Naufragium patimur, ſluctibus ſ. qvatimur.
Iſtaqve terra fuit latine Jutia *dicta,*
*Aſſero non ficta, non dedit, imo tulit****).
Naufragium pasſis nec non a flumine qvasſis
Tantisper rapuit ſingula qvæ voluit,

Hinc

---

*) Locus, ut mihi videtur, depravatus. Forſan legendum: *Fluctiſonis oris;* ſubintellige *in his.*

**) Intelligit *Pſalm.* 92. verſ. 4.

***) Senſum hujus commatis nondum potuit indagari.

Hinc in grandævum nautas egit ſamulatum,
*Triſtitiæ ſævum junxit enim gladium**).

Ibi dolores ut parturientis in ſpiritu vehementi dum teritur navis, hinc verberat clamor, inde ad confeſſionem lingva reſolvitur. Hinc ego precum primitias perſolvo, dum mortis atrocitatem ante lumina mea revolvo. Facies nempe mihi pallida, macie confecta, lethi qvoqve nuncia colorem cogitur induere peregrinum. Præterea dum nutu Dei naufragium paſſus, pericula maris evaſi, terræ tamen terribilia diſcrimina non exemi. Nam tot anfractibus laceſſitus, prædonum, de præda gaudentium, patulis hiatibus volutabar. Qvidni cauſer malevolos in me exterminii machinamenta molitos? O importabile exterminium! o magnum juſtitiæ excidium! numne qverulus tacitusve in pectore meo tacitos verſem qveſtus, dum inter ignotos puer, ut ovis neſcia loqvi immolor, *neſcius eorum lingvæ*. In ſpiritu vehementer anxior, dum inſons ab his detineor.

Caſtellani recip } *it* { *me cujusdam cu* } *ra*
Et præeſſe præcip { *porcis cum paſtu* {
Sed qvi nullum deſer { *ſtantem in preſſu* {
Me Deus eripu { *qvem preſit paſſio du* {

Ærumnarum procell } *oſis* { *volutabar fluctu* } *bus.*
Et fortuna qverul { *me dedit ſucceſſi* {
Tumqve ridicul { *famulabar riti* {
Aulicorum probr { *me vexarunt ſali***) {

Tum qvia fumificis ignibus coqvi
Obſeqvebar anxius, nec dolore ſi } *ne*
Grandi cocus fueram, pocula doctri
O dolor! haud hauſi, ſic fruſtratus qvaſi ſi

Tum qvia pauperi } *e* { *nimium vexab* } *ar.*
Lacerabar maci { *minimum lætab* {

Lege retrograde & apparebit forma metrica:
Vere lætabar minimum, macie lacerabar;
Vexabar minimum pauperie qvia tum.

Nec mihi contribuit libros ſors impia, vere
Horula profectus (i. e. proficiendi) vix mihi profuerat.

Retrograde.
Profuerat mihi vix profectus horula, vere
Impia ſors libros contribuit mihi nec.

Sæpe dabat dulces ſcamnum ſomnosqve ſalubres,
Cervical capitis duricies lateris.

Luctus,

*) Olaum harum qverelarum ſat juſtas habuiſſe cauſas nullum eſt dubium. In Europæ maxima parte, nec unice in Jutia, olim viguit inhumanum iſtud JUS *Naufragii*, de qva appellatione non inſcite loqvitur *Dreyerus*: in ſuo *Specimine juris publici Lubecenſis* &c. Buzov. & Wismar. ſine nota anni forma 4ta editum, pag. 1. Inſtituta illa, qvibus naufragorum calamitatibus optime proſpexit Rex Chriſtiernus II, magnis idem auctor extollit laudibus; pag. 73 ſq.

**) Magnæus habet *ſatibus*. Nullum vero dubium, qvin vera lectio ſit *ſalibus*.

Luctus, cura, dolor, confudit, flixit, adusſit,
Lumina, cor, corpus, fletibus, enſe, fame *).
Langvor langvori junctus dolor atqve dolori
En mihi dat canos **) *vertice mane pilos.*

O infeſtam & infauſtam fortunam! Præſagium profecto mali, fatali mihi præſagio, vocabulum proprium ac patrium eſt donatum. Proprio deniqve intitulor Olavus vocabulo; *Olavus* nempe, ut arbitror, *lavans ollas* interpretatur. Hoc ſiqvidem metrico modulamine prælucesſit:

Arbitror ecce, lavans ollas qvaſi ſertur Olavus.
Diſſona ſunt rebus nomina ſæpe ſuis.

Patrium præterea vocabulum eſt mihi *Hethlandinus: Hieltlandia* ſiqvidem, ut conjecto, a ferro ad modum crucis enſem interſecante nomen accepit ***). Porro, ut *Veterum dogmatibus* didici, inter *Norvegiam* & meum natale ſolum, puta *Hetlandiam,* olim temporis terra ſita fuit opima, nomine *Svertland*, habens ſe nempe ad Hetlandiam ſicuti gladius ad ſuum manubrium. Sed iſtam terram, ut inqviunt *Veteres*, oceanus ſalſis paludibus ſupertexit, ut ad habitationem humanam nulla prorſus area ſit relicta ****). Cujus qvidem deletio futuræ meæ calamitatis indicium fuit magnum. Nam luminibus meis qvotidianus fletus occurrit, dum externarum internarumqve vexationum crebra infeſtatione vexatus, tanqvam orbatus gladio, ad beſtias i. e. ad fortunæ perfidias diutinæ pugnans cum manubrii reliqviis reqviem ſpiritui non valeo reperire.

Oceano patriam paſſus nondum repetebam,
Nec petiit portum fracta carina ſuum.
Ne repetam proprias partes, facit æris egeſtas;
Neſcio qvid faciam, qvove miſer fugiam.
Heu me! qvid faciam? mea ſunt mala tot, qvod in iſto
Corpore vix vitam ducere prævaleo.
Cur non oceano mors impia me rapuiſti,
Cur non merſiſti tunc caput in nocuo?
Eſt mihi mors dura, cur non ſervem mea jura?
Plange necem Jacobi, pauper Olave! *tui.*

Iſte *Jacobus* fuit dominus meus & Canonicus *Roeſkildenſis,* & qvondam Officialis *Epiſcopi Roeſkildenſis.* Qvi Epiſcopus etiam fuit dominus meus, de qvo Epiſcopo infra facio mentionem, ubi: "Præſul! te metro" &c.

O

*) De hoc carminum genere Ebrardus Bethunienſis, Scriptor ſeculi XIII, in *Labyrintho*, libro, qvi medio ævo in ſcholis prælegebatur, ita:

"Sunt, qvi præmiſſis reddunt ſua ſingula verba."

In notis vero ſub nomine *metri applicati* venit. Et *Henricus Pauper*, qvem noſter qvam plurimis imitatur locis, ſic canit:

"Mundus amat, ſpernit, tenuat, ſectatur, abhorret,
Peſſima, juſtitiam, jura, nefanda, bonum."

**) Mſſ. Magnæanum habet *caros*, ſed, ut qvisqve videt, minus recte.

***) Inſulſa omnino & inſipida eſt ejusmodi vocabulorum derivatio; cæterum in eo verus eſt auctor, primam ſyllabam vocis *Hialtlandia* (Hialltland), nempe *Hjallt*, in lingva vetere ſeptentrionali habere ſignificationem manubrii gladii, ſive "ferri ad modum crucis enſem interſecantis." (Rectius forſan nomen hujus inſulæ derivatur a nomine proprio *Hiallti*, qvemadmodum nomina locorum in Islandia *Hiallta-dalr, Hiallta-eyri* (*Landnamabok*, ed. Hafn. in 4to p. 217. 238). (*Edd.*)

****) De tali inſula ne γρυ qvidem, qvod ſcio, apud Geographiæ medii ævi ſcriptores occurrit. (Indigitatur forſan inſula illa *Friſlandia*, ex traditione antiqva, Scotiæ ad aqvilonem olim ſita. *Edd.*)

O mors prædura! nullus ſuperat tua jura,
Cur mihi proficuum perdideras Jacobum?
O dolor! o fella! fortunæ ſæva procella
Sævit adhuc in me; deſine nunc, peto te.
Et mihi fortuna reſpondit: ſorte ſub una
Stabit adhuc tecum pondus, Olave! *meum.*
Heu mihi, qvam dura rumpas fortuna flagella!
Qvi fecit coelum, deſine nunc per eum.
Colla gigantea mihi non ſunt, ut tua fata,
O fors! permiſera ferre qveant latera.
Nonne Boethius), aut Hector ſum, num vel Achilles;*
*Qvi perverſas haud tis (ſcil. fortunæ)**) timuere dies.*

*Codrus***) & Henricus pauperqve Boetius, iſti*
Tres mihi collati nil habuere mali.
Nam mihi prælongas ærumnas atqve novercas
Ubera fors, in me fel bibo continue.
Pauper Olave! *tibi nullus miſerans miſeratur.*
Heu! tibi ſcire datur qvicqvid in orbe mali.
O miſer! o pauper! qvid ages cunctis miſerande!
Te torqvent grande cura dolorqve lacer.
Si fugis, ecce tibi mors cunctas clauſerat oras,
Si trahis atqve moras, cura, dolor ſit ibi.
En mihi deficiunt anni, gemituqve dolore
Eſi infirmata vitaqve pauperie.

Nam in me de flebili in flebilius, de flebiliori in flebiliſſimum incidentem, ſecundum Donaticam traditionem *flebile, flebilius, flebiliſſimum* vel *flebiliſſime* comparatur****). Ut cum *Labyrintho* dicere qveam:

"*Omnem perlegi coeli ſeriem, nec in ipſa*
Inveni fidus, qvod mihi dulce micat" †).

O lacrymoſa dies, qvæ mundo me dedit iſti,
Corpore nam triſti ſit mihi nulla qvies.
Nox fuit illa dies, dedit & mihi pocla veneni
Langvoris pleni peſſimus ille dies

O

---

*) Celeber iſte Seculi V Philoſophus qvi ſcripſit *de conſolatione Philoſophiæ* libr. 5.

**) *Tis* eſt forma obſoleta pro *tui*, ut in ſeqventibus *mis* pro *mei*. Vide ſis Priſcianum, qvi hæc habet: "Nominativus primæ perſonæ Pronominum diſſonus eſt a Genitivo, ut *ego, mei*, vel *mis, tu, tui*, vel *tis*. Ennius in II. "Ingens cura mis (pro *mei*) cum concordibus æqvipararе." HELIÆ PUTSCHII *Grammaticæ latina autores antiqvi*, pag. 955 conf. SANCTII *Minerva cum animadverſionibus* EVERARDI SCHEIDII. App. L. 1. cap. 2. pag. 32.

***) Codrus eſt iſte poeta pauperrimus, cujus mentionem fecere tam Juvenalis qvam Martialis, & de qvo *Henricus Pauper* lib. 1. verſ. 63. ſic canit:

"Si Codrus foret hic, eſſem nunc codrior illo."

****) Haud abſimilem comparationem inſtituit *Henricus Pauper*, dum ſic qveretur:

"Sum paſſus gravia, graviora, graviſſima, qvarto
Paſſio, ſi velit ars, poſſet ineſſe gradu."

†) Apographum Magnæanum loco *coeli* legit *teli*, ac pro *micat meat*. Lectiones vero genuinas propinant editiones *Labyrinthi*, ex qvibus ad manus eſt Pol. Leyſeri in *Hiſtoria Poetarum medii ævi*, pag. 798.

O dolor! o langvor! o triſtia fata! doloris
Perſtringor loris, inde nec eripior.
Qværo, nec invenio, vitæ ſolatia, qvicqvid
Orbe nocet, miſero triſtia corda ferit.
Nunc ubi proſperitas? ubi nunc ſunt dulcia vitæ?
Sint potus lacrymæ, ſit cibus anxietas.
Vado gemens cubitum, jaceo turbatus, id ipſum
Efficit ſ. vacuum mane meum cerebrum.
Nocte fluunt lacrymæ, qvarum mihi copia vere,
Sermo meus mihi Væ nocte ſit atqve die.
Væ mihi! væ triſti, miſero væ, væqve dolenti),*
Væ tibi tractanti, ſors mala! fata mihi.
Væ mihi, qvem mundi parat abdere machina tota,
Me vult Saturni perdere curva rota.
Sumqve mali paſſus plus, Erffordenſis *alumnus*
*Dum Studii fueram**), ſcribere qvam valeam.*
Qvis ſim vel cujas, cerebri qvaſi totius expers
Notorum turmas neſcio, factus iners.
Eſt dolor ipſe pater, lacrymarum fons qvoqve mater,
Frater ſit fletus, ſitqve ſoror gemitus.
Dum mala ſors ſævit ſ. curva falce potitur,
Nullus amicus adeſt, qvi mihi compatitur.
Me Domini ſpernunt, nec amici me modo cernunt,
*Heu! me cognati deſeruere***) mari.*
Si mihi contingat nocti dormire, periclis
Somnia per tetra conteror innumeris.
Nam videor ferri volitando per aëra, flammis
Nunc coelum ſiridet, nunc ego mergor aqvis.
*Vertor ſ. evertor lecto, ſuſpiria ructo****),*
Et palmis plango, ſæpe jacens lacrymor.
Nunc ego concludam, paucis qvoqve pauca recudam,
Nam mihi dixerunt proſperunt cuncta vale;
Et qvia nullus adeſt, qvi me ſoletur, amicus,
Solamen fabrico, fingo vel id potius.
Aſſero tunc†) anima turbaris meqve fatigas,
Te nunqvam liqvit ſumma Dei bonitas.

Hinc

---

*) *Henricus Pauper* habet:
"Væ mihi! væ miſero! væ proſperitate carenti!"

**) "Remiſiſſe, verba ſunt *Grammii* loc. citat., ſeculo XVto videntur & multum elanguiſſe crebræ iſtæ in Galliam & ad Pariſienſem Academiam profectiones, per excitatas præcedente ſeculo hinc inde in vicinia bonarum artium officinas. Hinc Coloniam, *Erfurtium*, Gryphiswaldiam, ac Roſtochium a Noſtris itum."

***) Perſvaſum habebam pro *mari* legendum eſſe *mei*; aſt *Henricus Pauper* habet:
"Me noti — in medio deſeruere mari."

****) Henricus Pauper ita:
"Volvor & evolvor — — ſuſpiria ructo."

†) Dubius hæſitavi, anne pro *tunc* ſubſtituerem *cur*.

Hinc ſ. ego grates refero tibi, fons bonitatis!
Pro cunctis donis tis*) *pietate datis.*
Nam mihi luctiſono ſolamen, Chriſte! fuiſti,
*Nec me deſiſti**) *tempore luctifico.*

Subſidium, pater alme! tuum mihi da rogitanti,
Subvenias ſ. opem tribuas, Deus alte! precanti!
O pater alme! tui miſerere miſertus Olavi,
Qvem torqvent a vi fata dolorqve gravi.

*Nunc expreſſata fata deprecor iſta leg*entes
Gentes *devotis votis extollere Chriſt*um
Iſtum *plangentem gentem qvi ſternere fl*uctus
Luctus *profundis undis, ſecitqve dol*oris
Loris *repletos lætos, dat cernere terras****).

Præſul, te metro, Roeſkildenſis****)! *celebrabo,*
Te digne qvanqvam promere non valeam
Tu nomen clarum tractas de ſonte roſarum,
i. e. qvia diceris Epiſcopus Roſkildenſis, & *Roſkildia* in latino in danico ſonat *fons roſarum*†), & ab iſta civitate ſortiris denominationem.
Te decet ſ. verum nomen habere roſæ.

Floribus ut reliqvis rubicundior eſt roſa, laudis
Sic eſt tis titulus præ reliqvis rutilus.
Gratia te Domini, Præſul, perfecta, Johannes!
Præficit, ſ. vires ſublevat ipſa tuos.
Nullus conſiliis te nec argutior extat,
Nullus dictandis te gravibus ſuperat.
Miteſcis miſeris, crudeliſſasqve ſuperbis,
Donis magnificus es qvoqve munificus.
Non es bellicola, nec rixoſus, ſed in omni
Es re pacicola, nobilis aſi animi.
Sed non formidas juſti discrimina belli.
Nec ſedem felli præcipiti cumulas.
Fortunæ facies tu recte conſpicis ambas,
Adverſis conſians proſperitate timens.
Te celebrant multi Regesqve Ducesqve bene culti
Nec non militiæ te decorant phaleræ.
Et qvia Muſa mea tua grandia promere facta
Non valet, hinc ceſſo, frenaqve contineo.

Ergo

*) De hoc vocabulo videantur ſupra allata.

**) Per Syncopen, pro *deſeruiſti.*

***) Metrum hic occurrit iſtiusmodi deſciſſum, qvale Ebrardus Græciſta in *Labyrintho* apud Leyſerum pag. 836 habet inter carmina, qvæ legem pentametri non patiuntur.

****) Epiſcopus Roeſkildenſis *Johannes Petri Jernſkiæg*, qvi ſedebat in ſolio epiſcopali ab anno 1432 usqve ad annum 1448.

†) De Etymologia vocis *Roeſkildiæ* variant Scriptores; pleriqve qvidem a Rege *Roe* & *fontibus* nomen accepiſſe opinantur. Noſter vero (ſicut etiam iſte Seculo XVIto ineunte haud incelebris Auctor *Petrus Parvus Roſæfontanus*) facit cum iis, qvi a *roſa* derivant.

Ergo concludam paucis qvoqve multa recudam,
Te morum cuncta percelebrant genera.
Regni Danorum tu Cancellarius, ergo
Et roſa cunctorum concineris merito.
Cum nedum verna, ſed alumnus ſim tuus alter,
Collige materna me pietate pater!
Non lac dulce tuo ſolitum removebis alumno;
Ubera materna nec mihi ſellifica.
Tu materqve paterqve meus eſto, ſoror, qvoqve frater,
Triſtia mis*) *remove, me miſerumqve fove.*
Irrigui fontis rivos mihi dirige, moeſtos
Æſtus ſubſidiis tu mihi pelle meos.
Si tamen eſſe tuos ceſſaro, qvod abſit! alumnus;
Ceſſabo ſervus non tamen eſſe tuus.
Nam mihi nil reſtat, nec mundus qvid mihi præſtat,
Qvod non tis*) *monitis me liget & placitis.*
Non bona principians, qvæ poſthoc perdere qværit,
Sed bona continuans, hic bene ſalvus erit.
Te, peto, concedat Dominus bona principiare,
Et conſummare fine bono faciat.
Gratia te Chriſti, cum vitæ ceſſeris iſti,
Poſt hanc æternam ſubvehat in patriam!
Chartam ſuſcipito, pater inclyte! qvam tibi mitto,
Misqve ſtatum legito, corde gemens rogito.
Succeſſu lœto, Præſul! fine fine valeto!
Semper & altiſono vivito cum Domino!
Gratia te Chriſti, qvia mundo mortuus iſti
Es, nunc æternam ſublevat in patriam.

Anno milleno C qvater qvadraqve geno
Octo *conjunctis annis feſto Michaëlis*
Hos Elegos ſcripſi, qvos filo paupere nevi
Erfordis, virtus ſit tibi, Chriſte! decus.
Amen.

Iſta chartula compoſita per qvendam ſcholarem Erffordenſem, cujus nomen & ortus habetur ſupra, & iſta chartula adſcripta eſt & miſſa reverendiſſimo in Chriſto patri ac Domino *Johanni*, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopo *Roſkildenſi*, Domino ſuo gratioſo.

Anno milleno C qvater qvadraqve geno
Octo *conjunctis ſeptembris***) *in idibus annis*
Hic Roſkildenſis *ſunt condita membra* Johannis
Pontificis, pro qvo clere preces facito.
Et Deus alme! tui miſerens miſerere Johannis,
Ut poſit jungi civibus angelicis.

*) *Mis* & *Tis* forma parum uſitata, de qva ſupra. Henricus Septimellenſis Lib. II. verſ. 14. edit. Daumii pag. 18. habet *mis patientis*, qvæ lectio verior videtur qvam iſtud *jus patientis*, qvod Pol. Leyſerus in *Hiſtoria Poetarum medii ævi* pag. 476 ſubſtituit.

**) Apographum Magnæanum habet *ſeptem bis.*

CCXXXIV.

Summa proceſſus in cauſa Eccleſiæ Ottonienſis B. Canuti ordinis S. Benedicti, 1489.

Licet *Hvitfeldius* Chroniço Tom. II. pag. 994-98 ſcripti hujus epitomen prolixam exhibuit, e re tamen duximus, ipſum Autographum, qvo *Hvitfeldius* haud uno loco emendari potest, cujusqve exſcriptum antiqvum nobis ad manus fuit, huic collectioni inſerere. Cæteroqvin de proceſſu hocce ſat memorabili conſulantur *Pontoppidani* Annales eccleſiæ danicæ II. p. 691.

Serenisſimus Rex Chriſtiernus primus piæ memoriæ, â Sixto Qvarto felicis recordationis Papa obtinuit commisſionem ad Reverendisſimum Archiepiſcopum Lundenſem et Epiſcopum Roſkildenſem, non expresſis eorum nominibus, de mutatione Monaſterii Ottonienſis S. Canuti in Cathedralem Eccleſiam, ſervata juris forma et juſtitia. At poſtmodum ſerenisſima Regina Dorothea, in præſentia Papæ Innocentii VIII conſtituta expoſuit, qvod Monachi et Religioſi prædicti Monaſterii Ottonienſis non citati nec in aliqvo convicti, nec auditi, â ſuo Monaſterio prædicto (in qvo profesſi fuerant et longo tempore cum odore bonæ famæ Deo ſervierant) fuiſſent expulſi, ac omnibus clenodiis, privilegiis, ornamentis mobilibus et immobilibus ſpoliati et poſtea neceſſario hinc inde discurriſſent, non ſine religionis opprobrio, malo exemplo et ſcandalo plurimorum. Item ubi antea inibi, intercedentibus meritis ſancti Canuti Regis et Martyris dicti Monaſterii fundatoris operabantur, poſt hujusmodi ejectionem nulla viſa fuiſſent miracula. Item qvod piæ memoriæ Paſchalis et nonnulli alii Pontifices Romani ſub poena maledictionis æternæ inhibuiſſent, ne ſtatus dictæ Eccleſiæ immutaretur. Ac propterea Regem Johannem ac Reginam prædictam deſiderare, dictam Eccleſiam in priſtinum ſtatum reſtitui et reintegrari. Qvapropter dictus Innocentius commiſit cauſam hujusmodi discutiendam Domino Alberto Epiſcopo Lubicenſi et Dominis Abbatibus Olavo Neſtvedenſi et Olavo Sorenſi Roſkildenſis Dioceſis. Qvæ commisſio facta eſt anno Domini 1488 Romæ apud ſanctum Petrum 6. Idus Maij Pontificatus Innocentii anno qvarto.

Deinde anno Domini 1489 tertio die menſis Aprilis ab Olavo Abbate Sorenſi emanavit citatio, qvæ executa fuit eodem anno, die Vitalis Martyris qvæ fuit 28 menſis Aprilis hora octava vel qvaſi in domo Capitulari Ottonienſi et poſtea valvis Eccleſiæ affixa. Eodem anno die 9 menſis Maij in domo ſeu reſidentia Domini Cantoris Eccleſiæ Ottonienſis, coram Domino Abbate Sorenſi Judice ſedente ac ſerenisſimo Domino Rege Johanne, Domino Alberto Epiſcopo Lubicenſi, Abbatibus Tvone Inſulæ Dei Ciſtertienſis *), Olavo Ringſtadenſi nec non Olavo Neſtvedenſi ſancti Benedicti Ordinis, Domino Joanne Martini artium et decretorum Doctore, aliisqve multis clericis ac laicis asſidentibus celebratus eſt primus actus per Magiſtrum Petrum Petri religioſorum prædictorum Procuratorem, actorem, ac venerabilem Dominum Magiſtrum Joannem Urne Præpoſitum Eccleſiæ Ottonienſis Sindicum et Procuratorem, reorum videlicet Reve-

*) Apud *Hvitfeldium* p. 995 ſolummodo: *Abbed Thyge.*

Reverendi Domini Caroli Epiſcopi Ottonienſis et Capituli ejusdem ibidem præſentium vocatorum et comparentium. Poſt longam autem concertationem inter partes utrasqve habitam tandem ſvaſu Epiſcopi Lubicenſis Regiæ Majeſtatis Cancellarii ac multorum aliorum in reverendiſſimum Archiepiſcopum Lundenſem Joannem Brocſtorp tunc non præſentem, at per regiam Majeſtatem nominatum, compromiſſum ſuit conſenſu utriusqve partis Judicis et Regiæ Majeſtatis. Salvo tamen jure utriusqve partis.

Eodem anno, die 25 menſis Julij, in domo reverendiſſimi patris Johannis Brocſtorp Archiepiſcopi Lundenſis, coram eodem Archiepiſcopo præſentibus etiam Domino Nicolao Skawe Roſkildenſi et Hartwico Ripenſi Epiſcopis, Dominis Erico Nicolai Decano et Petro Alberti Canonico Eccleſiæ B. Mariæ Hafnenſis artium et decretorum Doctoribus aliisqve egregiis viris, conſtituti fuerunt prædictus Magiſter Petrus Petri Procurator cum certis Monachis expulſis ex una parte, ac venerabiles viri Domini Joannes Urne Præpoſitus, Nicolaus Decanus Prior in Dalom et Magiſter Otto Canonicus Eccleſiæ Ottonienſis ex altera parte. Tunc reverendiſſimus Archiepiſcopus nolebat hujus compromiſſionis cauſam ſuſcipere propter impedimenta et alias cauſas legitimas ibi declaratas, ſed remiſit ad ſuum Superiorem dicens qvod ab ejusdem cauſæ intermiſſione vellet ſe totaliter habere exoneratum.

Eodem anno, die ultimo menſis Julij, prædictus pater Olavus Abbas Sorenſis reſumit cauſam ad ſe virtute prædictæ commiſſionis et iterum citat partes ac deinde procedit judicialiter usqve ad diffinitivam ſententiam, qvæ data eſt Slauloſiæ in Curia ipſius Abbatis anno eodem, die 25 menſis Auguſti. Sed Procuratores reverendi Epiſcopi Ottonienſis et Capituli Magiſter Joannes Urne et Magiſter Otto prius contumaciter abierant. Poſt hanc diffinitivam ſententiam multifariam tumultuatum eſt utrinqve per interdicta, excommunicationes, aggravationes, reaggravationes, appellationes, annullationes (ut vocant) minasqve ac alia hujusmodi in grave Eccleſiæ ſcandalum, donec ſerenisſimus Rex Johannes ſerio ſe cauſæ interponeret ac componeret. Qvæ compoſitio facta fuit in Caſtro Nesbyhoffvet et literæ deſuper conſcriptæ in Nyborg Dominica 4 Adventus ejusdem anni 1489, ut in eisdem literis videre licet plenius et perfectius. Eas literas ſuſpicor vere reperiri Ottoniæ in prædicto Monaſterio S. Canuti, Danica lingva conſcriptas. Qvarum tranſſumptum in latinam lingvam per Notarium publicum, ut hic repperi, ſubſcriptum eſt.

Canonici tenuerunt prædictum Monaſterium 14 annos. Item inter cætera depoſuit unus teſtis, qvod non audiebantur fieri miracula (ſcilicet poſt ejectionem Monachorum), niſi qvod qvidam de Canonicis generavit ex coco ſuo unam prolem, ex braxatore reliqvam et ex promo tertiam.

"Nos Johannes Dei gratia Datiæ, Norvegiæ, Sclavorum, Gottorumqve Rex, electus in Regem Svetiæ, Dux Slesvicenſis nec non Dux Holſatiæ, Stormariæ et Dytmerſiæ, Comes in Oldenborg et Delmenhorſt, conſtare volumus univerſis, qvod nos alias in terram noſtram Fyoniam redeuntes ibiqve non paucis perceptis diſcordiis, diſſentationibus et perturbationibus vigore excommunicationum multarum aliarumqve cenſurarum et executorialium deſuper factarum, inter reverendum patrem Dominum Epiſcopum et honorabiles Prælatos et Canonicos Eccleſiæ S. Canuti Ottonienſis ex una ac devotos et religioſos Monachos de ordine S. Benedicti prius in ipſa Eccleſia S. Canuti degentes, partibus ex

altera

altera ſuper eadem S. Canuti Eccleſia ventilatis. Vocata igitur coram nobis in caſtro noſtro Nesbyhoffvet parte utraqve, audivimus ibidem partium diverſas altercationes, reſponſiones papalesqve literas et bullas ac alias literas qvas habuerunt. Pro parte autem Monachorum in effectu, qvod ipſa Eccleſia Sancti Canuti, in qva reſidebant ipſi Prælati et Canonici reintegraretur et reſtitueretur in ſuum primævum et in eum in qvo primitus fundata erat ſtatum, et ipſi fratres Sancti Benedicti recuperata ea pro Monaſterio ſuo in ea regularem ducerent vitam. Super qvo et ipſi fratres complures proceſſus cenſurarum et executiones diverſas fecerant, et ipſi venerabiles Prælati et Canonici pro ipſa eadem cauſa impetrari fecerant papales literas et bullas cum ſumptibus. Proinde laboribus et expenſis per partes utrasqve gravibus factis et veriſimiliter perſeverantibus hujusmodi diſcordia et litibus majoribus ſiendis in poſterum, ipſis in majora diſpendia et jacturas. Qvibus occaſionibus præmisſis, prædicti Prælati et Canonici ac fratres ordinis S. Benedicti prædicti et eorum legitimus in ea parte Procurator, Magiſter Petrus de Antwordſkow, cauſam ipſam in nos dimittentes ſive ponentes propria eorum ſpontanea voluntate, omnimodam atqve plenam in ea cauſa ſuper dicta Eccleſia nobis dederunt facultatem, noſtræ ditioni, qvalitercunqve ſuper hujusmodi cauſa in bono zelo et concordia decrevimus, ſe parere tam irrefragabiliter qvam irrevocabiliter ſub omni juris et facti renunciatione obligantes. Unde invocato nomine ſanctæ Trinitatis, ad ſubmovendas tales diſcordias et lites et ſimiliter tam gravibus ſumptibus expenſis et laboribus parcendis exinde veriſimiliter profuturis, cauſam ipſam ad nos acceptavimus· præhabitis qvidem deliberatione, conſilio et aſſenſu nobis dilectorum regni noſtri tunc præſentium Conſiliariorum, ſuper ipſa ſancti Canuti prædicta Eccleſia non vi aut vigore judicialis cujuspiam proceſſus, ſed pro bono pacis et amicabilis concordiæ, ſubſeqventi pronunciari fecimus ſub tenore.

Primo qvod prædicti ſancti Benedicti fratres et Monachi ipſam Eccleſiam ſancti Canuti prætactam ad ſtatim et ſine qvavis dilatione acceptent pro ſuo Monaſterio, cum omnibus ſuis pertinentiis et adjacentiis mobilibus et immobilibus, ornamentis, clenodiis, calicibus aureis et argenteis, pateris, reliqviariis, miſſalibus, privilegiis atqve omnibus et ſingulis literis ipſum Monaſterium et ejus bona concernentibus. Inſuper venerabiles Domini Olavus Abbas Neſtvedenſis Roſkildenſis Dioceſis ordinis ſancti Benedicti et Magiſter Petrus procuratorio nomine nobis ſtipulantibus promiſerunt, qvod fratres et Monachi, qvos in futurum degere contingat in dicto Monaſterio ſub obſervantia et regulari vita S. Benedicti et ejus ordinis vivant ipſamqve regulam devote et ſtrenue perpetuo obſervent, miſſasqve et alia divina officia prout in antea fieri conſveverunt a ſui primæva inſtitutione, ſic et in poſterum faciant celebrari. Comperta etiam (qvod abſit) futuris temporibus per nos et ſucceſſores noſtros Danorum Reges in præmisſis negligentia aut defectu, reſervatam habemus penes nos plenam facultatem in hujusmodi disponendi prout videbitur expedire, alios videlicet devotos viros, qvi regulam hujusmodi S. Benedicti rigide obſervent juxta et ſecundum conſilia et aſſenſus reverendorum ac venerabilium patrum ipſorum Abbatum et Prælatorum ac aliorum piarum mentium virorum ejusdem regni Datiæ reqvirendorum, vocandi reponendi et inſtituendi. Acceptare itqve debent, prædicti fratres, percipere et habere ſæpedictum Monaſterium S. Canuti cum omnibus ſuis juſtis adjacentiis prædictis urbanis et ruſticis, inqvilinis et ſervientibus, ſilvis, pratis,

pratis, piſcariis, terris cultis et incultis, Eccleſiis parochialibus de Aſſum, de Stenlötze, de Uberot et de Parup. His et omnibus aliis qvibuscunqve, qvæ à primævo tempore dicto Monaſterio pertinuerunt et adjacuerunt, uti frui debeant ita libere et qviete qvo liberius illi aut aliqvi eorum uti et frui unqvam conſveverunt, demptis bonis de viginti laſtis annuæ penſionis prædictis Prælatis et Canonicis modo qvi ſeqvitur aſſignandis. Magiſter Joannes Urne habeat in redditibus laſtam annonæ cum media, Magiſter Otto unam laſtam, Dominus Joannes Eggardi laſtam unam et mediam, Magiſter Nicolaus de Dalum laſtas qvinqve, Dominus Laurentius Andreæ duas laſtas et mediam, Magiſter Andreas laſtam unam, Dominus Petrus Thiderici laſtam unam, Dominus *Olavus Baſſe* laſtam unam *), Dominus Olavus Smet laſtam unam, Dominus Andreas Judæ laſtam unam, Dominus *Jacobus Pave* laſtam unam **), Dominus Petrus laſtam mediam, Dominus Petrus Hoor etiam laſtam mediam, Dominus Johannes Petri laſtam unam, Dominus Joannes Alberti laſtam mediam. Iſtis bonis tot et tantis prout cuilibet veniat portio ſua, uti et frui debeant Prælati et Canonici prædicti et eorum qvilibet utatur et fruatur bonis ſignatis cum omnibus ſuis emolumentis, hoſpitalitatibus, ſervitiis et aliis qvibuscunqve. Et poſtqvam aliqvem ipſorum ab hoc ſeculo migrare contigerit, ſtatim et ſine contradictione qvacunqve bona qvæ ipſi aſſignata fuerant, ad ipſum Monaſterium libere revertantur cum omnibus adjacentiis et pertinentiis eorundem. Habeant etiam et utantur ſæpedicti Prælati et Canonici curiis et reſidentiis, qvas modo inhabitant, qvoadusqve vita eorum finietur, dempta Curia Monaſterii, qvam ad ſtatim rehabeant et qviete poſſideant ipſi fratres. Inſuper optima et meliora bona cum ſilvis, paſcuis, piſcariis, propinqvioribus et magis aptis aſſignari debeant fratribus pro eorum et Monaſterii uſu: ac Canonicis ipſis fiat proviſio de bonis Monaſterii alibi, ſicut pro portione ſuperius ſunt deſcripta. Præterea literas, qvas prædicti Prælati et Canonici ſub ſigillo ſuo capitulari aliqvibus dederant, ipſas habeant ipſi fratres ratas totaliter atqve firmas. Super iſtis ſint omnes proceſſus, executiones, ſententiæ, bullæ, contentiones, lites, diſſentiones et diſcordiæ; qvi et qvæ inter ipſos ex utraqve parte fuerant, hac occaſione penitus mortuæ et ſopitæ perpetuo, qvaſi etiam non fuiſſent. In finem autem, qvatenus omnia præmiſſa puncta et articuli ſtabiliter firmiter et irrefragabiliter in omni ſua parte obſerventur, ſigillum noſtrum Regium ſecretum, una cum ſigillis capitularibus præfatorum Prælatorum Canonicorum et fratrum Conventualium prædictorum, præſentibus eſt appenſum. Datum in Caſtro noſtro Nyborg 4a Dominica Adventus anno Domini 1489 ***).

---

*) Deeſt apud *Hvitfeldium* p. 997.

**) Deeſt apud *Hvitfeldium* p. 997.

***) *Hvitfeldius* p. 998 & *Pontoppidanus* Ann. eccl. II. p. 691 habent 1mam Dominicam Adventus.

CCXXXV.

Ditlevi Smitheri oratio ad Reginam Iſabellam A. 1515.

Hicce *D. Smyther* Brabantia, ut ipſe dicit, oriundus, inter Rectores Univerſitatis Hafnienſis commemoratur A. 1513 & 1524; *Vindingii* Academia Hafnienſis p. 59. Anno nuptias Regis ſubſeqvente, loco internuntii, ad exteros v. c. Poloniam, Ordinis teutonici Magiſtrum &c. mittebatur (*Behrmanni* Kong Chriſtian den Andens Hiſtorie I. p. LXXXIV). Forſan referendus eſt inter poſteros cujusdam *Ditleui Smyter*, "Proviſoris bonorum corporis Chriſti Pheoniæ," cujus A. 1392 mentio fit in *Suhmii* Hiſtoria Daniæ Tom. XIV. pag. 573 Hafniæ 1524, feria 3tia infra oct. Corporis Chriſti, Dominus *Nicolaus Urne* accepit Regiam præſentationem ad ſummum Pontificem Clementem VIImum ſuper Præpoſitura metropolitanæ eccleſiæ Lundenſis, per liberam reſignationem Domini *Ditlevi Smyter*. — Excerpta qvædam hujus orationis jam inſerta ſunt Operi b. m. *Nyerupii*, *Udſigt over vort Fœdrenelands Litteratur i Middelalderen* p. 485-96. Apographum *Langebekii* hic ſecuti ſumus.

"Oratio ad illuſtriſſimam D. Dominam *Elizabet* Danorum reginam in Hacco "Comitis (præſente Serenisſimo Hiſpaniarum principe Carolo, Archiduce Au- "ſtriæ, Duce Burgundiæ, Brabantiæ &c. Nec non illuſtriſſima Domina, D. Mar- "gareta, Archiduciſſa Auſtriæ, Comitiſſa Sellandiæ &c.) facta per magnificum "virum D. Magiſtrum *Ditleuum Smither*, decretorum Doctorem, inſignis Eccle- "ſiæ collegiatæ beatæ Mariæ virginis, Hafnienſem canonicum optime meritum, "qvi tunc erat capellanus, Reverendiſſimo in Chriſto patre et Domino D. Magiſtro "*Erico Walchendorp* eccleſiæ Nidroſienſis Archiepiſcopo deſignato, legationem "tunc gerente negotii traductionis ejusdem illuſtriſſimæ dominæ Reginæ, ad man- "datum clementiſſimi ac præpotentiſſimi Domini D. *Chriſtierni* Daniæ, Norvegiæ, "Sclavorum Gothorumqve regis &c. Anno Domini 1515."

Qvam maximum, qvamve amplisſimum munus hodierno die infirmis meis deſumſiſſe intelligam illuſtriſſime Princeps, proceres illuſtriſſimi, coeteriqve vos viri ſpectatiſſimi, ſummam huius noſtri magni negotii immortalem amplitudinem latino eloqvio digne extollere creditam habens provinciam: cum ars dicendi, aliena a me longe ſit, et res in ſe tantæ dignitatis, tantæqve excellentiæ, ut non virum infimum aut mediocrem, imo ſummum ac prope divinum oratorem illud aggredi perhorreſcere qvam plurimum faceret. Non fallor, cuiusvis facundiæ operibus diſertus, oratorio ſplendore depictus, aut orationis autoritate præditus etiamſi mille alios multarum rerum ſcientia et experientia antecelleret, hic ceſpitaret neceſſe eſt. Qvanto magis in coetu literarum minutiſſima

Eſi coeli virtus, mihi tota propheta laboris
Cum permagna decent, vix ſcio pauca loqvi
Nulla mihi ſufficit Ptolomei pagina libri,
Qvá petitur qvá qvis mente per aſtra volat.
Euclidis libri, numero ter qvinqve figuris
Pleni, non proſunt, qvos Geometer habet.
Non ſatis apparet codex Gvidonis in omni
Qvi vocum genere, dirigit artis opus.
Non Ciceronis onus, pingens ſermone leporem
Sat mihi ſufficeret, florida charta duplex.

Nullus

Nullus Ariſtotelis codex, ſat promito laudes
Qvem cudit in gremio philoſophia ſuo.
Si mihi ſint lingvæ centum, ſint oraqve centum,
Ferrea vox omnes non poſſint promere laudes.
Viribus ingenii diſcuſſis utpote parvis,
Nec mea vox mecum, nec mea verba manent.
Veruntamen Illuſtriſſimi Domini mei
Regis ex affectu, nunc dicere multa notavi,
Sed timor excuſſit dicere quæ volui.

Faciam ergo cum dies boni nuncii eſt ſceleris arguendus, cum magna veſtra venia, ô viri conſumatiſſimi abſit. Non enim orationis exiguitas ſit attendenda, ſed ipſius mittentis pronus animus, ſincera fides, ac ſingularis obſervantia conſideranda. Gratiora qvare fore haud dubito, qvæ in medium utcunqve proferuntur, divina implorata ope narrationis regionem, qvemadmodum mos apud inolevit modernos, breviſſime ſim peracturus. Hic eſt ô pulcherrima mulierum illuſtriſſima Domina Regina, Imperialis origo, Burgundicum decus, illius admodum terreſtris paradyſi, *Brabantinæ* amoeniſſimæ, *mihi patriæ* ſemper colendiſſimæ, delicatiſſima educatio, altiſſime nata Domina, Domina *Eliſabet*, Auſtriæ Archiduciſſa, duciſſa Burgundiæ, Brabantiæ, Comitiſſa Flandriæ, Hollandiæ, Selandiæ, Auguſtæ radicis virgula Philippianæ qvondam Regis Caſtiliæ, flos florum inclita princeps, præpotentiſſimus ac illuſtriſſimus dominus D. *Chriſtiernus* Daniæ, Norvegiæ, Sclavorum Gothorumqve Rex, Electus in regem Sveciæ, Dux Slesvicenſis, Holſatiæ, Stormariæ et Ditmerciæ, Comes in Oldenburg et Delmenhorſt, conjunx tuus charisſimus, una tecum ſontaliter auguſto ſangvine natus, fulgens in armis, floridus annis, omnis ejus anteacta vita teſtatur Marte beatus, terræ ac mari metuendus, qvem metus aut vis flectere neſcit, non rogus ardens, nec ferus enſis, non maris æſtus ſeu hoſtica clasſis terruit unqvam, pax patriæ, decus eccleſiæ, hoſtibus horror, trux inimicis, dulcis amicis, obviam juſſit ire paratos viſere tecta aurea virgo tuæ potentiſſimæ amplitudinis, Reverendissmum in Chriſto patrem Dominum Magiſtrum *Ericum Walkendorp* natu generoſiſſimum, Eccleſiæ Nidroſienſis Archipræſulem digniſſimum, Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ et Apoſtolicæ Sedis Legatum nactum moeritiſſimum cum coeteris huius legationis conjunctis in obſeqvium tuæ reginalis celſitudinis, ut tibi humiliter ſerviant, tibi reverenter famulentur, et familiariter comitentur, quoad ipſe feſtinans comparuerit, cuius negotium agitur, qvi tuum impatienter ſervet amorem, cuius oculis non minus placuiſti. Heſter illa pulcherrima, quæ ſacra referente hiſtoria ob ejus incredibilem pulchritudinem ſuper omnes mulieres ab Aſſvero adamabatur, hunc prope modum

Unica Chriſtierni *noſtri ſpes inclita ſalve*
Ipſe facit imperio cuncta ſubire tuo.
Tu ſua fodiſti venus præcordia telis
Reſpueret pro te qvicqvid in orbe manet.
Omnia poſipoſuit, tu ſola ſibi placuiſti,
Gratior e mundo te ſibi nulla ſuit.

Par enim erat tam eminentiſſimæ regiæ majeſtati talem eligi ſponſam, cui nihil deficeret, qvod aut a natura aut a virtute aut a fortuna expetendum eſſet, qvin ea omnia cumulatiſſime ſis conſeqvuta, qvæ ad omnem præſentis ſeculi

(faciet

(faciet Deus ipſe uberius futurum) felicitatem ſpectant. Non ergo ut divus teſtatur Plato, ſine divino inſtinctu parens tibi nomen tale indidit, qvod rei nostræ tam eleganter conveniat. Elizabet enim ſaturitas Domini mei interpretatur. Thronum regni ſui, ſicut Aſſverus in Heſter plurimum exoptat in te transferri, repetitis vocibus ad aures tuas una cum ſpirituali ſponſo in Canticis inqviens, veni electa, veni formoſa, veni pulchra, veni ſponſa, veni coronaberis, ut ad imperium oris tui, sicut qvondam Joſeph in Ægypto, cunctus obediat populus.

Res enim a *Danis* geſtæ, qvæ ſatis amplæ, ſatisqve magnificæ ſunt, antiqvitate teſte, non minus mulierum qvam virorum imperio claruere, in omnis virtutis genere. O! viri, cum venia veſtra vero loqvor, invenio eas jam fines potenter dilataſſe, jam reges fortiſſimos ſuperaſſe, jamjam imperia utroqve tempore pacis & belli adeo ſtrenue tractaſſe, ut non modo fæminas, verum etiam validiſſimos viros præter ſexus naturam virtute ſuperaſſe, per ſempiternam virtutis memoriam poſteris recolendæ. Qvarum tuæ ſplendidiſſimæ originis amplitudinem digne conſiderans non hæſitat

Te clari perornant, mores te vivida virtus
Te decor altæ nobilitatis onus,
Tu noſtrum ſydus, tu gloria noſtræ perennis
Omnia tu noſtræ jura ſalutis habes.

Nec tuas immortales laudes ab aliqvo uno rivulo scaturire invenio, ſed variis & uberrimis virtutum fontibus emanare. Auſtriæ enim gente oriundus es, domo inclita et celebratiſſima, qvæ tot Regum & ſanctiſſimorum Imperatorum mater eſt et origo, unde Rodolphus, Herneſtus, Leopoldus, Ottones, Albertus, Sigismundus, Fridericus hujus nominis tertius, ac invictiſſimus romani imperii Rex Maximilianus, modernus ejusdem imperii Cæſar ſemper Auguſtus avus tuus paternus claruêre, qvorum virtutem, illuſtria geſta, celebresqve victorias admirari potius qvam recenſere æqvum eſt, potius veneratione qvam commendatione complecti. Nonne univerſo famoſiſſimus orbi ac qvondam ſpectabilis Philippus Caſtiliæ Rex illuſtriſſimus non ſolum pientiſſimus, ſed in omni probitatis ac gloriæ genere, coeteris qvibuſcunqve priſcis, omni laudis æſtimatione conferendus, te ex matre regia prole Hiſpanica ſereniſſima, propitio Deo in expectationem et gloriam gentis noſtræ edidit. Unde tuæ fulgentiſſimæ originis latitudo, non modo vetus aut heroicum, verum etiam omnium orbium præclarius regium et imperiale genus. Modo affinitate, modo conſangvinitate, modo alterius foederis vinculo ſibi conjunxit. Eja igitur feliciſſima ſecula iſta tua ô inclitiſsima *Dania*, qvos optimo jure tam fortunatiſſimi partus, ſtirpis adeo egregiæ ſucceſſus poteris præſtolari divinum non tacet eulogium, arbor bona non poteſt, inqviens, malos fructus facere; parum enim eſſet claris naſci parentibus, niſi parentum ſplendor in poſteris augeatur. Quis igitur pro Deo ſalutem illam excogitabit ſufficienter, donec id rerum magiſtram experientiam in lucem proderit, qva ſtatus tuæ reipublicæ iſto feliciſſimo nuptiali Burgundico foedere evadat beatus, ubi tibi ſumma cum jucunditate laus verſabitur. Qvamvis enim omnia, qvibus jucundiſſime beateqve viitur in hac luce deſuper a Patre luminum deſcendunt, qvi dat omnibus abundanter, et nemini improperat. Nihil tamen, ſi recta animadverſione meditari volumus pro ſalute tua poſt Deum, iſto fauſtiſſimo conſortio reor auferri poſſit. Tametſi admirandæ et innumeræ ſunt laudes dignitatesqve excellentiſſimæ ipſius ſanctiſſimi matrimonii multiplici ratione

ratione summopere venerandi. Tum conditoris intuitu, nam ipſe Deus glorioſus, ab ineuntibus ſex dierum primis operibus, humanum genus, qvod coeteris præfecit creatis ne deficeret, id in uno ſolo Adam inſtituit, ut commendaret, qvam grata est ei in pluribus unitas, ac electis in æterna pace beatis ſpiritibus conſociandis neceſſaria, cum de limo terræ ad imaginem et ſimilitudinem ſuam formavit. Poſt paululum immiſſo ſopore coſtam eduxit, ad effigiem ejus configurando in foeminam fabricavit, ut duo inter ſe promiſcui ſexus poſteros poſſent procreare communem terram repleturi, et tandem coeleſtis patriæ damna et angelicum lapſum reſarcirent, ut non inconſulto ipſe benedictus Deus decrevit geneſeos primordio inqviens: creſcite et multiplicamini et replete terram. Demum, pereunte mundo, per aqvas diluvii propter malitiam hominum, ſolos matrimonialiter conjunctos in arca Noæ salvavit. In Paradyſo quoqve deliciarum optimo ſtatu originalis juſtitiæ et rectitudinis, in officium tamen ad prolis procreationem et mutuum ſolatium. Qui ubi non eſt mulier, ibi ingemiſcit ager ante omne peccatum inſtitutum eſt. Multis tamen aliis præconiorum prærogativis, iſta feliciſſima copula, ubi juſtitia et pax oſculata ſunt, ſummopere nobis venit veneranda, per qvam non ſolum ipſorum contrahentium præclariſſima inſignia, hominum ſalus, regna, dominia, urbes, domicilia, res, fortunæ et quæcunqve ad bonum ſtatum reip. ac ad qviete vivendi profectum attinent, qvodam ſolidiſſimo perpetuæ pacis amplexu ſolidantur, verum etiam acerrima prælia, fortunæ diſcrimina, hominum cædes, et qvod omnia excedit, animarum Christi Jeſu ſangvine redemptarum pericula, terrarum devaſtitates, mortiferas inimicitias, et cætera innumera damna averti, ac in ſolidi foederis ligam inviolabiliter obſervandam, haud dubitamus converti. O igitur huius ſpectatiſſimi matrimonii divinitus proſpecti vis inæſtimabilis. Quis te dignis proſeqvetur laudibus, ac debita veneratione commendabit, aut tuis meritis parem gratiarum actionem reddere poſſit. O inqvam per immortalem Deum, qvis de te tot aut tam magnifica dicere poſſit, qvin longe majora, longeqve magnificentiora eſſent dicenda, qvæ ſi recitare voluero, diem nocti conjungere ſine tamen fructu oporteret.

Non enim ſum ſatis ad tanta præconia laudis

Quare ſatius atqve ſatius mecum fore tacitus decrevi id honeſto nunc ſilentio tranſire, qvam tam inſcrutabili, ubi abyſſus abyſſum invocat, pelago naufragus fluctuari. Et ad finem verbum produco principale, intentum noſtri illuſtriſſimi mittentis recapitulando. Exurge propera inqviens illuſtriſſima Domina Regina, Ei medere qvæſo, qvi tuo vehementer langvet amore. Quo jam ſerius tuus, qvem plurimum optat, prorogatur adventus, eo profundius in animo impatientis vulnus penetrat amoris, teſte ſapiente. Spes, qvæ differtur, affligit animam. Coeterum propera ô pulcherrima principiſſa ſub timore Dei temporaliter coronanda, ut tandem ab eo per qvem Reges regnant, cum ſponſo tuo incorruptibili et immarceſſibili corona feliciter in æterna beatitudine merearis gloria et honore cum omnibus ſanctis coronari. Quod tibi, Sponſo tuo et omnibus nobis concedat, qui ſine fine vivit et regnat.

Amen.

CCXXXVI.

Oratio qva Episcopus Lago Urne Reginam Iſabellam excepit, A. 1515.

Hæc oratio, cujus verſionem danicam Chronico ſuo II. p. 1105 ſq. inſeruit *Hvitfeldius*, deſcripta est ex Apographo tabularii regii secretioris. Conferatur de hac oratione Viri Rev. *P. E. Müller*i Vita Lagonis Urne (Hafniæ 1831) pag. 11.

Exſpectamus hunc adventus tui fortunatiſſimum diem, *Iszabella*, omnium, qvi vivunt virtuoſiſſima ac nobiliſſima princeps, qvo non illuxit *Danie* dies felicior aut auſpicatior umqvam, diem inqvam dixero diſtillancium ymbrium et pluviarum, qve largiſſuam rerum ubertatem et graciam denotant ſpiritus ſeptiformis: Principiſſam te vocem, Hiſpaniarum et Arragonie, Burgundie, Brabantie, Flandrie &c. ac Archiduciſſam Auſtrie, inclitisſimam, cuius ſi incomparabilem ac ſplendidiſſimum originis et generis decus deducero, ſcimus Philippo potentiſſimo rege ac ſplendidissima regina Joanna te genitam, Philippo inqvam, omnium, dum vixit, rege nobiliſſimo in qvem univerſa nature munera ita refluxerant ut nihil restaret qvod ad amplificandum principis Maieſtatem ſeu gloriam etiam Dii addere potuiſſent. Sed excurreret in immensum oratio ſi paternorum avorum invictiſſimorum Friderici et Maximiliani Romanorum Imperatorum, ſi maternorum deniqve parentum chriſtianiſſimorum Ferdinandi et Iſabelle Hiſpaniarum et Arragonum regum, clariſſimam lineam oſtendero: ſed ſuperſeſſo his et aliis pene innumerabilibus insignium virtutum operibus ac bellicis tropheis atqve victoriis, id unum ſuper qvam catholice gestum recenseo, regnum Granate qvod ſeptingentis ferme annis a Chriſtiana religione defecerat, per hos invictiſſimos maternos avos tuos ab crudelitate ne dicam imperio immaniſſimi ac ſediſſimi Turche, crucis Chriſti truculentiſſimi hoſtis, victorioſiſſimi belli apparatu feliciter eſt ereptum ac reſtitutum. Sed qvorsum iſta? cum nulla ſit tam ſurda poſteritas, nulla hominum tam ingrata fama qve horum invictiſſimorum progenitorum tuorum immortalem gloriam in celum usqve evehere non ſtudeat aut laboret, qvippe cum non poſſit maior aut vetuſtior principum nobilitas ſub ſole ne dicam inveniri ſed nec qvidem fingi. Deſerimus autem in madidiſſimis his ymbribus amplius digreſſum facere, ſed revertimus ad oratiunculam noſtram. Occurrit igitur ſplendidiſſimo tuo adventui Illuſtriſſimus Potentiſſimus et Excellentiſſimus Princeps Dominus *Chriſtiernus Danorum, Suecorum, Norvegicorum Gothorumque Rex, Dux Slesvicenſis, Holſatie* &c. Dominus noſter clementiſſimus ac auſpicante Deo opt. Max. ſponſus tibi chariſſimus obviamqve letitie manibus te nobiliſſimam *Danorum* deſignatam Reginam cum incredibili gaudio excipit, qvi ſic te abſentem amavit ut indulgentiſſimus amator ſponſam ſuam nunqvam qvispiam amavit te verius cordialiuſve, ſic tuis congaudet receptui et ſplendori, ut univerſam regnorum ſuorum gloriam juſte tibi inſervire ſtatuit et exoptat. Testes ſunt eius rei oculi regii, quos velut lucidas gemmas in venuſtiſſimam ac candidiſſimam faciem tuam deſigit, eſt enim in illo roſeo vultu tuo eximia qvædam gratia oculorum, qve mirificam totius corporis pulchritudinem atteſtatur, de qva omnium circum aſtancium atqve intuentium *Danorum* unica vox atqve ſenten-

ſententia hec eſt, non poſſit vicium tam pulcra ſede locari, gratior eſt pulchro rutilans in corpore virtus: Formoſo etenim, ajunt, principi homines libenter obediunt ſperantes de virtutibus internis propter exteriorem decentiam corporis, qvoniam anime ſeqvuntur corpora. Et apud juris conſultum qvia diverſitatem corporum ſeqvitur diverſitas animorum; ſed hec alias, ut nec adulatoris me partes egiſſe aut reginalem celſitudinem tuam nunqvam ſatis collaudatam offendero. De tue enim ſublimitatis et gloria et Maieſtate atqve rerum magnitudine qvid adhuc dicam, ait Paulus ad Hebræos, deficeret me tempus enarrantem. Ad orationem igitur noſtram finaliter dicendi propoſitum reflectimus; optatiſſimo inqvam tuo adventui occurrit, potentiſſima *Danorum* Regina Domina *Chriſtina* *), omnium qvas ſuſtinet tellus nobiliſſima princeps, ſereniſſima qvoque ac virtuoſiſſima principiſſa *Eliſabeth* Brandiburgenſis Marchioniſſa regii *Danorum* ſangvinis nobiliſſima proles**), Germanieque et exterarum nationum illuſtrium et Sereniſſimorum principum: Clariſſimi Oratores Reverendiſſimiqve *Danie* Epiſcopi, Milites, proceres, nobiles Domine, caſte et amabiles Virgines cum utriusqve Eccleſiaſtici militaris ordinis generoſiſſima *Danorum* nobilitate: Exultat, inqvam, plebs omnis *Danica* etas conditio ſexus, aer, tellus et vaga ponti mobilis unda, qvibus omnibus in ſplendidiſſimo tuo adventu de introducta ad ſe pace liberalitate et clementia communis ratio eſt gaudendi. O! nos ter qvaterqve felices, qvibus in hoc florentiſſimo alioqvin opulentiſſimo *Danorum* Regno, ſub invictiſſimo Rege noſtro, tam felix tam potens tamqve virtuoſiſſima eſt deſignata Regina: Faxit Deus Opt. Max. ut eisdem invictiſſimis regibus inclitam regni *Danici* Monarchiam feliciter gubernantibus criſtiana religio augmentetur, defendatur, Eccleſiaſtici ſtatus, dignitas et libertas extolletur, regni nobilitas amabitur, clementia in ſubditos et exules exerceatur. Et qvid amplius, religio, pax, tranqvillitas, victoria, vetuſta *Danorum* libertas ac univerſarum et fortune incrementa ſub his regibus feliciter redeant et reviviſcant: Sereniſſima et Potentiſſima *Danorum* deſignata Regina poſt Deum celeſtium Regem orbis et univerſe terre dominatorem, Regem noſtrum nobiliſſimum *Chriſtiernum* individue diliges et unice readamas, juſticiam coles ac fideliſſimos *Danos* in tua protectione ſuſcipias; in his enim preceptis dependet lex et concordia regni.

CCXXXVII.

M. Gableri Epiſtola metrica in laudem Regis Chriſtierni Secundi.

Auctor, gente Germanus, A. 1521 huc vocatus, ad cathedram linqvæ græcæ in Univerſitate hafnienſi ſuſcipiendam, paulo tamen deinceps regno diſceſſiſſe videtur (*cfr. Kiöbenhavnſke Selſkabs Skrifter* III. p. 22. 26). Unicum, qvod brevis ſuæ in patria noſtra commorationis monumentum reliqvit, carmen eſt forma qvarta impreſſum, ſub titulo: *In laudem illuſtriſſimi invictiſſimiqve Chriſtierni Danorum Regis Mathiæ Gableri Stutgardiani extemporanea Epiſtola. Ejusdem parœneticon in comoediam, quam M. Chriſtophorus Jacobi eques Danus luſit.* In calce: *Impreſſum Haffnye per Balthaſarum Blume. Anno Domini M. D. XXI. menſis Junii.* Frons libelli *Arma Regis Dacie* præfert. Hunc libellum haud uno nomine dignum

*) Vidua Regis *Johannis*.

**) Soror Regis *Chriſtierni* 2di.

dignum judicavimus, qvi iterum, in hac Collectione, typis exſcriberetur, juxta exemplar, olim *Canuti Daa*, jam forſan unicum, in Bibliotheca Regia exſtans. Obſervationes *Joh. Grammii* de perſonis hic laudatis extant in *Kiöbenh. Selſkabs Skrifter* IV. p. 255 ſq.

Incomparabili viro Chriſtierno *) *ab epiſtolis* Danorum *Regis illuſtriſſimi invictiſſimique* Mathias Gabler *felicitatem.*

Erubuit guttis celebris Chriſtierne *ſalutem*
Exiguis ſtillans littera ferre meam
Robora Tenariis fugiens ſuffulta columnis
Noluit et doctum limen adire tuum
Quom gelidus viſu tremor omnes obſtruit auſus
Et grauitas verſus cogit abire meos
Protinus aurato fugiunt a limine miſſi
Aeolii deinceps quos rapuere noti
Tunc dubia volui ſuſpenſus ſingula mente
Lumina dum clauſit ſomnus aperta gravis
Feſſus vix placidam membris dedit ille quietem
Ante oculos aderat corporis umbra tui
Irriguit corpus contractis vndiqve membris
Quam fugiens vocem viſa dediſſe mihi eſt
Exue terrorem και γηοκόνους μελεδῶνας
Littera nam praeſens ſaepe petita placet.
Talibus incaluit gelidus per viſcera ſangvis
Ceperunt vires pallidam membra ſuas
Quapropter rudibus noſtris ignoſce camoenis
Quæ referunt animi gaudia magna mei.
Aurea Saturni naſcuntur ſaecula regis
Et redeunt anni tempora laeta novi
Diuite de cornu ζειδωρος χρουρα quotannis
Agro quis homini cuncta ferente dabit
Virginibus comitata dice et caeleſtia ſpernit
Tecta panomphaei filia chara Jovis
Labitur e caelo iuſtos accedere tentans
Heroas paſſim qui ſua jura colunt
Gnaviter ex aequo qui curant nocte dieqve
Ne volat ad ſuperos crimine pulſa polos
Hanc celebri glaucae defendit pallados illa
Pierii clypeo turba novena chori
Et Tyrio tinctas circumdant murice veſtes
Et fert incenſis thura Sabaea focis
Palladiis faſces idcirco magnanimi nunc
Artibus heroes ſuppoſuere ſuos.
Ut veneranda ſophi Pompeius limina magni
Tranſiliens faſtes depoſuitqve ſuos

Quod

*) Scilicet *Chr. Cymonio (Winter)* gente *Cimbro*, Regis Chriſtiani 2di Secretario. cf. *Kbhvn. Selſk. Skr.* IV. p. 256. 287. Binæ ejus Epiſtolæ, ſcriptæ Spiræ 26 Apr. 26 Mai 1532 extant in *Epiſtolarum miſcellanearum ad* Frid. Nauseam *Blancicampianum* Libri X. Baſil. 1550. fol. p. 112. 120.

Quod proceres longo praeſtarunt ordine quondam
Quosvis Roma deo Marte ſuperba tulit
His ſatis impulſu mentis feror inde procaci
Quae nequit antiquos enumerare duces
Magnanimos habeant quum ſaecula tempore noſtro
Qui ſuperant veteres artibus hoſce duces.
Conſiat et eſi etiam phaebo clarius axe
Artibus haec veterum cedere ſaecla novis
Precipue trifidi rex clarius imagine ſceptri
Danorum *obſcurat. nomina geſta ducum*
Qui populis mandat. gelido circumdat amictu.
Quas. et hyperboreis. frigidus axis. aquis
Vnde Gothi fortes. Hunnorum ſemina dira
Quos Marius. Cimbri. contudit ille feros
Et Longobardi diris gens dedita bellis
Hi quibus haec nomen pendula barba dedit
Qui patriæ fines egreſſi. diuitis agros
Auſoniae laetos obtinuere ſuos
Quis non multijugis animum miratur in illo
Dotibus ornatum. verba diſerta ſtupet
Conſiliis pollet nec enim eſt prudentior alter
Quem gelidis luſiret menſirua luna rotis
Iuſuper ora decor. lingvae και ποτνιαπειθω
Poſſidet altiloquae flumina blanda ſuae
Terruit ignarum Pericles qua ſaepe popellum
conſediſſe putant cuius in ore deam
Hunc alius ſuperat non relligione deorum
Thuricremis ſtatuunt qui ſua dona focis
Relligione Numa. bello fortiſſimus Hector
Juſtus Ariſtides iuditio eſt populo
Comunis tutela boni. procul exulat omne
Quo cenſore nephas et phlegetonta ſubit
Cujus obumbrarent non Praxiteles Polychetus
Procerì pulchram corporis effigiem
Non oculos veſtit teneros quos Marcius horror
Verticis aurricomam caeſariemue ſui
Omnia praeterea promptum ad certamina corpus
Quo nihil illuſtris pulchrius orbis habet
Seu velocis equi falcatis ipſe lupatis
Exiguo volucres flectit in orbe pedes
Seu valido torquet tranans hoſtile lacerto
Seu gladio volitat per fera bella ſuo
Seu præfixa ferox venabula cornea ferro
Spumantis tepido ſanguine tingit apri
Seu volat ante ſuos volucri velocior euro
Seu dat pertimidae terga inimica fugae
Vt lupus aut torui quantumvis ora leonis

Dant

Dant pecus intrepido permetuenda duci
Milite conducto pugnat mars alter in armis
Fertur et Ismario conſpiciendus equo
Hic dedit imperio rumpentes. marte ſecundo
Continuo Suecos *ſaedera ſancta. ſuo*
Et phas jura negant homines et numina fallunt
Non Jovis imperium. non phlegetonta timent
His domitis clarus victor celebriqve triumpho
Lucida ſyderei fertur ad aſtra poli
Supplicio juſte non nullos terruit hoſtes
Fedifragos duro ut federa ſancta colant
Perfidiae penas ne plebs perdiſceret inde
Turpis Romulide ſaepe dedere ſuis
Mecius ut dubia deſciſcens mente ſubactus
Dilaceranda citis curribus oſſa dedit
Hic patrocinium miſeris. cuſtodia pacis
Diſcutit ex aequo iurgia vana ſecans
Horret dorophagos qui deficiente crumena
Deficiunt miſeris auxiliumqve negant
Quae rabulae tria luſtra ſolent ſuſpendere donis
Corrupti quos nunc teutona terra fovet
Praelia bellovagos ſouet hinc Germania pugnax
Poſipoſita multis relligione locis
Dani *rege ſuo ſaelices jura ſenatus*
Qui ſacroſancti diſcutit atqve colit
Coeleſtis ſophiae vindex fulcire ruinam
Aggreditur. doctos vult quoqve habere viros
Magna Carolſtadio *) *promiſit praemia docto*
Adventum cuius curia tota vocat
Gnaviter hunc procerum diuina volumina regem
Voluentem ſequitur ſirenia turba ſuum
Conciliant homini quae aeterni numina regni
Et ſuperi monſtrant limina clara poli
Hic bifidi doctor juris Vincentius **) *alto*
Dania *quem natum protulit alma loco*
Et magno inſignis pro auorum nomine doctus
Chriſtophorus ***) *ſuaues fundit ab ore ſonos*
Hic rapido multos doctor qui ducit ab orco

Regis

*) "Recte quidem Caroloſtadium ingenti mercede conductum obſtrepit; Nam caſca ſemper caſcum ducit, et pares ferè cum paribus veteri proverbio facillime congregantur. Et niſi hujus Poete ejusqve comilitonum perfidiſimis conſiliis miſere ſeductus fuiſſet, qui nunc, ut Tyrannus, incertis ſedibus exulatur, haud dubie clariſſima Cymbrorum ſceptra, cum percelebri ſui nominis gloria, ut Rex Chriſtianiſſimus, in hodiernum usqve moderaretur." (*Margini adſcripta manu antiqva, forſan ipſius* Canuti Dna).

**) Vincentius Lungius Vincentii f. J. U. Doctor, A. 1536 trucidatus; *Grammius* l. c. p. 259 ſq.

***) Chriſtophorus Rafnsberg, filius Jacobi Ibſön, Canonicus Roſkildenſis, A. 1518 & 1525 Rector Univerſitatis. *Grammius* l. c. p. 263 ſq.

Regis Alexander *) *vivit in arce ſui.*
Hic variis ſophiae donis fulgensqve magiſter
Mathias **) *juvenes nocte dieqve docet.*
Hic titulis magnus ſacrarum Paulus Elie ***)
Magnificis rerum dogmata ſacra canit.
Nec non et Torchillus ****) *amans ſacrosqve poetas*
Prælegit aſſiduo ſcripta polita ſuis
Omnes enarrant doctorum ſcripta virorum
Hiqve docent juvenes optima qvæqve ſuos
Omnia quae digitis duro conamine lasſis
Non potuit calamus connumerare meus
Auſpiciis quorum σφιγξ ignorantia dextris
Pellitur extremos in maris illa ſinus
Sed male tornatos perſuadet epiſtola verſus
Aures ne laceret clavdere craſſa tuas
Dania *terra potens quae laudibus aſtra beato*
Rege ferit doctos qui colit ipſe viros
Suſpicit orbis eum totus veneratur amatqve
Seruantem veri dogmata ſancta dei
Vnde ſalus. robur. rerum fortuna ſecunda
Phama. decus. Pylii tempora longa ſenis.

Ejusdem Paraeneticon ad ſpectatorem comoediae, quam luſit facundus magiſter Chriſtophorus *eques* Danus.

Lector amice diem per totum lectio cedat
Et manibus quiequid doctus in vrbe tenet
Vt cupidos paſcat commoedia dulcis ocellos
Compoſitis ſalibus ridiculisqve iocis
Quom nihil utilius ſol lumine luſtret
Pallida vel gelidis luna reuiſit equis
Nec pater oceanus frugum tot commoda nobis
Auriferi nec fert omnis arena tagi
Τῶν ἀγαθῶντε θαλασσα *feret comoedia praeſens*
Romulei quot nunc eloquii cupidis
Hec breuiter pulchri diuinum monſtrat honeſti
Archetypon vitae quodue ſequare docet
Chriſtophorus *docuit quam nuper ludere doctus*
Auſonii ſuperans eloquiiqve deam
Cui referunt merito grates iuvenesqve ſenesqve
Laudibus extollunt ſemper ad aſtra poli

Invi-

*) *Alexander Kynſorus*, gente Scotus, Medicinæ Profeſſor, Medicus regius, l. c. p. 266. cf. p. 289.

**) Mag. *Mathias Petri*, Decanus Facultatis artium, 1521.

***) Famoſus ille in hiſtoria reformationis danicæ *Paulus Eliæ* Carmelita, vulgo *Povel Vendekaabe*, de qvo extat Comment. hiſtorica *Chriſt. Olivarii*. Havn. 1741. 8.

****) Chriſtiernus *Torchilli* Morſianus, in Univerſitate noſtra Prof. Medicinæ, ob. 1560, cf. *Grammius* l. c. p. 271.

Invidus at tetricam qui rugis undiqve frontem
Syllographusqve plicat praemia laudis erunt
Mortua vultur amat tetro ſqualentia odore
Corpora ſinceros et fugit ille cibos
Quapropter procul hinc Zoilus contemptor honeſti
Abſit et in proprio pendeat ille luto
Qui nihil acceptat veneratur nil niſi ſordes
Barbariem toto pectore ſemper auens.

Chriſtierni Torchilli *ad lectorem octoſtichon.*

Piereos quicunqve cupis guſtare liquores
Caſtalioqve caput tingere fonte tuum
Huc celerem conferto gradum Gablerius *adfert*
Ex helicone puer pocula larga tibi
Tanta ex Gableri *facundia proſilit ore*
Reris ut eloquii ſemper adeſſe patrem,
Smyrnam ſi peteres in qua regnavit Homerus
Hoc viſo caneres vivit Homerus adhuc.

Impreſſum Haffnye per Balthaſarum Blume. Anno Domini. M. D. XXI. menſis Junii.

CCXXXVIII.

Diploma Chriſtierni secundi ad Johannem Vetelanth Dantiſcorum Conſulem.

Inſeritur hocce Diploma, ad exemplar libelli rariſſimi, 4 foliis in Quarto, jam in bibliotheca *Hielmſtierniano – Roſencroniana* exſtans (vid. Catalogus Tom. 1. p. 340) ad qvam forſan e bibliotheca *Foſſiana* (Catal. p. 280.) olim devenit. Integrum præfert titulum ſeqventem: *Diploma illuſtriſſimi Principis, D. Chriſtierni, Daniæ, Sueciæ, Noruegiæ Regis &c. ad Joannem Vetelanth Dantiſcorum Conſulem, in quo certæ rationes continentur, quibus ſe ſereniſſimus Rex ob impetrandam reſtitutionem a ſtagnalibus ciuitatibus aſtrinxit.* Calci Exemplaris manus perantiqva adſcripſit:

"Deſſe Schrifft har Koning Criſtiern allene gemacht, das Er ſich de wendiſche Stett wolde anhengig machen."

Hujus libelli verſio danica antiqva in forma 8va extat, cujus exemplar, ſine titulo & calce ſervatur in Bibliotheca regia, cui accesſit e bibliotheca *Udalliana* A. 1803 ſub haſta publica, diſtracta (vid. Catalogus ejusd. bibl. pag. 427.). Contentum hujus Epiſtolæ exhibetur in *Hvitfeldii* Chronico, Tom. II. pag. 1288. De *Johanne Wenteland* Licentiato, Doctrinæ Lutheri addicto, inter motus urbis Dantiſcanæ domeſticas biennio partes agente et exiguo temporis ſpatio munere Conſulis ſuſtinente, mox vero intra qvartam menſem poſt hunc libellum editum, capitis ſupplicio affecto, plura leguntur in *Dan. Gralaths Geſchichte Danzigs* Tom. I. pag. 504. 520. 530. 533. 537.

Veræ

Veræ pietatis assertori pio & christiano Lectori Johannes Michael *gratiam & pacem.*

Luce clarius esse jam opinor, qva fraude quove dolo Serenissimum D. *Christiernum Danorum Regem* &c. Dominum meum Clementissimum hostes sui, regnis hereditariis expulerint. Qui cum viderent jure nequaquam se posse illum convincere, vi & armis illustrissimum Principem opprimere tentarunt. Equidem in hac sum sententia, vt credam, nihil injustius vel iniqvius esse vsquam, atque illi injicere manus, qvi jure stare paratus sit. Id quod satis declarauit conuentus Sacratissimi Cæsaris commissione, primum Hamburgi, deinde Hafniæ, postremo Lubecæ celebratus. Præter hæc præsens diploma ad Dantiscorum consulem adhuc misit, pacis conditiones hostibus suis vltro offerens ac veluti nolentibus obtrudens. Quæcunque tandem fuit causa edendi hujus diplomatis certe hæc præcipua fuit, ut innotescceret toto orbi illustrissimi Principis clementia, quæ semper piis, honestis & justis conditionibus, redigi cum inimicis suis in concordiam voluerit. Porro cum anno superiore mense Decembri, forte fortuna in D. *Johannem Ventelanth* Dantiscorum Consulem, Antuerpiæ incidissem, post multos sermones vltrocitroque in præsentia multorum habitos, Serenissimi D. *Christierni* Danorum Regis &c. Domini mei Clementissimi facta est qvoque mentio. Ibi tum pro meo officio, qvo Serenissimo Regi obnixus sum, rationes & conditiones, quibus se regia Majestas restitui cuperet, subindicabam. Quas cum ille nequaquam repudiandas esse audiret, pio concordiæ & pacis studio accensus, regis causæ patrocinari incipit, cumque vellet vtrinque bene consultum, prouinciam minime se indignam cæpit. Nimirum deferendi illas ipsas conditiones a me Regis nomine sibi indicatas ad Stagnales, vt vocantur, ciuitates. Paucis post elapsis diebus proficiscitur ad ciuitates maritimas, conditiones illis indicat & renunciat, sed optimi viri piis conatibus non successit. Tandem ad Dantiscos suos redit, illos pariter regiæ voluntatis admonet, & qvod potest maxime ad concordiam hortatur, ibi subdoli quidam ad fraudem egregie instructi innocentissimum virum proditionis insimulant. Proditorem proclamando, summam infamiam inuidiamque illi conflant. Putaui igitur mearum esse partium, integerrimi viri innocentiam, quoquo modo possem defendere, idque sperabam me alia ratione non posse facilius, quam si diploma ab illustrissimo Principe ad illum perscriptum publicarem. Ex quo cognoscceret quiuis, magnam optimo viro factam esse injuriam nullumque proditionis & perfidiæ vestigium in ipso animaduerti posse. Deinde quum semper regia Celsitudo parata fuerit suam causam cordatorum hominum judicio committere, qui, ut jus & pietas postularent, citra cruentam stragem litem componerent. Nunc vero, quantum conjectura consequi possum, Deus optimus maximus longa aliaratione, pientissimum Principem restituere parat, dum pium & hostibus quam vtilissimum consilium euentus inexpectatus consequitur, dumque pacis conditiones vltro oblatas ipsi spernunt & repudiant. Deum immortalem, quanto morbo vulgus laborat, quod cum semel seuire & insanire inceperit, non potest vlla ratione, vllo consilio vel prudentia postea mitigari. Tu queso amantissime lector, Deum ora, vt omnia fortunet, vertatque in melius vt serenissimum Regem cum inimicis suis in concordiam redigat, atque postea perpetua pace frui donet. Vale Liræ tertia die Aprilis. Anno virginei partus *sesquimillesimo vigesimo sexto.*

Chri-

Chriſtiernus Secundus Danorum Rex &c.

Benedictus Deus Pater & Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui nos in omni afflictione noſtra & calamitate conſolatur vberrime, Gratia Jeſu Chriſti ſit tecum adeoque omnibus in Chriſto fratribus amantiſſimis.

Quamquam multis nominibus, optime in Chriſto Frater, tuum obſequium, quod nobis in hac vsque adeo labefactata noſtra condicione ſponte exhibes, eſt ita gratum vt quam gratiſſimum, tamen hoc uno nobis ſummopere commendatur, quod ad pietatem omnia referri & diuino probari verbo exoptas. Quod & nos jam dudum ſummo deſiderio, ardentiſſimis votis, a Deo optimo Maximo cum piis omnibus orauimus, & quod nobis facile perſuademus, jam exoraſſe, cum te virorum nonnullorum predicatione, preſertim *Joannis Michaelis* noſtri, viri & conſiliarii integerrimi, pium & chriſtianum ſubornarit, qui nobis non modo pie & candide conſulas, ſed etiam conſoleris copioſiſſime. Eo enim venimus diuina gratia intelligentiæ, vt acceperimus diuinum verbum, eſſe Lidium iſtum lapidem, quo omnia probentur, caſtigentur & emendentur. Et vbi jam Chriſti cognitione nacti ſumus, conſcientiæ & cordis, erga Deum, pacem, nihil ardentius deſideramus, quam vt olim cruentis plus ſatis vtrinque noſtris partibus communi pace conſulamus, quod vigilantius Domino Deo in mitigato rerum noſtrarum ſtatu ſeruiamus. Et quemadmodum pace, concordia, & charitate mutua nobis nihil in preſentiarum dulcius, charius & optabilius, (satis enim in tenebris plus quam ægypciis fueramus) preſtari poteſt, ita nihil moleſtius, acerbius & minus optatum diſſidiis, diſcordia & cruento adeoque impio bello. Haud etiam ambigimus te ſingulari quadam Dei miſericordia nobis contigiſſe, vt ſi qvoquo modo tua interceſſione ad fratres tuos & conciues prudentiſſimos, ſine cruenta ſtrage nos in regna noſtra redeamus, vt certo futurum ſit, quo noſtri reſtituti, vos ſimul ac pios omnes nunquam pæniteat. Sed quicquid antea cum Deum ignoraremus, ab vtraque parte & noſtra & ex veſtra peccatum eſt, (quid enim tum non faceremus?) hoc abunde jam pietate adeoque fraternis & mutuis preſidiis reſarciemus. De nullis enim ex animo gaudemus melius mereri quam de iis qui nos grauiſſime leſerint. Scimus enim impia cæcitate & ignoratione Dei delictum eſſe, atque tibi adeoque piis omnibus abunde perſuaſum ſit, nos hoc negocium non papyro & calamo agere, ſed animo & corde. Deo enim volente & preſente hec ſcribimus, neque in animos veſtros prioris vitæ noſtræ cæcitas irrepat vnquam, ſed illum glorificemus, qui ex lapidibus filios Abrahæ & ex filiis Diaboli, ſuos faciat filios chariſſimos. Hæc enim eſt profecto optimi patris natura prius humiliare quam exaltare, etiam exaltatos iterum humiliare, efficere Memnone quouis & Andromeda nigriores, quos Angelis facturus eſt perquam ſimillimos. Deducit enim ad inferos & reducit. Neque hæſitamus nos breui reſtituendos. Conſolamur enim nos vel vnius Dauidis Regis ſanctiſſimi exilio, cujus non minus erant miſeræ atque inuerſæ honoris & imperii partes, atque hæ noſtræ. Sed Dominus illum reſtituit multo glorioſius, regius & magnificentius, vt qui illi antea erant ex profeſſo inimici, jam poſtea facti ſunt amici quam integerrimi. Haud abs re etiam mireris nobis diuinum verbum inclaruiſſe, omnia enim Dei opera noſtra admiratione ſunt longe digniſſima, apud quem nullus eſt reſpectus perſonarum, nec quales aliquando fuerimus, ſed quales nunc ſua gratia per fidem Jeſu nos regenuerit intueatur, apud illum nulla eſt vitæ prioris comminatio modo (vt ille inquit) preteritorum obliuiſcemur, preſentem gratiam & miſericordiam

diam obuiis vlnis & animis amplectemur. Fælices igitur nos iterumque fælices, ſi hanc talem Chriſti cognitionem non contempſerimus. Contemnimus enim ſatis, ſi non totis conatibus ad id nitamur, ne ingrati tantæ miſericordiæ prædicati jam verbi Dei fuerimus. Grauiter profecto vtrinque peccatum eſt, in nobis, qui nos præſides & magiſtratus a Deo electos tum non cognouimus, ſed malum malo ſuperantes injuriam vindicavimus, in inimicis noſtris, adeoque ſubditis, qui non nos quantumuis Dei ignorantes, abjecerint, ſed Deum ipſum & undecunque ſacræ teſtantur literæ obediendum eſſe etiam difficilioribus, partim propter conſcientiam (quoniam Deus præcipit) partim, vt communi pace dulces in alios viueremus, ſed vtut fuerit condonata ſunt omnia, modo vitæ prioris pænituerit, atque ſide jam renati fraterna, charitate vixerimus fæliciſſime. Quantum ad literas tuas attinuerit ad nos miſſas, ex hoſpicio tuo Antuerpiæ, Anno *ſesquimilleſimo vigeſimo quinto*, quibus ſane accepimus te ſola pietate adeoque Chriſti cognitione in communis pacis amorem incitatum. In qua re facis tu profecto optimi viri partes. Ita vt nos æque Deum in te glorificemus, atque in aliis Principibus, etiam potentiſſimis haud neſcientes non minus per te tuique ſimiles Jeſu Chriſti discipulos Deum poſſe & velle perſicere, quam per Magnates potentiſſimos quosque. Partim quo per illorum præſidia redeamus, quorum inuidia & iniquitate ſumus expulſi. Partim quo mutuis locupletati præſidiis nullorum inimicorum extimeſcamus inſidias. Quid enim tum metuemus, vbi diuino verbo plus quam adamantinis catenis reconciliati fuerimus. Nobis crede, nulla nos inimicorum vis, Deo propulſatore nos mutuos amicos labefactaret. Jam tu ipſe, prudentiſſime vir, copioſius meditare, quantum alteri alteris, mutua charitate confæderati conſiliis & auxiliis prodeſſe poſſent. Quantum seuiciei & tyrannidi noſtræ derogatum fuerit, tu ipſe partim ex aliis Chriſti amatoribus nobis, vt opinor, non omnino iniquis, partim ab his noſtris litteris diſcas. Neque negamus coram Deo noſtro nos tales non fuiſſe, quales pios & chriſtianos Principes deceret, in plerisque profecto non vobis noſtrisque ſubditis, tales tamque iniqui fuerimus quales inimici noſtri vndecunque proclamarint & judicarint. Vos ipſi colligite, quantum vtrinque commiſſum fuerit. Facile erratis noſtris veniam daturi, quemadmodum nos ex toto animo veſtris. Hæc profecto niſi verbi Dei illuminati & docti, non ſcripſiſſemus vnquam. Quantum ad bonorum reſtitutionem, præſertim Dantiſcorum, optimo feremus animo, pios eosdemque cordatos, vtrinque eligi homines, qui inter nos ita rem componant, vt profecto veſtra jactura non fiat (didicimus enim jam gratia Dei prodeſſe non nocere) ita tamen vt ab vtraque parte nos ipſos emendemus & liberaliter, quod impie direptum fuerit pie reſtituamus. In qua re etiam profecto tuum conſilium (quandoquidem pium eſt & a Spiritu profectum) nobis ſummopere probatur. Optaremus enim nos ipſi hoc idem a vobis, quanto minus non præſtaremus. Ea tamen ratione vt per vos veſtraque preſidia ad conditionem & ſtatum noſtrum in omnibus (vt antea) reparatum & reſtitutum redeamus, tum demum omnibus juſte & ſancte reſpondeamus. Jam enim aliter fieri noſtræ partes non ferunt ſed olim laturæ, vt ſperamus liberaliſſime. Hoc idem de privilegiis veſtris ſentimus. Neque vnquam hæſitetis nos pro virili non modo quæ juſta ſeruaturos incorrupta, verum etiam ita emendaturos vt facile nobis patrocinemini nobis reſtitutis, vos multo fore feliciores, modo veſtra opera auxilio & ope ſine cruenta ſtrage reſtituamur. A nullis enim commodius quam a vobis fieri poſſet. Neque aliam niſi coacti ingrediemus viam.

Tum

Tum demum, sensuri estis quantum nos restituti vobis vicinis ex amicis contra inimicorum insidias prodesse posſimus, atqui quantum vos nobis etiam opitulari posſitis, profecto tantum vt nobis vtrinqve amicis et confæderatis nulla hoſtium, quamtumuis potentum, vis lædat, labefactet vel expugnet, quantum ad ciuilius, melius et ſanctius regimen noſtrarum regionum attinuerit vobis ſit perſuaſisſimum, nos jam dudum in animum inſtituiſſe vt regimen ſtatus, mores et vita, verbo Dei respondeant, ad quod renouari et emendari optemus ex animo quam ardentiſſime. Poſtremo non est vt de noſtra fide et integritate ambigatis, quandoquidem his nobis jam nihil prius et charius eſſe poterit vt ita vobiscum rem componemus, quo nunquam vos nostræ amicitiæ neqve nos (vt ſperamus) vestri fœderis pœnitebit. Noli obſecro, noli tibi veterem illum *Chriſtiernum* meditari, quemadmodum neqve nos Dantiſcos veteres intuemur, qui quanquam peculialiter præ ceteris nobis dilecti fuerant (noſti enim quid aliquando illorum cauſa feceramus) tamen jam multo chariſſimi, cum acceperamus diuinum jam illis inclaruiſſe verbum, quod non potest non veteri Adamo derogare quamplurimum, quod vt nobis optimus pater ſuo Spiritu adaugeat per Jeſum Chriſtum, precamur. Preterea ſi his quemadmodum nobis perſuademus integram non habuerimus fidem, subornemus fide digniſſimos viros et Principes, quod et vos facturi eſtis, qui nos vtrinque ita reconcilient, ut neque ſi vellemus, poſſimus, neque ſi poſſimus, vellemus fœdera noſtra corrumpere vnquam. Quicquid jam in his noſtris partibus feceris, pie, juſte et ſancte ita ſeruemus inuiolatum, vt nullis rationibus ſinamus violari vnquam. Hec omnia tecum quemadmodum cum Chriſtiano homine copioſius egerimus, quo perſuaſisſimum ſit ſibi et piis omnibus, neqve vindictam neqve ſangvinem ſitiri, vbi fœdere, pace, et concordia inimicorum fœuicia mitigata fuerit. Vale in Chriſto fœliciſſime. *Locæ* Nonis Decembribus, Anno virginei partus *ſeſqui milleſimo vigeſimo quinto.*

Ego *Chriſtiernus*,
protestor manu mea propria.

CCXXXIX.

Duodecim Excellentiæ regni Daciæ.

Hoc ſcriptum imprimendum curavimus juxta apographum, qvod olim poſſedit *Langebekius* vel e Collectaneorum *Bartholinianorum* Tom. 1. (A) vel e Mſto Bibliothecæ *Reſenianæ* (vid. *Catalogus* p. 165), utroque cum cæteris Bibliothecæ Univerſitatis Hafnienſis Mſtis, ferali incendio 1728 conſumto, deſcriptum; additis præterea nonnullis ex apographo in *Libro Collectaneorum P. Olai*, de qvo ſupra Tom. 1. p. 68-69. Cum pluribi occurrit appellatio regnorum borealium eccleſiaſtica *Provincia Daciæ*, a vero non abhorret, auctorem ordinis vel Prædicatorum vel minorum fratrum monachum fuiſſe (cf. *Suhmii* Hiſt. Daniæ T. IX. p. 336) & quidem gente *Danum* (§. 7), qui, ut ipſe fatetur (§. 3.) A. 1527 vixit et ſcripſit, adeo tamen, ut ſub *bellis inteſtinis civilibuſque diſcordiis* (vid. ultima libelli verba), nimirum annis obitum *Friderici 1mi* proxime ſubſeqventibus, ultimam manum opuſculo admoviſſe videatur. Auctor forſan ipſe fuit *P. Olai*, qvi hujus ſcripti narrationem de origine vexilli Danebrogici Annalibus rerum Danicarum (Tom. 1. p. 182) inſeruit.

Qvoad

Qvoad fontes vernaculos adhibuit, *Geſta Danorum*, ſcil. *Th. Gheyſmeri* Compendium hiſtoriæ Daniæ, *Chronica Danorum* (ſine dubio Chronicon Daniæ rythmicum) nec non *Saxonem in extenſo*, ſeu ipſam Saxonis hiſtoriam, jam A. 1514 publici juris factam.

Duodecim Exellentie particulares, ex qvibus provincia Dacie pre ceteris citra mare probatur ſingulariter prerogata.

Primo.

Ex naturalis vetuſtatis Origine.

Hujus igitur Daciane provincie, gentisqve Gothorum vel *Danorum* initialis origo, ejusqve vetuſta antiqvitas olim a vetuſto illo Magog, filio Japhet, filii Noe cito poſt diluvium in principio ſecunde etatis mundi naturaliter incepit. Nam ab eodem Magog Gothi, qvi et Dani, originaliter deſcenderunt; Qvi jam dudum multis annis per Svetiam ſeu Gothiam multiplicati, tempore Saruch, proavo Abrahe, has noſtras Danicas Regiones intrantes, paulatim occupaverunt, et deinceps qvietô ſemper jure, ut proprias tenuerunt. Elapſis tandem multis temporibus, Gothi, tempore Gedeonis Ducis Iſrael, a Dan pugile maximo primo Rege, relicto Gothico nomine, ab eodem Dan denominationis vocabulum induentes, Dani ſunt uſitatô vocabulô nuncupati, et *terra noſtra* iſta *Dacia* appellata. Ex qvibus videtur, qvod origine, natura, patria et lingva Dani ſunt Gothi, et Gothi Dani. Hec vera probantur per *geſta Danorum*, per *Hieronymum in Chronica ſua* et per *faſciculum temporum*.

Secundo.

Ex ampliſſima illius ſpacioſitate.

Pro qvo ſciendum, qvod ſecundum *Vincentium in ſpeculo*, olim tempore Rogau, alias Reu de qvo in Geneſi, ortum eſt primum Regnum mundi, a ſupradicto Magogh, videlicet Regnum Scitarum vetuſtiſſimum, maximum et multiplex, cujus partes principales ſunt *Dacia*, *Swetia* et *Norwegia*, tria latiſſima regna, ex qvibus una grandis conſtituitur, et integratur *provincia Daciana* in ultimo boreali mundi climate ſub polo ſeptentrionali et ſuper extrema littora Oceani ſituata a mari usqve ad mare, ſub largiſſima circumgirationis protenſione porrecta, marinis pene undiqve fluctibus circumcincta.

Tertio.

Ex Regalis Originis Prioritate.

Regiæ Dignitatis initialis origo et Prioritas in hac *Dacie provincia*, preſertim in *Regno Dacie*, a Dan pugile, filio Humbli primo Rege ſumpſit initium, et id tempore Gedeonis, Ducis Israel, cujus indeficiens poſteritatis ſucceſſio jam per multa millia annorum usqve ad preſentem Regem anno Dni 1527. ſceptra tenentem Danica, absqve interpolatione perdurans, exſtat feliciter proſecuta. Hec per *geſta Danorum*, et *Saxonem* in extenſo.

Qvarto.

Ex numeroſa Sobolis propagatione.

Naturales Soboles et filii provincie Dacie, nulla autentica Chronica diſſentiente, ſunt Gothi, Huni, Switenſes, Wandali, Longobardi, Sembii, Normanni, Maſſagete, Cimbri, Amazones Danice bellatrices, et poſtremo *Udgerus*,

gerus, Dux chriſtianiſſimus de Dacia, qvi Dei gratia fretus, omnes regiones a Hieruſalem usqve Indiam ulteriorem viriliter preliando ſibi ſubjecit, et Chriſtianitati obtinuit, et in ſuperiori India primus Chriſtianorum Principum regnavit, fidem Chriſtianorum ibidem jam dudum exſtinctam introduxit. Moriens ergo, ſucceſſorem inſtituit Johannem Presbiterum, a qvo ceteri Indorum Principes usqve in preſens denominationis vocabulum ſortiuntur. Hii ſunt robuſti tirones et filii potentes, qvos dicta *Provincia Daciana* ex ſe tanqvam ex ſuis viſceribus naturaliter productos, ſub variis priſcorum temporum circulis in totius pene mundi debellationem emiſit. Qvi communiter per orbem diſperſi, totum pene mundum, qvantum ad tres ejus partes principales, videlicet Aſiam, Africam, et Europam, horrendis bellis, vaſtationibus, incendiis ac cedibus concuſſerunt, et pro majore parte ſubjecerunt. Et qvia omnes iſti ex hac eadem Scitia, ſeu *Danica Provincia*, infallibiliter prodierunt, ideo origine, patria, natura et lingva *Dani* ſunt, propter qvod acta eorum fortia per mundum patrata non incongrue in ſeqventibus ſub expreſſione *Danici* Nominis brevi ſub compendio perſtringuntur. Hec eſt illa vetuſta, et ſeva militia *Daciana*, qve qvondam jus et fulgorem imperii ſui per omnes tractus Occidentis et Orientis, usqve ad ſuperiorem Indiam concluſive, ſummis ubiqve viribus, armis, et induſtria preliando, pre ceteris mundi nationibus magnifice dilatavit.

Qvinto.

Ex ſui per mundum ſeminis diffuſione.

Non ſolum autem in prole dicta provincia probari fertilis et fecunda, verum etiam in naturalis ſui ſeminis, prolisve danice per totum pene orbem ampla diffuſione multiplex, et abundans. Nam in Oriente ſeu Aſia Majori ſunt Amazones et Maſſagete, danice bellatrices, olim ex claro Gothorum, Danorumqve ſangvine deſcendentes. Qve qvondam minorem Aſiam, dehinc majorem, armis potenter et preliis per centum annos domuerunt; et adhuc latas valde regiones circa montes Caſpios non procul ab India tenent et poſſident. Inſuper ſtrenuiſſimus ille chriſtianæ religionis propugnator, tutor et ampliator præcipuus *Udgerus* Dux de Dacia, de qvo ſupra, vetuſtam illam Danicalis ſeminis propagationem in Orientem, in ſua ſuiqve ſucceſſoris Johannis Presbiteri primi Indorum Principis ab illo inſtituti generoſa poſteritate latius dilatavit, qve usqve hodie partibus in illis, ut dicitur, perſeverat. Hec probantur per *Vincentium in ſpeculo*, per *faſciculum temporum*, et per *Bartholomeum in proprietatibus rerum*. Iſte Udgerus plus fecit in propugnatione Chriſtianitatis, in partibus Occidentis et maxime Orientis viriliter preliando, qvam omnes Imperatores Romani a Carolo Magno usqve in preſens jam per mille annos, cujus ſimilem non habet poſt dictum Carolum Oriens totus nec Occidens. Qvi revera eſt decus, ſplendor et gloria dicte provincie, unde et *Chronicis Danorum*, ſi fieri poſſit, eſſet utiqve aureis litteris inſcribendus. In Africa ſimiliter diffuſa eſt Danici ſeminis propagata poſteritas, videlicet in Getulis, qvi Getulicam regionem occupant, nec non in reliqvis Vandalorum, qve ex dicta provincia Dacia infallibiliter prodierunt ſecundum omnes Hiſtoricos Chriſtianos, qvi qvondam totam Africam, que eſt ſecunda pars mundi, armis et viribus devictam cum magna Carthagine, multo tempore ſub ſeptem Regibus, licet ſub gravi perſecutione Eccleſiæ tenuerunt. Hec probantur per *Mag. Bartholomeum de proprietatibus rerum*,

rerum, per *Antonium*, per *Vincentium* et *Faſciculum temporum*. In Europa, qve eſt ſecunda pars mundi olim dicta, noſtra Dacica ſeu Scitica provincia ſui ſeminis diffuſionem ad Orientem et Occidemtem terra marique, in ſua naturali prole et filiis, per omnes pene europicas partes ac regiones, numero et viribus diſſeminavit, qve usqve in preſens multo vigore in plurimis terrarum provinciis perſeverat. Et primo ultra montes ipſa provincia habet circa introitum Italiæ Lombardicam gentem, qve circa annum Domini 600 ſub Snione Rege Danie, tempore magne chariſtie, ſub publico edicto, ſorte ab aliis deſignati, turmatim Dania ſunt egreſſi. Et primo Pannoniam, dehinc Italiam intrantes, et illam in brevi qvantum ad omnes ejus partes ferro ſibi et igne devictam totaliter ſubjecerunt. Ubi multis annis ſub multis Regibus Danorum imperium ſub Danicalis ſeminis ampla effuſione effloruit. Sed et nunc uſqve hodie noſtra hæc Lumbardica gens regiones trans Alpes, qvas Lumbardicas appellant, qvieto jure tenent, et occupant. Hec probantur per *Saxonem* in extenſo perqve omnia Chronica autentica videlicet *Antonii* et *Vincentii*, item citra montes et intra dictam provinciam habet de ſuo ſemine Switenſes, gentem utiqve numero, viribus et armorum genere terribilem, de Gothorum Danorumqve ſangvine procreatam, ibidem Germanie ſuperioris confinia probitate perſpicua illuſtrantem. In Hungaria ſimili-ter et Pannonia, habet Hunos illos feroces jam Hungaros nuncupatos. In Hiſpania, preſertim in regno Arragonie ſunt adhuc reliqvie Gothorum Occidentalium, qvi patriam illam qvondam 270 annis qvieto jure poſſederunt. Et dicitur Arragonia qvaſi Arra Gothorum ſive Danorum. In Galliis ſeu Francia, Dacia habet de ſuo ſangvine Normannos, qvi tempore Ludovici Imperatoris Daniam, teſte *Antonio et aliis* egreſſi, qvi univerſam Franciam et Galliam adeo ferro, rapinis et incendiis contriverunt per qva .... annos, ut ipſe Romanorum Imperator Carolus pacem ſibi et ſuis tributi redditione redimere cogebatur. Magnam adhuc usqve hodie Francie partem, regiones videlicet ultra Secanam Fluvium, qvas Normanniam appellant, libera poſſeſſione tenere ſe gaudent, absqve contradictionis obſtaculo cujuscunqve. Hec omnia probantur per *Antonium*, *Vincentium in ſpeculo*, et *Faſciculo temporum*. Ex ſupradictis omnibus verificari videtur aſſertio illa probabilis *Barthol: de proprietatibus rerum libro* 15, qvod ex hac provincia Dacie, maxima pars Aſie et Europe olim extitit propagata.

Sexto.

Ex primeva Danici imperii per orbem amplitudine.

Igitur pro clariore evidentia dicendorum, plus advertendum eſt, qvod ſicut in nova ac veteri lege filii Iſräel plura et varia habent nomina, ut nunc Hebrei, nunc Judei, nunc ſemen Abrahe, nunc filii captivitatis, nunc filii transmigrationis, et his nominibus nuncupantur. Qvi tamen omnes appropriato et generali nomine Iſraelitæ ſunt. Et idem de ceteris gentibus per totum mundum. Ita conſimiliter et Dani plura habent et varia ſeu particularia nomina, ut verbi gratia, nunc Gothi, nunc Huni, nunc Vandali, Longobardi, Normanni, Amazones bellatrices Danici ſeminis tiraniſte. Sub his ſiqvidem nominibus, geſta per totum mundum patrata in omnibus chronicis deſcribuntur. Nunc igitur hec ſexta excellentia deſcribit ſub infallibili veritatis aſſertione primevam Danici imperii defenſionem. Qvam jamdudum ante et poſt Chriſti adventum in carnem memorate provincie Dacie ejus proles et filii naturales ſuperius prelibati in totius

mundi

mundi debellationes, qvantum ad tres illius partes principales videlicet Aſiam, Africam et Europam, ingenio, armis et viribus obtentam, per varias temporum vices, ſub ſui juris imperio freqventius ſubegerunt. Ab inſulis maris Oceani in Europa, narrationis exordium premittendo, qvod eſſet nimis longum retexere. Danorum imperium citra montes in Europa incluſit videlicet Hiberniam, Scotiam freqventer, ſed Britanniam majorem, qve nunc Anglia dicitur, freqventiſſime, et nonnunqvam 120 annis continue. Hiſpaniam totam a littore maris Oceani usqve Galliam 256 annis, ſub 25 Regibus. Galliam et Germaniam inferiorem et ſuperiorem usqve Alpes ſepe ſub multis Regibus, et preſertim ſub ſereniſſimo Rege Attila pagano, qvi flagellum Dei dicitur, in cujus exercitu erant peditum et eqvitum qvingenta millia armatorum et multi Reges prepotentes. Franciam univerſam per 50 annos ſub multis Regibus et Ducibus, cujus adhuc magnam partem Dani qvieto jure poſſident; regiones videlicet ultra Sechanam fluvium, qvas Normanniam appellant. Saxoniam totam ad minus octo vicibus, Slaviam univerſam 4 vicibus, Livoniam, Poloniam, Curlandiam, Eſtoniam, Rugiam, Pruſſiam, Ruſſiam. Freqventius Ungariam, Pannoniam freqventiſſime, regiones circa et intra Meotides paludes cum ceteris terris citra et ultra Danubium. He ſiqvidem regiones olim Danis primo in eorum primario exitu de Dacia receptacula præbuere, in qvibus diutiſſime ſederunt. Danorum imperium ultra montes incluſit Lombardiam, Emiliam, Liguriam, Tuſciam, Etruriam, Marchiam, Terviſinam, Campaniam, Calabriam, Marchiam Anconitanam, Sclavoniam, Dalmatiam, Siciliam, Apuliam, et totam Italiam. A primo Danorum introitu ſub Odeacro et Radagaſo Regibus usqve ad Deſiderium Regem per annos qvadringentos vel circa ſub 42 Regibus. Ipſam qvoqve Romam caput mundi et Dominam, Dani cum 200 millibus armatorum, hinc inde arcta obſidione cinxerunt; qvam tandem dejectis menibus et turribus ejus precelſis, per exuſtas portas ſub danicis vexillis ferociter cum gladiis et armis cruentatis intrantes ceperunt, ſpoliaverunt, et tandem rebus et hominibus penitus evacuatam incendio tradiderunt. Nec tantum ſemel, ſed qvatuor vicibus ceperunt eam, primo ſub Genſerico, ſecundo ſub Alarico Rege, et ultimo ſub Totila Rege, qvi flagellum dicitur, et bis cepit eam et incendit. Danorum imperium in Græcia incluſit Illyricum, Macedoniam, Achajam, Meſiam, Daniam ſuperiorem, Helleſpontum, utramqve Traciam, ubi eſt Conſtantinopolis. Et dehinc usqve mare mediterraneum omnia ferro et igne, ut ſeva tempeſtas, diruta ceperunt et poſſiderunt diutiſſime, imo per multa ſecula. Hec omnia probantur per *Geſta Danorum,* per *Saxonem*, *Anthonium*, *Vincentium*, *Yſidorum*, *Bartholomeum.* — Danorum imperium in Africa incluſit Africam univerſam et Libiam, qvantum ad omnes ejus partes usqve ad Oceanum meridionalem, tempore Vandalorum per 84 annos ſub octo Regibus. Qvi illic in magna Cartagine regnarunt, licet ſub gravi perſecutione Eccleſie. Iſti ſiqvidem Vandali in omnibus Cronicis autenticis et latinis inter Schiticas nationes recenſentur, cujusmodi ſunt *Daci*, *Sweci, Gothi,* Hunni, et hi Schiti generali nomine nuncupati, qvia de Schitia inferiore Europe cöexiſtant. Cujus partes principales ſunt Gothia et Dacia. Appropriato tamen vocabulo et particulari nomine Vandali nominantur a Vandalia regione regni Dacie, ex qva majores Duces illius exercitus fuere. Danorum imperium in Aſia et Oriente incluſit. Pro qvo adverte, qvod Aſia Magna eſt prima et principalis pars mundi, incipiens a mari mediterraneo, et pertingens usqve

usqve ad Indiam ulteriorem inclusive, prope Paradisum ad Orientem, includens in se totum Orientem, et mediam partem mundi, ut patet in *figura descriptionis mundi.* Danorum imperium non solum citra mare in Europa et Africa in manifestum protendebatur, verum etiam ultra mare magnum per universam Asiam dilatatum fuit. Et primo per Amazones Danici seminis preliatrices, qve teste *Bartholomeo de proprietatibus rerum* maximam partem Asie majoris per centum annos armis et preliis domuerunt. Item Udgerus Dux et Princeps de Dacia, de qvo supra satis dictum est, innumeris fulgens per mundum victoriis, Indiam superiorem et omnes intermedias asiaticas partes usqve Iherusalem preliando fortiter sibi christianeqve religionis imperio subjugavit. Hec per *Bartholomeum.* Item *Saxo* dicit Frothonem debellasse omnes reges orientales. Postremo Aurelianus imperator & ipse proles & filius nostre provincie *Dacie* in Dacia ripensi oriundus ..... victoriosus & mundo celebris antequam mouit contra .... quem *Matinus* in sua chronica ..... Augusto describit equalem in victoriis & triumphis. Hic siquidem Aurelianus Dacus Romanorum jam effectus Imperator totum orientem jam dudum per publicam sui defectionem a romana republica collapsum ad sui juris imperium, per plurima bella romanamqve dicionem perduxit. Et sub dacica prole citra et ultra mare romanum imperium regebatur. Hec probantur per *Bartholomeum, fasciculum, Anthonium* & alios &c. Igitur legendo et intelligendo omnia supradicta in hac sexta excellentia, videtur quod Danorum imperii latitudo olim erat amplectens quatuor mundi extremitates. Nam ad orientem inclusit Indiam vlteriorem que et vltima orientalis regio mundi sub Vdgero Duce. Ad meridiem seu austrum inclusit Africam vniuersam cum magna Carthagine que olim voluit esse caput et Magister mundi. Ad occidentem inclusit Angliam, Hispaniam, Franciam & Germaniam, regiones inclitas super occidentalem oceanum situatas. Ad aquilonem introclusit *Islandiam, Grönlandiam & Orcades* insulas frigidas vsque ad vltimam borealem insulam *Tile* vbi fretum illud septentrionale sub polo artico perpetua glaciali duricia indensatur. Vltimo tangitur hic breuissime bellum Hunorum maxime quod tempore aduentus Christi, regnante super Danos Magno illo Frothone summis vbique viribus & ingenio terra marique octo dierum spatio continue ferueschebat. In quo omnes reges orientales CLXX cum omnibus suis exercitibus et classibus primo in mari orientali & postea intra Ruscium durissime preliantes a Danis debellati et deuicti omnes fuerunt Danorum penitus imperio subjugati. Ex quo euentu illa vetusta danicæ dominii diffusio versus orientem vsqve ad ipsa littora maris mediterranei tendebat.

Septimo.

Ex Gigantum Procerumqve robustiorum accumulatione.

In nulla siqvidem provincia citra et ultra mare pugiles et Gigantes sic armis, numero et viribus invaluerunt, sicqve terram ubilibet sui seminis ampla diffusione replêsse legitur, sicut in hac *Dacica patria,* et qvoad omnes ejus partes integrales. Qvorum innumera multitudine innataqve ferocitate ipse Julius Imperator Romanorum, Monarcha mundi, cum circa tempora incarnationis Christi esset cum prepotenti Romanorum exercitu intra Daniam, territus congressionem pugnæ cum Danis ex priori nullatenus attentavit; qvin potius bellum rescindit, pacem offert, amicitie federa jungit. *Daniam* sic ab antiqvo nomine

dictam

dictam tunc primo a dapſilitate ciborum *Daciam* appellavit: a Danis nil exigens, niſi qvod ſui natalitii diem, qvi coincidit cum die Nativitatis Chriſti in mundum, commeſſationibus, potationibus, jocis et carminibus transigentes, Jul, Jul altis vocibus acclamarent. Ex qvo evenit, ut Dani jam dudum multo tempore, per omnes Dacicas partes celeberrimum diei Nativitatis Chriſti feſtum, ſub ignobili denominationis vocabulo venerantur. Hec veteres *Chronica Danorum.*

Octavo.

Ex ſingulari ſibi a Deo libertatis donatione.

Nulla autentica et correcta Chronica tradit dictam provinciam extra ſe unqvam alicui terrene poteſtatis imperio ſubjacuiſſe, nec Romanis qvibuscunqve ſeu Grecis unqvam per tributi annui redditionem, exceptis ſuis propriis Regibus, tributariam deſerviſſe. Et licét ſclavicas crebro Germanicarum partium irruptiones, vaſtationesqve plurimas ab antiqvo perpeſſa ſit potentiſſime, cum intra ſe inqvieta civilibus diſcordiis agitaretur, inteſtinisqve bellis admodum fluctuaret; Ipſi tamen hoſtes finaliter cum publica ſtrage et ignominia terra mariqve a Danis expugnati, ceſi pariter et fugati fuerunt. Item Otto primus, Germanorum Imperctor, cum olim eſſet intra partes Jutiæ auſtralis, Daniam volens imperio ſubigere, et hanc libertatem Danis preripere, ſed audito Regis adventu, cum exercitu, omni mora ſecluſa, turpi fuge ſe commiſit, hoſte nondum viſo. Fugiens vero victoriam perdidit cum tributo. Remanens antem provincia, ipſis invictis, conceſſa ſibi a Deo fruitur libertate. Hec *Chronica Danorum* pleniſſime.

Nono.

Ex Vexillo crucigero celitus dato.

Hoc contigit in Livonia tempore *Valdamari ſecundi*, et in loco, qvi dicitur Felin, cum *Dani* fideles anno Domini 1208 (*rect.* 1219) bellarent contra Livones infideles, et jam fere debellati implorarent devote divinum auxilium, ſtatim vexillum e celo lapſum cruce candida conſignatum, velleriqve impreſſum, recipere meruerunt vocemqve in aere audientes, qvod eo in aerem altius elevato, confeſtim contritis adverſariis plenam victoriam reportarent. Qvod et factum eſt. Illud autem vexillum *Danæbrogæ* uſitato vocabulo nuncupari ſolet *).

Decimo.

Ex divitiarum naturalium et artificialium exuberatione.

Divitie vero naturales et artificiales ſunt, videlicet cuncta terre naſcentia, Blada, frumenta, legumina, fructus. Item lacticinia, piſces, carnes, oves, boves, cervi, damule, ceteraqve animalia ſylveſtria et domeſtica ad uſum et eſum humane vite convenientia. Item marmora diverſa, metalla ſeu mineralia plurima, videlizet æs, ferrum, electrum, cuprum et argentum optimum et hujusmodi in abundantia. Item pelles multe, et varie diverſorum animalium, preſertim ille, qvas uſitato vocabulo *Hermelin* ſeu *Groſkindh* appellant. Ex qvibus delicata illa foderatura artificum peritia coaptatur, pannis ſcarleticis, purpureisqve veſtibus ſubducenda. Qvibus potentium hujus mundi matronarumqve nobi-

*) In nullo ſcripto antiqviore, legenda de vexilli Danebrogici origine deprehenditur. Eadem narratio, iisdemqve fere verbis occurrit in annalibus *P. Olai*, ſupra, Tom. I. p. 182.

nobilium ardet ambitio. Hec ſunt opes et divitie dicte *provincie Dacie*, ex qvibus non ſolum ſibi ipſi abundanter in omnibus ſufficiat providere, verum etiam omnibus in gyro terrarum nationibus, ex iisdem ſolet hieme et eſtate per terram et mare eſtimato pretio proviſionis adminicula procurare. Nam communitates et civitates maritime Germanie, preſertim *Lubicenſes, Gedanenſes, Roſtocenſes, Vismarienſes, Sundenſes, Stetinenſes,* magnas et multas habent domos, curias et *fonticos* *) ſuos pro rerum ſuarum ſeu mercium conſervatione, tenentes ibi prefectos ſuos nuncios, ſyndicos, balivos, et potentiſſime in civitatibus, *Bergenſi, Holmenſi, Hafnienſi, Malmogenſi, Dragorenſi* &c. In qvibus de opibus premiſſis et bonis terrarum *Regni Dacie*, predicte civitates plurima ſibi publica exaggeratione trajiciuntur annuatim, jure tamen regio ſemper ſalvo.

Undecimo.

Ex famoſa piſcantium lucroſa commoditate.

Non ſolum autem dicta provincia in venationibus carnalibus, lacticiniis, et omnium victualium copia, pre ſe et aliis prout communiter abundare conſvevit, verum etiam in piſcibus recentibus, ſalſis et aere deſiccatis, nec non piſcationibus, ſeu piſcaturis famoſis communibus et privatis pre ceteris terris, in aqvis dulcibus pariter et ſalſis probatur a Deo ſingulariter predotata. Pro qvo adverte, qvod *Provincia Dacie*, preſertim ipſa *Dania* inter Oceanum et mare Orientale convenienter in ſuis limitibus ſituata, plures in gyro aqvarum ſalſarum influentias habet piſcium multitudine ex vicinitate utriusqve maris et numeroſa varietate refertas, qve ulterius hinc inde ſicut intra riparium, concaviones ampla transfuſione intrantes, terram ubilibet intus et extra piſcoſam efficiunt, et amenam. Et potentiſſime *ſinus* ille *ponticus Örenſis Öreſundt danica* vocitatione dictus, qvi a Sialandica inſula Schanicas partes varia diſſectione ſeparat et diſjungit, tanta piſcium diverſi generis multitudine preſertim *halecum* **) ſingulis annis, prout in autumno repleri ſolet communiter, ut fretum illud nonnunqvam a fundo usqve ad ejus ſuperficiem adeo piſcibus repletum crederes, ut nedum ſaginarum uſu et miniſterio caperentur, verum etiam ligneis ſcutellis aqvis leviter ſubmiſſis extracti ad navigia projiciuntur. Pro quibus prendendis, coemendis ac deuehendis omnes in circuitu naciones, ciuitates et communitates Germanie, de quibus ſuperius tactum eſt, ſuos piſcatores et procuratores annuatim in Daniam cum nauigiis magnis et multis ſcaffis et lintheribus mittere non omittunt. In multis inſuper locis intra danicas regiones videl. *Haffnis, Malmogie, Dragör, Falſterbo* et... ingrata Germania licet ſub fiſcalis debiti penſione ſuas curias, capellas et fonticos habent pro ſuis lucris & commodis exaggerandis. Hæc igitur piſcatura danica multarum gentium inopiam releuat, reſicit atque nutrit. Ipſaque ſcanica alleca piſcesque bergenſes quos *Roſker* appellant cum aliis multis, non ſolum nauigio verum eciam curribus vectigalibus ad longinquas terras deportantur ibidem vario pretio diſtrahendi.

Duode-

*) *Fonticus* ſignificat locum publicum, in qvem conveniunt mercatores de rebus ſuis & commerciis invicem acturi, vulgo *Burſam*. vid. *Ducangii* Gloſſ. med. Latin. Tom. III. in v. *Funda*.

**) Hinc patet, tunc nondum imminutam fuiſſe piſcaturam halecum, de qva conqveritur *Jon. Colingenſis* Deſcr. Daniæ p. 84.

Duodecimo.

Ex plurimorum mirabilium oſtenſitione.

Multa ſiqvidem mirabilia in ſepe dicta provincia intra ſui gremii latitudinem oſtenduntur, aliis terris et provinciis non conceſſa. Et primo in nonnullis ejus partibus *) ad plagam aqvilonarem maris tanta glaciali duricia indenſatur, ut nullam ſolari caliditate influxibilem liqvoris ſubſtantiam remollitur. Item iisdem locis ſunt montes nivei in glaciei duriciem congelati, unde et criſtalli optimi ibidem inveniuntur. Item inter alia monſtruoſa animalia ſunt ibi urſi albi et ferociſſimi et maximi, qvi ungvibus glaciem rumpunt, et foramina multa faciunt, per qve ſe in mare immergunt, et ſub glacie piſces capientes eos extrahunt, et ad littus deferentes inde vivunt **). Item fontes ibi ***) ſunt plurimi, in qvibus omne impoſitum ſive cornu ſive lignum, ſtatim in lapidem commutatur. Item in aqvilonari parte Sol in ſolſtitio eſtivali non videtur occumbere: nec etiam videtur Sol per plures dies ibidem in ſolſtitio hiemali, verum tunc temporis oportet incolas terre cum candelis operari. Item ulterius ad aqvilonem in freto ſeptentrionali eſt in qvadam inſula ab hominibus remota valde ſedes Beruti et Articholachi, de qvibus *geſta Danorum* plura horrida et ſtupenda deſcribunt pleniſſime. Hec omnia *Bartholomeus* et *geſta Danorum.* ****)

Viſo de *duodecim Excellentiis provincie Dacie,* pauliſper hic jam ſeqvuntur qvedam particulares proprietates, eidem ſpecialiter attribute. Pro qvo notandum, qvod veteres Hiſtoriographi ſparſim in plurimis locis deſcribunt provinciam Dacie, qvoad ejus gentem et prolem olim per orbem late diſperſam, natura mitem erga innocentes, ſpecie corporis elegantem, facie decoram et qvoad primordia, tempore, antiqvitate, vetuſtiſſimam, magnanimitate audaciſſimam, mole corporis ingentiſſimam, in rebus bellicis ſtrenuiſſimam, victoriis et triumphis per mundum famoſisſimam, terreno per orbem imperio ampliſſimam, armorum genere terribiliſſimam, miſeriarum mundi radicem amariſſimam. Hanc ſecula preterita pre ceteris mundi nationibus valde timuerunt. Hec ſparſim *Anthonius* et *Bartholomeus.* Item Danorum terribilem adventum in multitudine nimia, poteſtate ſevera, et ferocitate intollerabili ſuper Romanum imperium gentemqve peccatricem olim Beatus Johannes in Apocalipſi, in tribus capitulis videlicet 9, 11 et 14 futurum predixit, ſub nominibus Gothorum, Vandalorum, et Longobardorum, qvi omnes, uti ſuperius dictum eſt et probatum, origine, natura, patria et lingva Dani ſunt, a Danis ſolis particularibus nominibus differentes. Lege *Poſtillatorem Magiſtrum Nicolaum de Lyra* et dictorum certitudinem comprobabis. Igitur adverte ſi olim Romani fortes et potentes fuerunt, mundum pro magna parte, non Daniam ſubjugando. Absqve dubio Dani illis fortiores et potentiores erant, qvi illorum imperio nunqvam deſervierunt. Qvorum imperium potentia Romanorum nunqvam domuit. Nec unqvam gladius Romanorum intra Daniam in bello extractus fuit, ut male ſentit *Erodotus:* Non enim Roma Daciam ſed Dacia Romam caput mundi et dominam bello pluries attrivit, ſubjecit, fregit, ſpoliavit, pariter et incendit. Item Romanorum freqventer

*) Intelliguntur tam ultimæ Norvegiæ regiones, qvam Iſlandia & Grönlandia.

**) cfr. *Speculum regale* p. 187.

***) Vel in Norvegia vel in Iſlandia. cfr. *Spec. regale* p. 84. 147; Præf. p. LII. *Eg. Olavii* enarr. historicæ de Iſlandiæ naturali conſtitutione p. 122.

****) cfr. *Th. Gheysmer,* in *Scr. rer. dan.* II. p. 338-39.

qventer Duces, legiones, exercitus et agmina Dani penitus bello devicta acie ſtraverunt, Decium et alium Decium Ceſares bellantes occiderunt, Valentem Imperatorem in bello Tracico cum univerſa Romani imperii militia adeo viribus et ingenio expugnatum trucidabant, ut nullus de tanto Romano exercitu ſupereſſet, qvi rem geſtam poſteris nunciaret. Et nunqvam aliqva provincia mundi ſic ſub ſui juris imperio ſubjecit Romanum imperium, contrivit, ſubjugavit, nec non tanto tempore qvieto jure poſſedit, ſicut hec provincia Daciana. Qve nunc (heu dolor) bellis inteſtinis civilibusqve diſcordiis lacerata, tota miſera eſt effecta.

Danica qvam rebus nec clarior ulla per orbem,
Gens fuit, aut ullo tempore victa minus.

CCXL.

De coronatione Regis Chriſtiani Tertii, facta Hafniæ, die Dominica a feſto S. Laurentii proxima Anno MDXXXVII, narratio.

Eadem forſan hujus coronationis *deſcriptio typis excuſa*, qvam commemorat *Roſefontani (Joh. Svaningii) refutatio calumniarum Joh. Magni* fol. L. 4, cujus cæteroqvin nullum exemplar exſtare novimus. In Apographo, qvod hic ſecuti ſumus, nonnulla emendavit *Joh. Grammius*, qvi idem prelo deſtinaſſe videtur, forſan inter Additamenta ad *Cragii* Hiſtoriam Chriſtiani Tertii.

Poſtqvam dicta coronationi dies illuxerat, jam cunctis, quæ ad celebrandam eam requirebantur, magnifico apparatu diſpoſitis inſtructisqve, ad Templum a Diva Virgine nuncupatum, hoc ordine ibatur.

Primo *Regem* prægrediebatur Nobilium ingens multitudo, qui ex univerſi Regno ac Ducatibus Sleſvici, Holſatiæ &c. nec non ex Germaniæ variis partibus huc confluxerant: Iiqve longa ſerie, terni ac terni incedentes, prius agmen conſtituunt.

Deinde Senatores Regni equis vecti ſuccedebant. Iſtorum quatuor, ordine poſtremi, Regiæqve Majeſtati propiores, inſignia coronationis, ſeu ornamenta Regalia præferebant: *Dom. Tycho Krabbe* enſem auratum, *Dom. Predbiorno Gyldenſtern* pomum aureum *), *Dom. Axelius Brahe* ſceptrum, &c. *Dom. Magnus Göye* coronam geſtabat.

Concludebant utrumqve ordinem ſymphoniaci ac tubicines, pedibus progreſſi, ultimumqve duo Regis Caduceatores, quos Heraldos vocant.

Tum ipſe Sereniſſimus *Rex*, eqvo ſplendide inſtrato inſidens, populo, aviditſime eum exſpectanti, ſe exhibebat, in omnibus, qvas pertranſibat, viis, confertæ multitudinis ſummo gaudio, infinitis votis feſtisqve acclamationibus exceptus.

*) Subſtituatur forſan, juxta *Hamelmanni Chron. Oldenburgicum* pag. 345. Dom. *Predbiörnus Podbuſk*, qvi capitulationi Chriſtiani Tertii d. 30mo Octobris 1536, ordine tertius nomen ſubſcripſit.

Pone *Regem* equitabant Regis Sveciæ Legati, cumqve iis *Albertus* Dux Boruſſiæ. Inde *Franciſcus* Dux Luneburgenſis, *Johannes* Dux Holſatiæ, frater Regis, ac *Franciſcus* Dux Saxoniæ Lauenburgenſis, Reginæ frater. Demum Legati Landgravii Haſſiæ, Conſul Dantiſcanus, & Hamburgenſium delegati.

Interpoſito modico ſpatio, ſimilis cum Auguſta Domina *Regina* proceſſio inſtituitur. Nempe et hic prægrediuntur Nobiles, cum Danici, tum Germanici, magno numero. Poſt eos in equis veniunt ex *Regis* Regniqve Conſiliariis hi quatuor, *Melchior Rantzovius, Dom. Olaus Nicolai Roſenkrantz, Dom. Avo Vincentius Lunge, & Dom. Magnus Munck*, quorum duo poſteriores Regalia ornamenta, ille coronam, hic ſceptrum, præferunt; ac tubicines pone inſequentes habent.

Regina autem, carpento auro alioque ornatu undique fulgente, vecta ſecum in eodem habebat, obverſa facie ſedentem, *Duciſſam Pruſſie*, Regis ſororem.

In altero carpento, itidem deaurato, filia Regis *Anna* erat.

Hinc *Regina* gynæceum, nec non quæ cum *Duciſſa Boruſſiæ* venerant Virgines nobiles, ac tandem Nobilium regni uxores et filiæ longo et ſpecioſo ordine incedebant.

Pulcherrima hac pompa ad Templum, quod diximus, eſt itum: ubi *Regem Reginamque* præſtolabatur D. *Johannes Bugenhagius*, magno ſacerdotum & verbi divini miniſtrorum numero ſtipatus.

Rex ex equo deſcendens, in ſuperiorem ædis ſacræ partem ſe confert: atqve itidem, ubi advenerat, *Regina*. Hic vero ingrediuntur deſtinata ſibi tabernacula, tentoriorum in modum, erecta e regione ſummi altaris, et elegantibus aulæis contecta.

Circumſtabant ab utroqve latere Senatores, ex quibus qvi regalia ornamenta præferebant, debita prius utrique Regiæ Majeſtati, reverentia exhibita, acceſſerunt ad Altare, ibiqve in genua procubuerunt. Illico vero ſurgentes, unusquisque id, quod manu geſtabat, ornamentum in Altari reponit; ſingulique inde ad loca ſua revertuntur.

Mox eodem modo, quo Regis, etiam Reginæ prælata inſignia ab iis, qui portabant, in altari offeruntur.

Interim hymnus, *Veni Sancte Spiritus*, canitur. Quo decantato D. *Joh. Bugenhagius* ſellam ante altare, ſibi deſtinatam, occupat.

Hoc viſo, Senatores Regem accedentes, eum ad altare omnes ſimul deducunt.

Rex ibi conſtitutus, flexis genubus, magna devotione Deum opt. max. adorat.

Tum Senatorum unus *Bugenhagium* danica lingva alloquitur, his verbis, a Senatore altero ſtatim germanice repetitis:

"Reverende Domine & Pater in Chriſto, agnoſcimus nos omnes, Deum "opt. max., ſupremum regnorum arbitrum, hunc electum *Regem* noſtrum cle- "mentiſſime nobis dediſſe: pro qvo inſigni prorſus beneficio meritas benignitati "ejus & miſericordiæ gratias agimus. Jamque regalia regni hujus inſignia & "ornamenta obtulimus in altari ejusdem ſummi Dei, quippe cui eminentia & "poteſtas illa competit, et a qvo eadem ad Reges terrarum deſcendit, ac deriva- "tur. Igitur nos, nomine totius Regni, te, legitimum Chriſti Domini miniſtrum,

"rogamus

"rogamus, velis huic electo Regi noſtro eadem Regalia ornamenta tradere, eum-"qve hoc modo in nomine Dei rite inauguratum & conſecratum nobis confir-"mare, in ejusdem ſanctiſſimi Dei gloriam, noſtrumqve omnium commodum et "ſalutem."

His dictis, Rex ſolitum jusjurandum præſtitit.

Deinde *Reginam* Senatores regni pari modo ad altare deducunt. Erat illa nondum regali amictu veſtita, ſed uſitato tantum principibus fæminis ornatu, capillis vero ſolutis, ſub capitis tegumento. Cum in genua procubuiſſet Regina, Senatorum unus, ad *Bugenhagium* converſus, danica lingva, alter vero germanica, hæc verba proferunt:

"Rogamus iterum, Reverende Domine ac Pater, ut, tanquam miniſter "Chriſti Domini, hanc electam Reginam noſtram, pro qua ſummo Deo gratias "agimus, ornamentis ac inſignibus tantæ eminentiæ ac poteſtati convenientibus, "velis eo, qvo Reginam decet, ritu in nomine Dei conſecrare et confirmare."

Tum *Bugenhagius* annuens, jubet Regem et Reginam in tentoria, quæ diximus, reduci, ut regali ornatu amicirentur, ac utrumqve deinceps, diſſractis ſublatisqve tentoriis, in thronis regiis collocari.

Dum hoc agitur, muſici concentus ædem ſacram perſonant, quos Epiſtolæ prælectio, ac deinde hymni excipiunt.

Rex poſtea e ſolio ſurgens, a Senatoribus ad altare iterum ducitur, et ante D. *Joh. Bugenhagium* ſiſtitur, qui ſtatim coronationis actum his ritibus exeqvitur.

Primum, ex collocatis in altari coronationis inſignibus, profert gladium, quem, e vagina eductum, Regi, in genua procumbenti, tradit. Rex acceptum Mareſchalco regni reddit, tenente interim vaginam *Bugenhagio*. Marſchalcus vero gladium in vagina recondit, atqve ſic reſtituit *Bugenhagio*, qui Regem illo ſuper femur accingit. Tum in pedes elevatus Rex, eduxit gladium, et per aera qvater, lamina tantum obverſa, non vero acie, verſus quatuor mundi plagas vibratum, repoſuit in vaginam.

Iterum Rex admonitus, genubus in terram poſitis adorat, Coronam accepturus. Quam *Bugenhagius* capiti ejus ſumma cum reverentia ac ſolennibus verbis imponit, ſceptrumqve ac pomum in manus tradit. Accedunt eodem momento regni Senatores, ut coronam ſimul tangerent manibus; quotquot vero attingere nequibant, brachia coronam verſus tenebant extenſa.

Poſtea Regina pariter a Senatoribus adducitur, & prope Regem coram altari flexis adorat genubus: Mox iisdem, quibus Rex, ceremoniis coronam in capite, manuqve dextra ſceptrum accipit.

Tum tradito ſceptro ei, qui antea illud prætulerat, Regina ad thronum ſuum reducitur, ante quem ſeſe continebat ſtans, e regione altaris & Regis, et manu ſceptrum tenens.

Rex ad Evangelium prælegendum paratus, ſurgit, et progreſſurus, inclinatis paulum genubus, a *Bugenhagio* benedictionem recipit.

Tum gladium vagina nudatum in dextram ſumit, eumqve tamdiu tenet, dum ſtans ante altare Evangelium clara voce recitat; binis interim Senatoribus reliqua duo inſignia, ſceptrum pomumqve aureum tenentibus.

Finita

Finita lectione, Rex ad thronum ſuum ſe recipit, ibiqve, quemadmodum & in ſuo ſolio Regina, donec ſacra, quibus dies celebrandus erat, abſolverentur, conſidebant.

Demum peractis omnibus, Rex & Regina, toto cum predicto comitatu, ex æde ſacra egrediuntur, eademqve pompæ magnificentia, qua exiverant, in Arcem Regiam revertuntur. Ubi, quod reliquum erat diei, epulis ſumptuoſe inſtructis, ſumma hilaritate, et incredibili civium æque ac hoſpitum lætitia est tranſactum.

CCXLI.

De coronatione Chriſtiani Tertii, Daniæ, Norvegiæ &c. Regis Carmen, Authore *Ludolpho Priggio*, Hamburgensi, 1539.

Auctor, hocce carmine heroico, dum in Academia Wittebergensi literis operam dedit A. 1539 impreſſo, Regem Chriſtianum tertium adeo ſibi conciliaverat, ut in patriam redux, ab eo in aulam ſit evocatus, Artiumqve & Philosophiæ in Academia Hafnienſi Profeſſor A. 1549 conſtitutus. Jam vero anno ſeqventi 1550 dimiſſionem a patribus academicis petiit & obtinuit. Anno 1552-53 in Academia Lipſienſi commoratus est (*Molleri* Cimbria literata Tom. I. p. 506-7.) Perrarum iſtud carmen, cujus exemplar in Bibliotheca Regia exſtat, jamqve collectioni Monumentorum, de ſolennibus inaugurationis Chriſtiani IIIti & Reginæ Dorotheæ, a *F. Müntero* 6 & me W. Anno 1831 editæ, inſertum, pluribus nominidignum judicatum eſt, qvod hic iterum prodeat.

Serenissimo ſ. potentissimo Principi ac Domino, Domino Chriſtiano Tertio, Daniæ, Norvegiæ, Gottorum, Wandalorumque ſ. c. Regi, Schlesuici, Holsatiæ, Stormariæ, Teutomarsiæ Duci, Comiti ab Oldenburg ſ. Delmanhorst, Domino suo indulgentissimo.

Vos nuper, domito cum victor ab hoste redires,
Egiſti merito, Princeps invicte, triumphos,
Quaſque tibi duxit poſitis tranquillior armis
Cimbria, nos tenui referemus carmine pompas.
Tu modo magnorum penetranti ad limina Regum,
Muſa, fave, fave & ipſe tuæ (Rex inclyte) laudi.
Quando tuis etenim magnos virtutibus æquas
Semideos, cupias etiam tua fortia paſſim
Facta cani, teque hoc ne dedigneris honore.
Tu potes egregii commune nepotibus eſſe
Principis exemplum ſtudiis bellique togæque.
Tu quam ſis fortis, quam victum mitis in hoſtem,
Si tua facta leget, totus mirabitur orbis.

Quare

Quare ades & placide feſta te pace fruentem
Ne pigeat legiſſe tuæ præludia famæ,
Hancque tuis hederam victricibus addere lauris.
Quos autem canimus, canimus tibi jure triumphos,
Et meritos virtute tua, victriceqve dextra,
Quam tuus acceptis nuper tot cladibus hostis
Senſit, ut indomito correptus corda furore
In tua reſciſſo prorupit fædere regna,
Ingentemqve dedit Germano in littore stragem,
Hic, ubi puniceo ſpumantes ſanguine rivos
Ad ripas ſeu *Traua* tuas, ſeu littora *Belthæ*
Vidimus, hic tandem furor impius impulit arma
Cimbriaci per agros, per rura, per oppida regni.
Quid moror? effuſos veluti cum carcere nimbos
Aeolus emittit, ventiſqve tenacia laxat
Clauſtra, ruunt illi, pacatumqve æqvor ab imis
Sedibus evertunt, fluctuſqve ad ſydera tollunt,
Non aliter rabidus per *Cimbrica* littora Mauors
Sæviit (infandum) laxis effuſus habenis,
Vix etiam miſeris tanto in diſcrimine rerum
Pax ſperanda fuit, quis enim, quis cælitus illum
In deploratis ſperaverat affore rebus?
Qui victor rediens ſpoliis ornatus opimis
Redderet afflictis tranquillæ munera pacis,
Quiqve ſuas æqvis fundaret legibus urbes.
Quem tenuit ſpes illa? quis hæc præſagia pacis
Non commiſiſſet rapidis velut irrita ventis?
Sed pater omnipotens regum qui fortia corda
Æternis regit imperiis, mentesqve gubernat,
Non hoc in populo tantum ſævire furorem
Ulterius paſſus, te feliciſſime princeps,
Vincere qvi ſcires, qui ſcires parcere victis,
Te dedit his terris, afflatum numine quodam,
Cum tua perſpecta eſt per fortia prælia virtus,
Inqve triumphatas divina modeſtia gentes.
Tu patriæ, quam vix potuit ſperare, ſalutem
Sanguineo vinculis frenato Marte tuliſti.
Tuqve adeo ereptas bellorum ex faucibus urbes
Fædere pacaſti certo, non more tyranni
Qua monſtrat fortuna viam & victoria læta
Erumpens, ſatiansqve hoſtili ſanguine mentem,
Sed tibi præcipue dextra victrice potito
Cura laborqve fuit belli componere fluctus.
Ac veluti quondam tumidos compeſcuit Auſtros
Auſtros nimbiferis miſcentes nubibus æquor
Sceptra tenens liquidis madidus Neptunus in undis,
Cum pius Æoliis Tyrrhena per æquora ventis
Jactatus patrios Æneas claſſe penates

Inferret

Inferret Latiis poſt diruta Pergama regnis.
Ergo tibi ſacros decrevit jure triumphos
Primatum regni, clariſſimus ordo, Senatus,
Quod bene depulſo pacem firmaveris hoſte.
Sed mea propoſiti memor exordire triumphum
Muſa, nec a primis deflectito longius orſis.
Urbs jacet emporio celebris, quo *Dania* nullum
Maius habet, ſeu quis tota regione vagetur,
Seu ſecet inſidum mutandis mercibus æquor,
Hafnia nomen habet, veterum domus inclyta Regum.
Hic ubi non dubio totam ſermone per urbem
Fama vagaretur læti læta agmina Regis
Eſſe in conſpectu, & latis procedere campis,
Nec mora, confluere, & portis ſe effundere apertis
Cum ſtrepitu ingenti, cum plauſibus undiqve magnis
Turba triumphales avide viſura paratus.
Ipſe pium Regi declaraturus amorem
Protinus ex patria venerabilis urbe ſenatus
Tendit in occursum, Regiqve ſit obvius ultro.
Vulgus io vibrante manu cava tempora circum
Clamat ovans animis, vocesqve ad ſydera jactat.
Ingeminata procul divum vocalis ad aures
Verba refert Echo nunquam ceſſura priori.
Continuo pandit biſores urbs *Hafnia* portas,
Invehitur *niveis*, Romano more, *quadrigis*
Rex, cui ſceptra dederat fælicia ſummus.
Aurea conſpicuis in curru *bractea* ſignis
Lucet, & auratis intacta premuntur equorum
Colla jugis, fulget temo aureus, aureus axis.
Quadrijugum *nivei* currum fumante *jugales*
Ore trahunt, lætiſqve implent hinnitibus auras.
Hinc atqve hinc equites denſo currum agmine ſtipant,
Mille fatigantes redimitos ære caballos,
Quos phaleræ inſignes obeunt, quibus aurea frena
Ore micant, fulgent nitidis nova cingula bullis.
Tanta olim pompa tantiſqve paratibus urbem
Intrabat domitis Romanus Scipio Pænis,
Quiqve triumphalem meruiſſet laude coronam.
Verum hæc ut Latiis non cedit pompa triumphis
Seu quis opes, ſeu regales mirabere luxus,
Sic eſt quo ſuperet, & quo caput exſerat alte
Romanos ſupra dominos gentemqve ſuperbam.
Illi ſi qua levem dederat fortuna triumphum
Succeſſu rerum tumidi quo mænia faſtu
Introijere? quibus vinclis captiva trahebant
Corpora? victoris quæ præcedentia currus
Larga per humentes fundebant flumina vultus,

Saxa

Saxa quibus (credo) Marpeſia mota fuiſſent.
Et tamen hæc fuerat toleranda injuria, ſi non
Quos ita multarant crudeli morte necaſſent.
Quum ipſos etiam Romana ſuperbia Reges
Fortunam expertos ſub iniqvo Marte ſiniſtram
Horrida de duro cogebat vincula ferro
Ante coronatos collo portare jugales.
Talis erat quondam ſævi victoria Syllæ,
Talis erat Marii quo tunc victore Jugurtha
Subdidit indignis collum regale catenis.
Sic bene qui poteras hoſtiles vincere turmas
Vincere non poteras proprium Romane furorem.
At bonus, Heroum priſco de ſtemmate natus,
Chriſtigerus princeps, cæco qui mota furore
Sedavit virtute ſua civilia bella,
Qui rediit victor domitis tot millibus & qui
Cimbrica perpetuam fecit per littora pacem,
Ecce triumphali venit in ſua mænia curru
Undiqve nobilibus ſtipatus & undiqve vulgi
Accipiens hilari manantes pectore plauſus,
Non tamen hoc læto captivus in agmine miles
Ducitur infælix qui turmas inter ovantes
Triſte ſupercilium demiſſus, ferrea collo
Vincla ferat, præeatqve Ducis ceu victima currum.
Non ea barbaries, non tanta ſuperbia Regi,
Qui licet hoſtiles præſenti Marte cohortes
Fuderit, ipſe tamen victor ſe fortiter ipſum
Vincit, & irati moderatur cordis habenas.

Poſtera cum primum digitis Pallantias aureis
Solis equis alti limen reſeravit Olympi,
Sacra Deo fiunt, ne quid non auſpice Chriſto
Chriſtigerus faciat pietate inſignis & armis.
Ardua ſacratum jacet intra mænia templum,
*Templum ingens & marmoreis ſublime columnis,**)
Relligione patrum tot jam labentibus annis
Sumptibus exſtructum magnis, opibusqve ſuperbum.
Hic gemmis ſuſpenſa nitent aulæa per ædem,
Hic fulgent ſolido cælati Martyres auro,
Qui vera Chriſti pro relligione tuenda
Per fera fælicem petierunt vulnera mortem.
Huc introgressi non quos Romana colebat
Vana ſuperſtitio mores rituſque ſequuntur,
Si qui devicto meruiſſent hoſte trophæum.
Ecquis enim credat cæſo cæleſtia tauro

Numina

*) Ædes D. Virginis Hafniæ.

Numina velle coli? quando ſyncera refulſit
Lux Evangelii, quam corde & pectore toto
Cimbricus invicto cum Rege amplectitur orbis.
Ergo hic Albiacis accerſite nuper ab oris
Fortis ad auguſtam, *Bogenhagi* principis aulam
Sacra facis, ſancto ſed ſacra placentia Chriſto,
Cujus ut auſpicio ſuperatus ceſſerit hoſtis,
Illius hos etiam capiat modo victor honores.
His tibi perpetuæ laudis decus, his tibi nomen
Æternum meritis paries, famamqve perennem,
Cujus ut es fortis contemptor, ita hæc tamen ultro,
Te ſequitur quocumqve abeas, quocunqve recedas.
Te cuncti noſtro *Pomeranum* tempore Paulum
Saxones appellant, illis quia primus in oris
Sancta ſalutiferi jeciſti ſemina verbi
Patre deo monſtrante viam per mille labores.
Et quia relligio tenebris occulta jaceret,
Si nihil ingenuæ præberent luminis artes
Acre tibi ſtudium fuit & non ultima cura,
Saxoniæ paſſim telluris in urbibus altis
Inſtituiſſe ſcholas, primis ubi protinus annis
Artibus & litteris puer informatus honeſtis
Diis olim & patriæ prudens inſerviat urbi.
Has equidem fateor grato tibi pectore laudes
Dum pelagus puppi, dum terra ſecatur aratro,
Noſtri olim referent, vel poſt tua fata nepotes,
Si tamen hæc quoqve ſunt ævo victura ſequenti
Carmina, perpetuam capies hoc nomine laudem,
Hafnica quod belli, ſchola collabefacta, tumultu
Antiquum per te rediviva recepit honorem,
Dum vigili ſtudio ſummisqve laboribus illic
Noſſe doces verum ſyncero pectore Chriſtum.
Quocirca, quas tota nequit tibi *Cimbrica* tellus,
Ipſe Deus tanto reddet pro munere grates.
Si qua malos etenim manet hoc ſub judice poena,
Certa deus juſtis reddet quoqve præmia factis.
Sed tibi jam tempus, ſacris de more peractis,
Tradere *Chriſtigero* regalia munera Regi.
Jamqve adeo limen ſcandunt altaris, & ipſum,
Aſpice, legitimi pulchra cum conjuge lecti
Primates regni feſta ante altaria ſiſtunt.
Ille genu flexo procumbit, & ora reſolvens
Tales deinde preces tulit: "O qui cuncta per orbem
"Fundaſti primus, bene qui fundata tueris
"Imperia, & regum ſapienter corda gubernas,
"Da pater auſpicio ſint hæc inſignia nobis
"Sumpta tuo, ſanctoqve movens mea numine corda,

"Da

"Da pater ut recte tantis insignibus utar
"Ipse ego synceræ doctrinam relligionis
"Per mea perpetuo curabo regna doceri."
Sic fatus lachrymis oculos implevit obortis.
Protinus ante aras & magnis auspicibus diis
Unctus odorifero, quem fert Judæa liquore
Cum consorte tori, fulgenti accingitur *ense*
Aurea quem *fulvo* condit *vagina metallo*,
Insignem capulo, atqve *auro rutilante coruscum*.
Ense dato, Regni proceres, veteriqve sacratam
Indutus de more, *stolam Bogenhagius* Heros
Sceptrum insigne ferunt Regi, quod plurima circum
Indica bacca nitet, *rutiloqve colore pyropus*,
Miratur sceptri gemmas, miratur & ensem
Circumfusa aris procerumqve ducumqve corona,
Et nunc artificem, nunc sceptri prædicat aurum.
Ipsum adeo inprimis hæc inter munera Regem
Omnes suspiciunt, cunctorum vultus in ipsum
Fixus in obtutu manet usqve immobilis uno,
Observare juvat qui tanto in principe gestus,
Quæ forma, & quæ sit placidi constantia vultus,
Pulchra verecundo tingantur ut ora rubore,
Casta sit ut facies, ut frons sibi conscia recti,
Nullaqve vesani det fastus signa, nec ullam
Arguat in magno levitatem pectore vultus,
Sic totum celeri perlustrant lumine corpus,
Tertia dum Regi proceres insignia mandant
Regalem capitis decus immortale *coronam*
Arte laboratam mira gemmisqve superbam,
Quarum fulgenti radiabat lumen in auro,
Quod Tagus, aut Hermus, vel quod Gangetica tellus,
Pactolusue celer poterat misisse videri.
Postremo Hesperiis olim quale anguis in hortis
Pervigil auricoma servabat in arbore *pomum*
Tale coronati manibus dat *Cimbria* Regis,
Tota quod horriferis arsit quo tempore bellis
Ipse suum princeps caput objectare periclis
Non veritus trepidum dare terga coegit hostem.

Postquam *Christigerus* regales cepit honores,
Cepit & imperium lati tot millia regni
Illum *Cimber*, & insanis *Gothus* acer in armis
Immensoqve patens regio *Normannica* tractu
Agnoscunt Regemqve suum, Dominumqve potentem,
Ille tuus dux est, ille est *Holsatica* princeps
Terra tuus, bibulis qua spumifer Albis arenis
In mare prorumpit, campoqve immittitur amplo.

Non

Non illi molles populos & inertia corda
Subjecit dator imperii Deus atqve hominum rex,
Sed genus acre virum, ſed fortia pectora bello,
Et facilem victu divino munere gentem.
Bello præcipue paſſim celebrantur & armis
Normannique, Gothique, & firmo robore *Cimbri.*
Quos penes ut maneat tantarum gloria rerum
Ad decus egregium bello dextraqve parandum
Acre viris calcar jam jam properantibus ultro
Eſſe poteſt, claris quod ſunt majoribus orti
Quorum non ſimiles tantum conentur haberi,
Sed quod, (ut faciunt) poſt ſe virtute relinquant.
Cimber in Auſoniam primo jam flore virentem
Irrupit, fortemque ſua te Cepio dextra
Dimiſit decies octo cum millibus orco,
Et niſi virtuti fortuna adverſa fuiſſet
Cimbriacum Marius quo tempore contudit agmen
Roma triumphantis veniſſes ſub juga *Cimbri.*
Attamen infauſti quæ perdidit æquore campi
Ille, *Gothus* repetit longo poſt tempore ſigna.
Hunc tibi crediderim divini numinis ira
Excidio veniſſe, tuo cui ſanguine pœnas
Roma dares, quando veterum virtute relicta
In peius magis uſqve magis ſine ſine ruebas
Plena libidinibus, cunctorum plena malorum.
Quare degenerem quo tandem vindice Romam
Ira deum voluit fatales pendere pœnas
Nulla *Gothum* magnis non tollet laudibus ætas.
At fera *Normannis* celebrem dat Gallia famam,
Quæ licet armipotens ſtudiiſqve ſit aſpera belli,
Inqve fugam Latias converterit ante cohortes,
Non tamen Arctoa victam ſe gente negabit,
Donec apud fortes tellus *Normannica* Gallos
Nomen de populo tractum victore tenebit.
Nec minus interea nobis *Holſatica* terra
Terra potens armis & fertilis ubere glebæ
Pars erit impoſiti, quamvis extrema, laboris.
Pars extrema meo poſt dictas carmine gentes
Sit licet, indigenum propter præclara ſuorum
Facta tamen, juſto laudum tenet ordine primas
Inter *Cimbriacæ* conſinia littora terræ.
Ipſa ſed in binas ſecta eſt *Holſatia* partes,
De quibus hanc rigidiſqve armis, opibuſque potentem
Saxones, aſt illam *Phryſiæ* gens priſca *minoris*
Tot jam ſæcla tenet, ſedemqve tuetur avitam
Nunc quoqve priſca tuos referens Germania mores

Unde

Unde olim egregiam laudem nomenqve tuliſti.
Nam quia Teutonicis eſt antiquiſſima terris
Sola fere veterum ſervat veſtigia morum,
Solaque non precio lucrique cupidine ducta
Hoſpitio tutæ peregrinum ſedis egenum
Excipit & menſa ſociat, ſed comiter omnes
Omnibus officiis quando gens optima juvit,
Non poſcit nitidum meritis pro talibus aurum.
Quid referam? quod cum hoſte manu ſi quando pedeſtri
Acria collatis miſcebis prælia ſignis,
Illa tibi peditem præſtanti robore tellus
Illa viros mittet, qui ſi ducantur in hoſtem,
Non prius arma domum referent, quam cauſa triumphi
Parta ſit in viridi dulcis victoria campo.
Bella tamen non ſponte movent, ſed ab hoſte coacti,
Quando vocante tuba certamen inire jubentur
Aut ſterni cupiunt, aut hoſtica ſternere ferro
Agmina, præcipitiqve feruntur in arma furore,
Pro dulci patria, pro vita principis auſi
Oppetere, et mortem pro libertate paciſci.
Sed neqve carminibus noſtris indictus abibit
Saxon equum domitor, pugnaque invictus equeſtri,
Cui virtute pares belli ſi ferret ubique
Teutona terra viros, nunquam noſtra improbus iſte
Regna latrociniis vaſtaret Turca nefandis,
Et quia vicinum ponto pelagoqve ſonanti
Litus habet, variæ quo dives copia mercis
Hinc atqve hinc, etiam extremo perfertur ab orbe,
Non aliquod tuguri culmen, non tecta caſarum
Sed videas illum magnas habitare Corinthos,
Quas non diſſiciat tempeſtas horridi belli,
Quas & olivifera Pallas Tritonia pace
Ipſa colat, pulchræque ſua cum Pallade nymphæ.

Hæc regna, has noſtro celebratas carmine gentes
Nullius ipſe ſatis celebratus carmine princeps
Chriſtigerus regit, & placida nunc pace gubernat,
Regia cui ſummis mandari inſignia votis
Unanimes voluere, omnes namqve illius olim
Illius auxilio cum ſint ex hoſte redemptæ
Jure tenet ſceptrum, regni fert jure coronam.

Ergo ubi *Cimbriaci* conſenſu hæc munera regni
Tot ducibus, tanta procerum inſpectante corona,
Ante ſacras aras ſuperumqve ante ora deorum
Tradita *Chriſtigerus* chara cum conjuge cepit,
Itur ad inſtructam mirandis ſumptibus aulam.

Namqve

Namque ibi (ne tenui complectar ſingula verſu)
Effigies veterum poſitæ longo ordine regum
Ære renidenti clara ceu luce refulgent *).
Ipſe alios inter cum magnanimo *Friderico*
Chriſtigerus, cujus tenet his fæliciter annis
Cimbrica regna nepos, *humeris longe eminet altis* **),
Sceptra gerens dextra, galeaque inſignis & enſe
Ex medio raptum læva tenet hoſte trophæum,
Non illo coluit pietatem ſanctius alter,
Quando ſuperſtes adhuc vitales optimus auras
Carpebat princeps, nemoque fidelius illo
Sacra tuebatur divini dogmata verbi.
Sed ſi quando ſuos fera bella movebat in hoſtes
Belli aliquod fulmen vidiſſes, quale fuiſſe
Fertur Alexander, qui magnis inclytus armis
Esse aliquem doluit, quem non ſuperaverat, orbem.
Verum *Chriſtigero* ſi fors victoria belli
Ceſſerat & ſævum virtute repreſſerat hoſtem,
Sic victis, tanquam nollet viciſſe, pepercit.
Poſtquam illum terris ereptum fata tulerunt
Filius, imperii cepit, *Fridericus*, habenas,
Et tenuit multos regnum ditione per annos.
Quantas ille toga, quantas res geſſerit armis
Non Maro, non docti Musa immortalis Homeri,
Non aliquis centum linguis, cui guttura centum,
Expediat neque eas ſatis ullo carmine laudet.
Hoc tacitum ſaltem nunquam mea Muſa relinquet
Pura Evangelii quod cum doctrina renata eſt,
Primus erat reges inter, qui juſſerit illam
Per sua divinis vulgari regna miniſtris.
Ille ſuas gentes legum moderatus habenis
Cimbriacas pulchris ornavit moribus urbes,
Nulla cæde ſuos nullaque tyrannide cives
Pressit, & experta eſt clementem *Cimbria* regem.
At nunc sub pedibus cum latis aurea terris
Aſtra videns toti cælo eſt gratissimus hoſpes.
Quis non, amiſſis tantis Heroibus, omnem
Deformi in luctu vitam traduceret? aut quis
Non sua perpetuis maceraret pectora curis?
Te nisi virtutis patriæ, virtutis avitæ
Inclyte Rex, generoſe Heros, fortiſſime princeps
Chriſtigere, hæredem nobis fortuna dediſſet,

Qui

*) Ex hac descriptione haud constat, utrum hic sermo sit de statuis ex ære fusis, aut de picturis regum, loricis æneis munitorum.

**) Antiqviſſimum forte de inſigni proceritate corporis Chriſtierni Primi.

Qui nulli veterum clara virtute ſecundus
Hunc tantum populi poſſes lenire dolorem.
Ergo omnis ceſſat populi dolor, omnia tandem
Temporibus jam læta tuis, te Rege superbit
Dania, te propter tollit *Normannia* criſtas,
Et *Gothus,* apricos & ad *Albidos* hoſtia colles
Ruricolis qui bobus arant. Tibi fauſta precantur
Omnia & ingentem cuncti gratantur honorem,
Cum populo & tota ſanctus cum plebe ſenatus,
Et tua nobilitas, tua magnorum procerum vis,
Te plauſu, te te clamore sequuntur ad aulam.

Illic cum toties, Heros generose, tubarum
Audieris ſtrepitus, patulaque exceperis aure,
Hæc etiam, ſi non Tarantantara, tibia certe
Inveniat faciles *Cimbrorum* principis aures.
Poſt ubi firma meis ætas acceſſerit annis
Tunc tua bella canam, tua tunc victricia vivis
Si modo fata ſinent, ornabo coloribus arma.

F i n i s.

Ad Joannem Saxonium Holſatienſem
idem
Ludolphus Priggius.

Cum tibi *Chriſtigero* scriptos de Principe verſus
Offerrem, ſtudii pignora prima mei,
Tu mihi cum docto, præceptor amande, *Philippo*
Illius edendi carminis author eras.
Tu, quia *Cimbriacum* syncero pectore *Regem,*
Laudibus aſſidue quem vehis ipſe, colis.
Ille sed ut calcar mihi subdere poſſet eunti,
Quem ſtudiis aptum talibus eſſe putat,
Immemorem cujus meriti, modo vita ſuperſit,
Ulla dies animum non sinet eſſe meum.
His igitur, quos jam vobis authoribus edo
Eſte patrocinio verſibus atque mihi,
Ne mihi livor iners studiisque inimicus honeſtis
Indignis laceret carmina nostra modis.

Impreſſum Vitebergæ
per
Joſephum Clug.

CCXLII.

Seditionum Daniæ Liber, 1537.

Apographum recens qvod hic secuti sumus, integer titulus præcedit, his verbis conceptus *Seditionum Daniæ Liber primus, civitatum plurimarum a regni senatu defectionem earundemqve deditionem ordine debito complectens. "Usqveqvo videbo fugientes, audiam vocem "buccinæ? qvod stultus populus meus me non cognovit, sapientes sunt, ut faciant mala, "bona autem facere nesciunt, aspexi terram, & ecce, vacua erat, et cœlos, et non erat lux "in eis. Hier. IV."* *Anno a nato mundi redemptore* 1537. Præfatio arguit auctorem anonymum non fuisse Professorem in Universitate Hafniensi; universum vero hujus libelli argumentum, eundem probat doctrinæ reformatæ fuisse addictum. Epilogus mentionem facit *libelli de religione*, quem in lucem edere cogitavit. Si conjecturæ locus esset, auctorem fuisse famosum illum *Paulum Eliæ* crederemus; qvi, saltem ex relatione antiqva, Anno 1537, ultima vice confessionem lutheranam amplexus est, & aliqvanto post, incertum qvo anno, diem obiit (*Olivarii* Comment. de vita *Pauli Eliæ* p. 148. cfr. tamen *Münteri* Reformationshistorie II. p. 292). Tunc autem plura prohiberent, ne *Chronicon Skibyense* supra Tomo IIdo editum, eidem tanqvam Auctori tribueretur.

Ad candidum Lectorem.

Rerum gestarum monumenta scribentis, Lector benigne, officium esse haud te latet: nihil ex se velut aranea fingere, sed veritatis secreta factorumque seriem ordine pro viribus perqvirere, elucidare ac tradere. Ideo de *intestinis Danoeum bellis* jam dudum auspicio, qvo capta erant, finitis, qvam verissime simul et brevissime, vel Momo judice, pro ingenii facultate me dicturum tuto tibi persvadere poteris. Hic si niger esses, diceres: strepit anser inter olores; hoc negotium committas Doctis et artium Liberalium Professoribus; vellem eqvidem, si illi severioribus alioqvin studiis non detinerentur.

Qvidam etenim illorum ipsos Basilidis trecentos sexaginta qvinque cælos qvotannis conscendunt, ut cæleſtium signorum siderumque interſint Synodis, postea deferant ad nos humi repentes, qvid illic de Mortalibus decretum fuerit. Quidam terram metiuntur, et alios extra Zodiacum qværitant, non curant hæc levia nostratia. Est unus, nomen fallit me, *parvus* an *magnus*, ignoro, qvi ante septem annos *Saxonem* nostrum Danorum Regum usque ad hæc præsentia tempora gestis complendum suscepit; adhuc tamen Canutus, eo nomine Sextus, in Saxone ultimus, regnat*). Itaque vereor, ne sesqvimille annis, anteqvam nasceretur, de ipso Horatius vaticinatus fuisse videatur: "partu"riunt montes, nascetur ridiculus mus." Qvare qvod illi dedignantur, patriæ compulsus amore (ut Chio (?) suggesserit) exarare cogar. Porro nec velim te mirari, qvare in titulo Libri additur *Primus*, cum secundum Librum huic

*) Nondum investigare potuimus, qemnam in Universitate Hafniensi Professorem vel alium virum doctum, cui circa Annum 1530 mandata fuerat Historiæ Saxonis Grammatici continuatio, Auctor hic in mente habuerit. Ipsi certe coævus fuit Petrus *Parvus* Rosæfontanus (ob. 1559), sub cujus nomine A. 1560 prodiit *Refutatio calumniarum Joannis Magni*, una cum *Chronico Joannis Regis Daniæ*; dudum vero constat, verum hujus operis auctorem fuisse *Johannem Svaningium* (*Grammii* Præf. in *Molleri* Cimbriam literatam p. 28-27; cfr. *Luxdorphiana* ed. Nyerup p. 285-87), qvem quidem ad Saxonem continuandum hortatus fuerat Cancellarius *Johannes Friis* de *Hessselager*, sed demum A. 1553, Regii Historiographi munere ornatum (*Nyerup* om danske Historieskrivere p. 65-66).

annexum non videris. Duplex regnum mundi et Chriſti Deus conſtituit, itaque primus liber externi et corporalis, ſecundus vero interni et ſpiritualis in Daniæ Regno ſeditionem enarrabit, et qvanto anima corpore præſtantior, tanto hæc ſeditio illa pernicioſior cenſenda eſt, verum qvia hæc toxica monachorum hæreſis adhuc cinere ſopita non jacet, ideo complendi libri copia non datur. Attamen qvemadmodum illum ita et hunc, divino adjuvante pneumate, completurum me ſpero. Interim Lector amice, vale.

Anno D. 1537 ipſis Idibus Martij.

Anno a virgineo partu milleſimo qvinqventeſimo trigeſimo tertio Dani graviſſimo curarum periculorumqve æſtu ſurſum deorſumqve agitabantur, cum Regum magnorum præclaro ſtemmate prognatus *Fridericus* illorum Rex ad regna emigravit coelica. Majorum more Senatus regni ad Regem regno eligendum, *Havniæ* in unum convenit. Verum, qvia *Norvegia* cum *Dania* conſoederata multis retro ſeculis uni ſubeſſe Regi et eligendo et obediendo, concordia ſtabili conſveverat; hinc primates noſtri Norvegiæ nobilibus, ut Havniam ſe qvam primum conferrent (ne qva regnorum ſuboriretur discordia), ſcripſere. Sed qvis Norvegiam regionem longiſſimam ſimul et ampliſſimam eſſe ignorat? caſtrumque multis milliaribus a caſtro diſtare? labores, difficultates, anguſtias terra marique ejusdem regionis proficiſcentium omitto, qvare eos cito congregari poſſe erat impoſſibile. Electio hanc ob cauſam anni ſpatio dilata eſt. Porro cum hæc neceſſaria eligendi Regem mora fieret, ac regnum Rege vacaret, *Havnienſes* una cum *Malmogienſibus*, ne qvid damni Reipublicæ interim accideret, jurejurando ambas ſuas civitates ſe aſtringere Senatui ac Regi deligendo, omni diligentia ac debita fidelitate cuſtodituros. At dominandi dira libido fidem, probitatem ſanctumqve amorem patriæ cito ſubvertit, illosqve falſos fieri ſubegit, aliud clauſum in pectore, aliud in lingva promtum, magisqve vultum qvam ingenium bonum habere. Prædicto juramento ita firmato, dormierunt nobiles in utramqve aurem. Memorare poſſem, ni res ea longius me ab incepto traheret, qvam nulli curæ niſi privatæ intenti erant.

Profecto virtus atque ſapientia major erat in antiqvis Danis rectoribus, qvi ex parvis opibus tantum olim fecerunt imperium, qvam in noſtratibus, qvi bene partum non aut vix tuentur ac retinent. Erat ſiqvidem illis domi induſtria, foris juſtum imperium, animus in conſulendo liber, neqve pravitati neqve libidini obnoxius; pro his nos habemus luxuriam, avaritiam, publice egeſtatem, privatim opulentiam. Inſuper alio peculiari morbo laborant Noſtri, Indigenas aſpernantur, exoticos aſciſcunt, amant, fovent, gignat licet Dania multos cordatos alumnos; his tamen non contenti, ſed ſi qvis ignotæ lingvæ, ſeu a perjuris Tartaris ſeu turpibus Mauris phalerata toga, vermiculata diploide, plumato pileo huc fugerit, huic ſummus committitur Magiſtratus. Igitur hoc tempore qvidam teuthonicus erat Conſul Malmogiæ, *Georgius Monetarius* nomine (qvem ſi videris in una hypoſtaſi, Simonem, Catilinam et Syllam te vidiſſe credas) et *Ambroſius*, Havniæ Conſul, teuthonico ſangvine oriundus, *Wullenweſſer* ex parte ſallacium Lubecenſium, nocturnos congreſſus, nocturna habebant conſilia, qvonam pacto Daniam, funditus deletis nobilibus, Lubecenſium ditioni ſubjicere poſſent. Tandem ita inter eos compoſitum eſt; finxerunt ſe ſecundo Deo pugnare, purum Dei verbum in medium, ut dicunt, placitum producere, et *Chriſtiernum ſeniorem* Regem

e car-

ſe carcere liberare ac priſtino dominatui reſtituere velle: deniqve ut parerent, qvod diu parturierunt, pepulerunt clanculum ad ſe; graſſabatur enim hæc conſpirationis contagio, qvaſi inſtar peſtilentiæ, in omnes omnium ferme Danicarum civitatum Rectores.

O *Georgi,* cui ignotum eſt neſas, a te diſtat, qvare cum tuis amantem pacem Daniam tot horrendis cogitaſti periculis exponere, perverſe hic accepiſti divitias et honorem, fugitaſti huc, neſcio a qvibus oris *), pauper, miſer, præter ſubdolum cor, vulpinum ingenium, animum ad omne vaſramentum verſatilem, nihil poſſidens. Noviſtine, qvomodo Socii tui *Ambroſius, Marcus Meyer* et cognominius tuus *Georgius Wullenweſſer* perirunt? an putas te impune elapſurum? cæterum ne ipſimet tantorum malorum auctores principesque cenſerentur, comitem *Chriſtophorum,* ſummæ auctoritatem prælaturæ colofiniæ gerentem accerſivere; idoneum virum illum, qvi ſi nihil lucrari poſſet, cum nihil habuit, nihil potuit perdere.

Iſtis technis ita in ordinem digeſtis, Lubecenſes ad inglorium ſcelerateque ſuſceptum bellum, latrocinium potius qvam bellum voces, jamjam accincti erant. Primum illuſtriſſimum Principem *Chriſtianum Friderici* Regis filium, Holſatiæ Ducem laceſſere non ſine magno ſuo dedecore attentabant. Qvid is tum faceret? nullos novit ſe habere inimicos, nemo illi bellum indixerat, attamen hiſce inſperatis hoſtibus turbatus non eſt. Imo implorato Divini Numinis auxilio, mox e ſuis (dominatur enim genti natura bellicoſæ) delecto exercitu in hoſtes irruit, fulminavit, in fugam convertit, qvidam illorum prædam furtive arreptam, qvidam veſtes, qvidam arma, calceos abjecerunt. Pedibus timor ad id illatus. Igitur ut ulterius a ſcelerato Lubecenſium ſangvine poenas ſumeret, omnibus conſoederatis ſuis literis ſignificavit, qvomodo horrendum illud monſtrum, qvod Lubecenſis cum ſuis complicibus clanculum diu aluerunt, jam in apertum prodiiſſet, ferrent qvoqve auxiliares copias, qvibus domari poſſent, ſimul illos rogans. Qvo audito, *Danorum* Heroes, Getharum (?) et Pruſiorum, Luneburgenſium, Heſſonum Duces una cum fortunato illo Sveciæ Rege, *Guſtavo* nomine, Duce Chriſtiano absqve omni remora milites longo militiæ uſu exercitatos ac omnem belli artem edoctos auxilio miſerunt.

Scaniæ nobiles, penes qvos ſumma rerum ejusdem provinciæ ſita erat, milites ſuos a Malmogia, ut eidem Duce ſuppetias ferrent, poſtulabant.

Heu dolor! qvod unqvam animum induxerunt ſuum, ut defamatis iſtis civibus crederent, cum lippi et tonſores illud tritum proverbium: *Malmogienſis Vir*; adeo noverunt, ut ſi cui ignotum eſt, qvid cretenſis vir, vel cretiſare ſignificet, utatur prædicto adagio et ſufficiat. Verum ut milites hi profectionem orſi ſunt, tunc perfidiam Malmogienſium tempus detexit. Clauſerunt portas, caſtrum diruerunt, nobiles, qvotqvot intra mænia invenerunt in arctum ſqvalidumqve detruſerunt carcerem: Incredibile dictu, qvantum ferociit *Monetarius* iſte, en, inqvit, diu optatum nacti ſumus tempus, magnæ dominationis futuræ ſpes in manibus eſt, ſi modo viri eſſe vultis. Ruſtici ad civitates noſtras habitantes, ſive ſint nobilium, ſive ſint eccleſiaſticorum Virorum,

*) *Georgius Kock (Monetarius)* e Weſtphalia oriundus traditur apud *Hvitfeldium* p. 1406, nec non in *Chron. Skibyensi*, supra Tom. II. p. 584.

rum, nobis ſervient, ſerent, metent, jam illa adeſt, qvam ſæpe optaverimus, libertas. Interea multi reverendi ſenes, demiſſo vultu, voce ſupplici, bella vetabant. Ac tanta vis morbi ante, uti tabes plerosque civium animos ancipiti malo permotos ita pervaſit, ut coeptis deſiſtere non poſſent. Nam in magna civitate multa et vana ſunt ingenia, et illi, qvibus nullæ opes ſunt, bonis invident, malos extollunt, vetera oderunt, nova exoptant. Hortabantur eos etiam belli ſpolia magnifica. Adhæc impunita illa ſeditio, qva duo fulmina belli *Severinum Tragolti* et *Tychonem Braa* *) occiderunt, animos eorum erexit. Qvid plura; ubi omnia ſatis explorata ſunt, judicavit *Monetarius* Lubecenſibus omnem rem jam in vado eſſe, qvare hortatur, imo jusſit, eos accelerare. Ecce in pelago, Selandiam a Scania dividente, vocati jamjam inſtructis navibus adſunt, adeo veloces erant ad effundendum ſangvinem, primo in Selandiam, Fioniam, aliasque maris Baltici inſulas irruebant, cives cum agricolis (ubi amor putrior) hoſtes cruce, et, ut ajunt, vexillo exceperunt.

Qvumqve hæc agerentur, Scanienſium nobiles Landscroniam ab hujus conſpirationis fæce immunem rati, id ſtrenuo ſimul et orthodoxo viro Magiſtro *Torbano Bylde* Archielecto Lundenſium, adjuvantibus etiam nonnullis ex Canonicis, foſſa, vallo et propugnaculo illam undiqve muniunt, illic aſylum ſibi fore ſperant.

At illud experti ſunt, qvia niſi mature eam civitatem declinaſſent, a civibus comprehenſi ac hoſtibus ſubinde adventantibus traditi fuiſſent. Omnia ad ſaguntinam famen ſpectabant. Etenim prædictarum civitatum civibus mandavit *Comes Chriſtophorus*, ut ex indigenis collecto exercitu optimates vita et bonis privarent, atque unumqvodqve eorum caſtrum demoliretur, ſolo æqvaretur, in favillam redigeretur. Ita juſſa capeſſunt, ac qvaſi et eqvo Trojano erumpunt, ſervi tutorum, fabrorum, cerdonum mixtis famelicis et ære alieno oppreſſis civibus mermidonum .... numve crudelitatem factis referentes. Irruebat enim vero in magnatum domos, inſtar luporum hiantium vel tigridum ob raptos pullos ſævientium, incendiis, cladibus, ſpoliis aliisqve belli facinoribus omnia miſcent, neqve generoſi ſtemmatis reverentia neqve reverendi sexus foeminei pudor, neqve Dei Opt. Max. cuncta cernentis timor, a ſceleratis furibus iſtos prohibere qvivit. Dominas pudicas alto ſangvine cretas, nullisqve non nominibus commendandas (viris ipſarum qvibusdam interfectis, qvibusdam mediis hoſtibus vix vita comite elabentibus) veſtimento exuunt, ex ſerico coccineoqve tenerrimarum virginum ornatu sibi faciunt tibialiorum ligamina, nihil victis reliqverunt; plura de infanda illorum pietate depingere patriæ dolor non ſivit, fruſtra etiam duco eadem commemorare, qvæ niſi eis, qvæ videre, nemini credibilia ſunt.

Deinde Comes Havniam verſus caſtra movit, Havnienſes, nam hoc tempore bona pars civium peſſima erat, ad aperiendas appropinqvanti portas confluxere. Accurrit veneranda canitie ſenex qvidam *Johannes Camerarius* nomine, et procul: o miſeri Cives, qvæ tanta inſania vos perduxit, ut Teuthonicis patriam veſtram tradatis? an a majoribus veſtris unqvam audieratis illos fideles Danis fuiſſe? Nonne tritum eſt illud proverbium? ante e ſambuco ſici decerperentur, qvam Teutones Danis invenientur fidi, calami-

*) Leg. *Severinum Truidsen* & *Tychonem Brahe*; utrumque A. 1523 necatum in prælio cum civibus malmogienſibus, refert *Hvitfeld* II. p. 1255.

lamitatum omnium, vitiorum ac bellorum, qvibus ab exordio regni irretiti fuerant Dani, fomes Teutones ſemper exſtiterant; credite mihi, veniet dies, qvo iſti, qvos nunc fucata mititate prælucentes, obvio greſſu amice intromittitis, erunt vobis hoſtes truculentiſſimi. Verum illi ſalubre ſenis consilium sprevere *). At qvid consilii capesserent tunc nobiles? Aderant foris exteri hostes, intus proprii ſubditi, servi et aulici hostes pessimi erant. Hic aliqvid de calamitate infelicis Domini *Johannis* cognomento *Urne* (aqvilæ) castrum Hafniense tenentis, Hafniæqve civitatis ſtatoris (qvo facilius qvis, qvid cæteris acciderat, conjiciet*) enarrabo. Centum aulicos industrios, atque, ut putabat, fideles salario conduxerat, ad qvos, cum Hafnienses comiti portas ac militibus ejus regni hostibus sponte (infandum) aperuerant, hanc orationem orsus est: "Strenuissimi fidelissimique servi mei, scitis, in quem usum con-"ducti estis stipendio, hæc non dico qvasi de vobis dubitans, sed ita res "jam postulat, ut ad juramenti mihi præstiti memoriam vos revocem, "qvænam rerum facies nunc ante oculos versatur, ipsi videtis. Dux ho-"stium cum exercitu supra est, acres præstate vos bellatores; non time-"mus obsidionem, victum qvatuor annorum habemus, argentum aut aurum "non desit vobis, liberos meos pauperes reddam, vos ditabo; si mea defe-"cerint, *Joanna* cognomine *Oxa* apud me decem millia aureorum deposue-"erat; *Georgius* vero filius meus quinque millia; cistas illorum exenterabo, "chirographum meum reponam; si comes singulis mensibus qvatuor aureos "dederit, ego vobis dabo sex, si ille sex, ego octo; majores nostri volebant "pulchram per vulnera mortem, qvam unqvam teutonicis fubiſſe; mors ærumna "non reqvies eſt, non cruciatus ea cuncta mortalium diſſolvet, ſi jam mo-"riemur, pugnemus, ut illis lugubrem relinqvamus victoriam, adeo ut apud "poſteros; utrum victores an victi feliciores ſint, magnum erit dubium. Sunt "nobis bellici pulveres, ſunt tormenta et bombardæ, totam Hafniam ſuper "caput eorum deſtruemus." Hucusqve audierunt illum, hic vero nonaginta ex iis defecerunt, nolentes hoc extremum concedere, habebant namqve in civitate ciſtas ſuas, legitimas uxores, ſcorta ſua.

I nunc, et maritos milites tibi aſſciſce; porro qvia nusqvam tuta fides comiti *Chriſtophoro* nomine ſenioris Regis *Chriſtierni* fidem juramento præſtare cogebantur, qvamvis qvidam noſtratium, qvibus naves erant, Lubecenſes non pro Regis *Chriſtierni* commodo ſed proprio prædari olfecerunt, attamen cauſa majoris mali vitandi, ne videlicet regnum incendiis, cladibus, ſpoliis devaſtaretur ac deleretur funditus, pace utcunqve comitem exceperunt. Cum ita Selandia, Scania, Fioniaque potitus eſſet, non illi Rex *Chriſtiernus* curæ erat, ſed cutis propriæ cura erat maxima. Caſtro Hafnienſi incubabat deliciis totus immerſus, non militaribus, ſed manicatis et talaribus utebatur, ornatus caput mitra, circumpendentibus redimiculis atqve vittarum tæniis, unde molliculus ille cognomen meruit. Poſtremo ex Agrippina**) ne qvid illi ad explendam libidinem deesset advexit M..... qvandam duabus pedisseqvis comitatam, qvia ubi pingve contigerit regnum, non deest Sibyrt (?). Verum, cum non haberet,

qvod

*) Cfr. de ipſo Johanne, olim Friderici Imi Camerario (*Kammersvend*) *Hvitfeld* II. p. 1454.

**) Scil. Colonia Agrippina, ubi Chriſtophorus Canonicatum habuit.

qvod ſtipendioſis militibus solveret, Architophilium ſuorum conſilio omnia ſubjectarum provinciarum vectigalia exinanivit, æraria exhauſit, ſacerdotia expilavit, privatorum bona diripuit. Emiſit nimirum verres qvosdam, qvi nihil reliqverunt intactum, omnia omnium cænobiorum, eccleſiarum aliorumqve ſacrorum penetralia hiando rimati ſunt. Erant etiamnum alicubi Divorum imagines, qvas majorum noſtrorum ſimplex religio ob coruſcantia divinitus ibidem miraculorum fulgura argento et auro totas veſtierat, has omnes ſpoliabant, etiam, (ut Siculus Tyrannus) cum magna irriſione, nam detractis aureis argenteisqve ornamentis corpora Vulcano tradidere. Omnia deniqve, qvibus maxime ornabamur, adjuvabamur, utebamur, ... Comitis ingluvies devoravit. Interea ſtolida plebs, qvæ primo cupide Comitis favebat partibus, mutata mente, illum execrabantur, qvod cum intellexit, Sielandenſes ut viciniores ſibi jurare ſæpe coegit.

O facinus inauditum efferum, inuſitatum, qvod populi horreant, qvod eſſe factum nulla non ætas neget. Seniorem Dominam *Holigeri Annam*, virtute, fama, genere præclaram jurare renuentem, comes ante pedes suos Rynge-ſtadiæ occidi juſſit*). Satellites Domini ſimiles illico ipſam trucidarunt, humi collapſam proprioqve involutam ſangvine ſpoliant, palpitantia membra denudant, argentum et aurum ejus inter ſe dividunt, qvod cum iis non ſufficeret, en accurrit unus Jacobus tibicen nomine, Teutonicus, et civis haſnienſis, ingerit ac, ſcelus, ne dicam nefas, in reverendum ejus alium gladium hæc addens: *Haſtu dar nicht golde in.* O ſcelera numqvam ſatis ulla poena expianda, neqve pudicitiæ neqve famæ, neqve Deo neqve ullis hominibus unqvam pepercerunt. Emerat illa dicta Domina etiam magna auri ſumma litteras Comitis ſidorias, nihil profuit. Sed qvid facias cum illis, qvi neqve literis neqve verbis fidem ſervant.

Igitur Fioniæ et Jutiæ Senatus ad Ducem *Chriſtianum* in Regem eligendum legatos transmiſere, volebant nempe de hac re ſtare promiſſis Regi *Friderico* factis; ſpoponderant namqve unum ex regiis filiis ſuper ſolium Patris ſeſſurum, ſceptrum geſturum regni. Etenim cum nobiles Scaniæ Sielandiæqve inſularumqve Baltici maris inſperatis hoſtibus circumventi ad Regem electum venire non poſſent, literis illi ſignificavere omnem fortunæ cum illo pati aleam velle. Verum cum dictas inſulas ita vaſtaverat Comes, Nauclerum *Clementem* in Jutiam ad ſimilia ibidem commovenda præmiſit; in hujus exercitu cerneres, qvos ante flagitium aut ſcelus per dedecora domo Daniaqve expulerat. Nam qvicunqve impudicus, adulter, gannio, alea, manu, ventre bona patria diſſipaverat, qviqve alienum æs grande conflaverat: præterea omnes undiqve parricidæ, ſacrilegi, convicti judices aut judicium pro facto timentes. Poſtremo omnes, qvos flagitium, egeſtas, mali conſcius animus exagitabat, hi Clementi familiares proximiqve erant. Qvod ſi qvis etiam culpa vacuus in conſortium illorum inciderat, qvotidiano uſu malitiæ (militiæ dicerem) facile par ſimilisqve cæteris efficiebatur. Talibus inſtructum nebulonibus exercitum in Jutiam ductavit, aſpiravit primo fortuna labori. Sed Deus omnipotens miſeram justorum vicem dolens gravisſime in eum, paucis interim e ſociis elabentibus,

cito

*) Hinc ſuppletur *Hvitfeldt* p. 1428. 1462.

cito animadvertit. Nam cum Jutiæ Heroes tam magna prædonum copia turbarentur oppugnarenturqve a propriis (tanta ubiqve regnavit .....) subditis ad *Chriſtianum* jam electum Regem tanquam aſylum confugiebant, acceptisque ab eo acrium bellatorum millibus, Oleburgium expugnavere, occiſis ruſticis et civibus in dominos ibidem congregatis. *Clemens* electo exercitu fugiendo capitur. Captus ad generale forum judiciale Viburgenſe trahitur, ubi diademate bracteis plumbeis compoſito coronatur, et quatuor rotis in altum erectis affigitur diſſecatus, caput vero ejus palo duodecim cubitorum annectitur; hoc modo injuriam juſtis illatam ultus eſt Deus omnipotens. Comes vero hujus rei certior factus *Marco Meyer* Lubecæ agenti, ut plures milites congregaret et ad Daniam ſe quamprimum adferret, adſcripſit. Ille intra paucas hebdomadas cum ſemitribus fortium bellatorum millibus Scaniam, qva Helſingburgum ſitum eſt, ſubintravit.*) Comes nempe Marcum Meyer hoſtem ſuum ſimulavit in initio, qvare quo tutius inſidiæ laterent, literis admonuit Scanenſium nobiles ad reſiſtendum Marco Meyer ſeſe agglomerare. Et hoc etiam compoſitum erat, ut commodius eos uno die (ut olim Hannibal Fabios) deleret. At Deo aliter viſum eſt, caſtro nempe Helſingburgenſi qvidam eximius, bellicæ virtutis heros *Tycho* nomine a *Cancro* piſce cognomentum habens**), tunc præerat, qvi neqve conſilii neqve audaciæ unqvam eguit, et quamvis Danus atqve natione Jutus erat, erat tamen propemodum tam aſtutus, ut aliqvis teutonicus. Hic ut literas Comitis inſpexit, continuo inſtar ſagacis canis latentem feram odorantis, paleatas olfecit inſidias; ſervantur hæ literæ in hodiernum diem, ut ſi qvis perjurii vel malæ fidei illos vellet arguere, qvo ſe excuſent, habeant. Attamen qvod Comes ſimulavit, hoc aliqvamdiu diſſimulavere.

Tandem cum ipſum cum ſuis conſiliariis ſangvinem ſuum jam tum adeo ſitire intellexiſſent, nolebant diutius ab illo tentari. Aderant nempe jam hoſpites, qvi illos vita et regno ſpoliare vellent, ideo noſtrates illi reſcripſerunt, juramentum, qvod a ſe vi extorſerat, amplius ſervare nolle. Mox, accerſito ad ſe Svecorum exercitu, copiis Marci Mejer et Michaele Blich ibidem captis, *Georgio Monetario* e media acie ad Sielandiam navicula elabente. Hoc pacto contra hujusmodi peregrinos hoſtes Dani et Sveci amicitiæ foedus iniere, nam de utrorumqve ſalute tum agebatur. Porro his devictis, omnes una ad ſeditionem iſtam debellandam Malmogiam profecti ſunt, Lundiæqve caſtra metabantur. Ubi Sveci aliqvantum calefacti, tum furta, tum apertas prædas exercuerunt, ut eos non auxiliares copias, ſed crudeliſſimos hoſtes judicares. Impia illorum veſtigia ad extremum et magnum illum diem Domini Lundiæ durant. Miſereatur noſtri Dominus, cum ab inimicis noſtris petamus auxilium. Deniqve licet Scania (Malmogia atqve Landscronia exceptis) depulſus eſſet Comes, dominabatur nihilominus Baltici Maris inſulis et niſi Rex *Chriſtianus* liberationem maturaſſet, maximam illic tyrannidem exercuiſſet.

Qvam ob rem cum in Fyoniam pugnaciſſimorum militum ſimul ac exercitum Rex ductitaſſet, ſabbatho palmarum, inito primo conflictu,***) annuente Dei gratia, victoria læta potitus eſt ac profligatos Comitis milites Aſſenſiqve civitate

*) Facit hic locus ad narrationem *Hvitfeldii* p. 1436-37 ſupplendam.

**) *Tycho Krabbe.*

***) Intelligitur hic prælium de qvo vide *W. Simonſen* Fyens Vilkaar i Grevens Feide p. 39 ſq.

tate incluſos obſedit. Nunciatur hoc Comiti Havniæ luxurianti, hic *Georgium Monetarium* et Ducem *Albertum* inclamat; ille magna militum copia undiqve collecta ad hoſtes expellendos Fioniamqve recipiendam procul dubio accingitur*). Ut vero in Fioniam, Baltico mari transmiſſo, ventum eſſet,**) aliter qvam ipſi rati ſunt, alea cecidit; in bellum utraqve acies congreſſa Comitis, cum multis bello delectis viris primo conflictus impetu, humi ſtrati procubuere; duo millia Regi victori ſe dediderunt, alii, turpe, hoſtibus terga verterunt***). Interea ad Fionienſium littora junioris Regis Chriſtiani navigium Lubecenſium caſtra navalia expugnat. Lubecenſis Naumachiarii vitæ ſuæ cum ſociis timentes in ſcaphas ſeſe conjecerunt, qvæ cum iis non ſufficerent, dubio natatu fortunam experiebantur. Noſtris undecim naves reliqverunt, bellicis machinis egregie inſtructas****). Aſſens et Svineburgium factioſæ civitates in Fionia manu victrici captæ ſunt, cives ad exoticas terras fugati digne qvidem qvia propriam patriam tradiderunt. Dux vero Albertus cum palantibus qvibusdam in Sielandiam fugit. Rex haud diu moratus eſt, qvin eos acri ſtimulo proſeqveretur. Imo, nonnullis interlabentibus diebus, et Hafniam et multa alia loca a Comite occupata, dura obſidione premebat.

Hinc Comes timere, hinc cepta fiducia fluere ac retro ſublapſa referri. Helſingorenſe caſtrum cuidam civi Malmogienſi†) a Comite traditum erat, ille hoc tenaciſſime defendebat; hanc ob rem Rex ſeptem capitalia, ut vocant, tormenta illuc adduxit, atqve ita artificioſe in ordinem compoſuit, ut uno momento omnia in oppoſitum Caſtri parietem lapides ſimul emitterent. Ideo qvoties hi ſeptem tormentorum lapides muro illudebant, paries, qvamvis duorum plauſtrorum latitudinem, tanqvam arundo ventis agitata, movebatur. Civis vero ut olim Cacus Virgilianus Avêntino monte neqvaqvam intus furit. Tum felicius duxit Malmogiæ eſſe, qvam illic ſe jactari in aula, demum decorticata virga, caſtro egrediens vitam ab hoſtibus mendicabat.

Simili modo caſtrum Wardbiergenſe expugnatum; captus ibi *Marcus Meyer*, de cujus fraude hic pauca dicenda. Victus erat paulo ante Helsingburgi, Dominisqve victoribus ſeſe dedidit et captivus illic ductus. Dominus *Tragoſius*††) qvi caſtro præfuit, illum majori honore qvam regni invaſor captivus dignus erat, excepit. Attamen tum illic breviuſculo aliqvo tempore magnifice ſuſtentatus ad ingenium rediit, inſtar vulpis, pilos, non animum mutantis, ac pellectis ad ſe duobus prædicantibus lutheranis, uno in caſtro, altero Vardbiergii exiſtente, tempus caſtrum furandi deliberat. Qvapropter Wardbiergienſis Evangeliſta, ſubinductis in templum civibus, ſcalam, ut muri altitudo popoſcit, ex tenuibus funiculis.....more connectit. Accidit poſthac qvadam nocte, ut omnes in caſtro *Marco Meyer* complices, ex debito excubias agendi ordine, vigilandi officium ſubirent. Hoc ſignificatum eſt concionatori Civitatis; is haud impiger intempeſta nocte ad ſtatutum caſtri locum ſatis defenſis iniqvis adoritur. *Marcus*

---

*) Cfr. *W. Simonſen* p. 61. 71.

**) Cfr. *W. Simonſen* l. c. p. 43.

***) Pugna Öxnebiergenſis; *W. Simonſen* l. c. p. 51 ſq.

****) De hiſce, mari geſtis, conferatur *W. Simonſen* p. 64 ſq.

†) nomine Henrico Brantun. vid. *Kragii & Stephanii* Hiſt. Chriſt. IIItii Tom. 1 p. 116 ſq.

††) Scil. *Truid Gregerſen Ulfſtand.*

Marcus qvi ad exteriorem murum cellam habuit, advenientibus funem deorſum per cloacæ foramen demiſit, attractaqve ſcala, ſupremam partem tigno ſuperne alligavit. Tunc ille evangelicus prædicator cum ſuis parochianis ſcalam (ſic itur ad aſtra:) conſcendit, ac in conclave *Marci Meyer* aggreſſi latitabant illa nocte magis muti qvam piſces. O Infortunium poſt tres vel qvatuor horas orto ſole, portam, ſervis ſuis ſtipatus, deambulatum exit *Trogottus*. Hinc *Marcus* cum ſuis hoſpitibus camera erumpens, portam, interfecto cuſtode, occluſit. Poſtea in alios ſe dedere nolentes irruit, ad propugnanda atqve tormentorum locum cucurrit igne tormenta infuſo in *Trugotum* ſulminavit; ille infelix in proximum virgultum fugere coactus eſt. Dominam vero ejus cum virginibus, plusqvam unum annum, in caſtro impio retinuit.

Deinceps Deo æqva lance omnia ponderante, cum altero prædicante caſtri proditore devicta arce ad Helſingorenſia littora, in qvatuor partes vivus exſectus rotis annexus eſt. Landscronienſes impie pagos circumjacentes ſpoliis ac incendiis divaſtabant, propterea noſtrates adeo arcte illos demum obſidebant ut nulli civitatum exeundi vel nocendi daretur facultas. Hinc eqvorum carnes comedebant, nonulli ex ditioribus unam alteramve ovillam aut ſuillam pernam vel alia hujusmodi habentes, interdiu illa (ſcrutabantur milites qvotidie ferme omnes domos) in ſummis domorum culminibus intra tecta, et latos illos ceſpites, qvi ſuprema ædium a pluvia contegere ſolent, occultabant, noctu ea cruda edebant, ne ſi coqverentur, nares militum odore cibi nidor imbueret. Etenim cives illi ſtulti ſapientes multo plures Comitis milites intromiſerant, qvam ipſi inhabitatores erant. Igitur, cum noſtris dare civitatem jam domiti cupiebant, magna ſeditio inter cives et milites deditionem civitatis disſvadentes orta eſt. Seorſum milites et ſeorſum cives cucurrerunt: enimvero niſi civium Parochus, vir eloqvens tumultum ſedaſſet, ſe mutuo trucidaſſent; demum Regi ſe dediderunt omnes. Malmogienſes, qvi novæ libertati aſpirabant, longa obſidione preſſi, antiqvæ fortunæ et ſervituti ſubjecti ſunt, et qvia tanta erat ſceleris eorum magnitudo, ut poena factis digna reperiri non poſſet, recepit illos in gratiam, magis qvid ſe dignum foret, qvam qvod in eos jure fieri poſſet, qværens. Veruntamen vereor, ne nimia illa Regis mititas (ſi iſti pellicatores rurſum tergiverſandi anſam adepti fuerint) in ..... ibit. Optaverant illi ſtolidi omnes piſcatorum habitationes a Malmogia uſqve ad Treleburgium; ut hæc literis firmarentur a Comite, emiſſi ſunt ad illum nonnulli cives, cumqve iter adorirentur exclamavit ingeminans poſt eos qvidam Scotus: accipite etiam Treleburgium qvod vecordes non anhelant? proprias domos poſtea intra proprium ..... tueri non potuerant. Magna en pars civitatis expoſita eſt, ad latam illam novi caſtri comprehenſionem, qvod magis jam ſuperbum exſtructum eſt, qvam antea illud vetus fuit, qvod deſtruxerunt, ſtringatqve eos ac nepotes eorum in ſempiternum. Hafnienſes, qvi unum milliare per circuitum terra et mari a Comite ſibi dari deſiderabant, juſto Dei judicio (qvod ita injuſte fines ſuos dilatare cupiverunt) inauditas calamitates paſſi ſunt. Civitas per circuitum exercitu foris cincta erat, intus militibus plena; foris hoſtes, intus vero, hoſtibus externis dormientibus, fames pugnavit. Piſtor qvidam unum farinæ modium ſolummodo in abſtruſo ſervatum, Duci *Alberto* centum marcis vendidit. Eqvos, canes, feles, mures et glires cætera turba comederunt. Dictu fædum, qvomodo cibum qværitando omnia milites rimati ſunt; infantium namqve et puerorum egeſtiones

ones inſpexerunt, ut inde qvalem cibum comediſſent, conjicere ac judicare poſſent, et utrum parentes eorum panes haberent, qvem infantibus ſuis in abſcondito mandarent. Qvod ſi alicubi deprehenderunt, parentes objurgabant, dicebant, ſe pueros ipſos, ſi tanqvantiſper obſidio duraret, comeſuros. Exanimi (miſerum) pueruli exanimatarum genitricum papillas oribus etiamnum comprimentes reperiebantur. Talia cernentes collecta concione, cives de civitate danda conſultabant, qvod ubi ad *Ambroſium* atqve milites Comitis pervenit, in cives inermes irruerunt, occiſis illico ſeptuaginta viris, fugientes ceteros perſeqvebantur. It bello, teſſera, ſignum, omnes adunum perdere nituntur. Exclamat Domina *Alberti* Ducis milites abſtinere et tubicines receptui canere jubens, at militum furor in poteſtatem necandi progreſſus vix mitigabatur*). Luebant Hafnienſes etiam tunc temporis ſcelerum ſuorum ſupplicia, qvi *Johannem Camerarium* recta monentem non audierunt, qvin imo injuſte antea in ipſa obſidione occiderunt; timebant (ſed ſimulatione qvadam ſubdola) obſidionem, ſi comitem ultro non inpromitterent, ab illo ipſo jam trucidabantur. Foris erat ſtricta obſidio, intus obſidione acerbior ſeditio. Qvod ſimulabant ſe timere dupliciter, re ipſa eos comprehendit, poſtremo ita et cives et milites fame attenuati debilitabantur, ut niſi Rex clementia erga eos uſus fuiſſet, humi collapſi exſpiraſſent omnes. Ægerrime tulerunt Principes, præcipue Holſatii, Regem ſine ſangvine et incendio Hafniam introiſſe. Comes autem *Chriſtophorus* et Dux *Albertus* ſiccis faucibus, maxillis tenuibus ac longa obſidione vix oſſibus adhærentes ad propria rediere.

Finis.

Ad Librum.

Cur claves ciſtasqve liber, cur tuta ſigilla
Atqve domus refugis limina nota tuæ?
Tollere humo, victorqve virum volitare per ora
Forſitan affectas tu qvoqve cum reliqvis.
Icarus et Phaeton pereunt majora ſeqvendo
Viribus innatis, hic fluvio ille mari.
Titanes pereunt terræ omniparentis alumni
Regnum turbantes, Jupiter alme, tuum.
Sic et Æolidæ Salmoneus Enceladusqve
Sortis dimenſum transgrediendo ſuæ.
Talibus exemplis (moneo) ſis cautus ubiqve
Propoſitiqve memor contrahe vela tui.
Dum tibi collegam de religione libellum
Junxero, tum qvovis tutior ire potes.
Sic tamen ut nulli dicas qvibus actus ab oris
Veneris, auctorem nec retegasqve tuum.

*) Cfr. *Hvitfeldium* p. 1479-80.

CCXLIII.

Nonnulla de Johanne Andreæ, penultimo romanæ religionis Episcopo Ottonienſi.

Mentionem horum carminum jam fecit *Pontoppidanus* (Annales eccleſiæ Danicæ Tom. II. p. 447); eadem vero ipſe non viderat. Licet hiſtoriæ Epiſcopi iſtius famoſi, *Johannis* dicti *Beldenak*, adhuc ſat obſcuræ, novam & inſignem lucem haud addunt, digna tamen reperta ſunt qvæ hic ederentur, utpote ab ipſo Epiſcopo & aliis auctoribus coævis conſcripta. Prodeunt ex unico, quod nobis ad manus fuit, apographo haud admodum accurato.

Nomina Otthonienſum Epiſcoporum diſtichis carminibus olim conſcripta (eadem disticha ſunt qvæ Hvitfeldius) habet).*

De *Joanne* ejus nominis qvarto cognomento *Andreæ* qvidam Novellus addiderat hoc diſtichon:

Præſul Joannes *ſucceſſit et artibus acer,*
Exul ter, captus bis, dehinc Lübeck ſepelitur.

Epitaphium ejuſdem ab illo ipſo conſcriptum:

Ad Limicum littus Brande**) *ſit ubi ſinus agri*
Antiſtes Joannes *fero me genitum.*
Qvem felix Agrippa ***) *ſimul Mavortia Roma*
Artes ac leges me docuere bonas.
*Sextus Alexander*****) *ſacra dans,* Joanne *precante*
Rege bono, cujus tunc ego Conſul†) *eram.*
Præclari Chriſtiernus *Rex Joannis alumnus*
Inſontem longo carcere meqve domat.
Inclita donec ubi felici marte Lübeca
Arcis Buringæ *moenia tollit humo*††)
Hinc ereptum me Rex extorremqve reponit
Fredricus, *rectus omnibus atqve pius,*
Chriſtierno *ſuperis contemptis exule regno,*
At mihi propitiis ad mea vota ruunt.
Sed qveror mea me iam qvorum ſangvine diſpar
Sum, multis odiis cedere fata jubent.
Hic tandem iactus videor Præſul Othonianus,
Qvi qvondam fuerim vermibus eſca modo.
Poſt hinc ad ſuperos videris me ſolvere lector,
Scriptis ad calcem tu necis adde diem. †††)

Ah

*) Chron. Epiſcoporum p. 37 ſq.

**) Hodie Bröndum in Territorio Hellum, dioceſi Alburgenſi.

***) Scil. Colonia Agrippina.

****) Pontifex Romanus, qui obiit d. 18. Aug. 1503.

†) Sive Conſiliarius, ſive in Cancellaria munere fungens; cfr. *Pontoppidan* Annales eccleſiaſtic II. p. 438.

††) A. 1522 Epiſcopus e carcere Bornholmenſi liberatus, ſeqvenți vero anno Epiſcopatui Fionenſi reſtitutus eſt. De variis, qvibus tenebatur, cuſtodiis cfr. *Chron. Skibyenſe* ſupra Tom II. p. 566-67. 572. *Gramm.* in *Meurſium* col. 743-45. 762. 572.

†††) Obiit 2 Fabiani ɔ: 20 Januar 1537. cfr. *Pontoppidan* II. p. 447.

In pariete theologici lectorii collegiatæ dominicalis Eccleſiæ *Othonienſis* præſcripta carmina intuitus Superintendens *Georgius Joannis Vibergius*, nihil moratus qvantitatum abuſum in dictionibus Joannis, "qveror, Præſul" etcæt., tantum ad perſonæ fortunam cordatus reſpiciens in fine provocatus lector, inſuperqve oblata illi hujus captivitatis et imagine et conſcripta qverela juſto dolore prorumpens, ſeqventem extemporaneam addidit apoſtrophen:

Ah bone vir poſthæc qvantum mutatus ab illo
Andros Joanne, *es: qvi qvondam victor abibas*
Hoſtibus e mediis: hos arte et marte fatigans.
Doctor Amelongus*) *tibi ceſſit fabula factus,*
Strenuus auratus miles Rönnau**) *nihil in te*
Prævaluit: reliqvos iam Dania *tota notavit.*
Magnanimum pectusqve tuum tua Curia ſola
*Per te conſtructa***) *ſatis arguit. O tua qvantum*
Te ſpes atqve ſalus hominum peritura fefellit,
Dum reqviem ſperans, Othonis rupe relicta,
*Cherſirupiam****) *peteres inimicis prædaqve factus,*
Dum monumenta parares hic, nunc exul humatus.
Præſulis exuvias inopina ſorte liqviſti
Inſigni auratæ ſtellæ *de ſtirpe* Canuto,
Cujus ego adjutor†) *in verbo admiſſus habebar,*
Agnus pone lupos multo diſcrimine vitæ
Dum mihi per doctum Colomannum ſcripta dediſti,
Ad te veniſſem, tum aliorum invitus abibas.
Nec poſt te facta templo hoc ſunt Præſulis acta
(Si fas dicere ſit) donec ſic Rege jubente
Coelorum, officii curator tantum ego factus
Ad nutum Domini qvoqve ſemper abire paratus.
Præfuit ipſe qvidem Goſtavos††) *vir bene doctus,*
Doctus et ad bella: ſed et hunc ars ipſa fefellit.
Tu petis in ſcriptis, Lector tua fata notaret,
Vel ſaltem extremam vitæ conſcriberet horam.
Non ego te vidi morientem, ſed mihi pictum
Te tulit ipſa tuæ faciei et mentis imago,
Exqve ſorore nepos Chriſtiernus Petrius, *ille*
Præpoſitus Viburgenſis Chriſto famulans nunc.
Te, inqvam, miris pallida ſignis ora cruentum

Hæc

*) Jurisconſultus germanus; cfr. *Hvitfeld* II. p. 1121. *Chron. Skibyenſe*, ſupra T. II. p. 566.

**) Marqvardus Rönnow de Hvidkilde, frater Caroli Rönnow, Beldenaki in epiſcopatu Fionenſi anteceſſoris.

***) Ædes epiſcopalis Otthiniæ ab Johanne Beldenak exſtructa; *Pontoppidan* Annales II. p. 439. *Hvitfeld* Chron. Epiſcoporum p. 43.

****) Arx olim regia in inſula Taaſing.

†) Scil. Canuto Gyldenſtierne cui cathedram Ottonienſem reſignavit A. 1530 vel poſtea; vid. *Pontoppidan* Annales II. p. 445. 448.

††) Rectius ſucceſſor A. 1537.

†††) Guſtavus Trolle, olim Archiepiſcopus Upſalienſis, qvem, ſub bello civili, Comes Chriſtophorus de Oldenburg cathedræ Otthonienſi A. 134, loco Canuti Gyldenſtjerne inimici Chriſtiern 2di præfecit.

Nares, dentes, ungves, teſtes, cruraqve ſtrictum
Et tua te ſæva poſt mortem fata qverentem.
Auſcultare decet tacite tibi triſte loqventi
Hæc nova cum dedero ſub anhela ſilentia veſtra.
Anno octavo poſt triginta ſeſqviqve mille
A nato Chriſto (damnorum morte retento)
Qvum Vigbergius *hic bariona* Georgius *eſſem*
Eccleſiæ Fionum Superintendens vocitatus,
Verbifugis locus eſt Clariſſis *ſponte relictus**)
Hic totus cleris in priſcum redditus uſum
Chriſtierno *a Regi illuſtri nato* Friderici,
Votum Reginæ Chriſtierno ſic moderante,
Ad Chriſti laudem, decus amborumqve perenne,
Et commune bonum pietatis, quæ Deus addat.
Tum qvoqve fama aderat Lubecæ te nece preſſum
Anno præterito Fabiani *Luce beati.*

Seqvitur noviſſimæ captivitatis ipſius deſcriptio per illum ipſum.**)

Anno milleno qvingentenoqve vigeno
Juncto ter deno, *qvando Deus fuit homo*
Acta evenerunt qvæ poſt deſcripta ſeqvuntur,
Crede mihi, nihilum certius eſſe poteſt.
Trans mare navigio gens est Holsatica *ducta*
Heus in Thoſingam *nocte repente ruit.*
Cherſtrupia *portis fractis cunctis ibi captis,*
De lecto Præſul protrahor ipſe foras.
Qvi fere nudatus, male tortus, per mare furto
Sum tranſportatus in loca vaſta nimis.
Æthere ſub nudo clam menſes qvinqve tegebar
Poſtea me furtim continet arcta domus.
Altera mutatis vaſtis habitatio facta eſt
Carceris illa mihi præbuit uſqve locum.
Excæcatum me qvoties duxere per arva,
Ne qvid contra reos forte probare ſciam.
Chriſtophorus Rantzou***) *tanti diſcriminis auctor,*
Tantorum ſolus neqveat eſſe reus.
Qvi caput eſt facti totius nomine ſolo,
Qvi naves armant, credo fuiſſe reos.
Me lacerant plagis variis, poſt viſcera ſtringunt,
Aurum, qvod poſcunt, reddere qviſqve vetat.
Os, dentes, nares, genitalia, brachia dantur
Torturis, qvibus adjunge manuſqve pedes.

Non

*) Anno 1538; *Pontoppidan* Annales III. p. 234.

**) Hæcce deſcriptio eſt carmen iſtud ab ipſo conſcriptum, ac poſtea pontificio (S. Canuti?) templo Ottoniæ in choro parieti affixum, qvod commemorat *Svaningius* Hiſt. Chriſtiani 2di p. 128; cfr. *Hvitfeld* p. 1122.

***) Epiſcopum captivum duxit A. 1533; *Hvitfeld* p. 1122.

Non modo corroſi dentes, ſed prorſus ab ore
Amoti, qvod adhuc indicat ipſe locus.
Teſticulus ruptus dubitas? ſed conſpice lector
Rupturæ mirans qvæſo reqvire modum.
Ad crus teſticulus prolixo fune ligatur,
Ad cruris tactum deprimiturqve ruit
Cætera ſunt ſibi per ſe teſtes ſingula membra,
Naſus, mirifica ſtringitur arte tamen.
Hinc jugulum collo nudato ſpata minata eſt
Stricta, qvis hoc qvoties dinumerare poteſt.
Maxillis ictus de pugno dantur amari,
Et dantur capiti verbera multa meo.
Poſt tergum manibus ſuper amnem fune ligatis,
Sed ſex promiſſis mors mala ceſſit eqvis.
Hæc paſſus Præſul Joannes Otthonianus
Qvi fere nunc conſtans gaudeo marte meo.
Inſtar Chriſte tui patrem poſtreme rogantis,
E qvibus hæc paſſus ſic miſerere precor.
Proceſſum contra divinum eſt jus hominumqve
Omnibus indignum, deſpicis, alme Deus.
Qvam non defenſum violenter lædere qvenqvam,
Naturæ nihilum ſordius eſſe putes.
Qvid multis? promptus ſum judicii ſive curſu
Tradere continuo, qvi dare jura jubent.
Ejus judicii qvo Iudex actor et idem,
Hii triſtes eſſe non voluere rei.
Tandem ſum Præſul tanti venundatus auri,
Qvantum qvis lueret ſi nece dignus erat.
Eſt cunctis dedecus qvi ſunt cognomine Rantzow,
Sacratum ſummo ſic violaſſe virum.
Attendas lector mediis qvibus impia ſecta
Tergere deſcripta ſordida facta ſtudet.
Jam jam ter denis deductis dulcibus annis
Qvendam de Porsfelth*) *nomine forte necant*
Præſulis hi famuli qvi poſt factum capiuntur,
Regis judicium qvos negat eſſe reos.
Nam licet impune nocuos occidere qvosqve
Hoſtes, qvem caſum non fugit iſte locus.
Sola ditandi ſe ſpes (credito) ſordida cauſa
Inflatam gentem diſce timere tibi.
Horum vindictam rogo ſupplex ſuſcipe Christe,
Tantis intendens dogmata juxta tua.
Si bos subtrahitur, furtum eſt, homo ſi venit, idem,
Qvod furti punit Flavia morte genus.

Qvod

*) Otto Porsfeld præfectus caſtri Nesbyehoved, a famulis Epiſcopi A. 1514 interfectus; *Hvitfeld* p. 1121, *Chron. Skibyenſe* ſupra T. 11. p. 567.

Qvod furtum patitur simplex de Præſule dicas,
Qvem clam direptum, qvem nemorosa tegunt.
Qvid post hoc furtum de præſule tam male torto,
Qvum tantos ausus orbis et aſtra vetant.
Te monet officium Princeps intendere tantis,
Ut non tam multi in crimina tanta ruant.

CCXLIV.

Statuta Convivii S. Johannis Baptiſtæ de Uggelöſe.

Conſtat, non ſolum oppida et emporia, verum etiam pagos, medio ævo, ſua habuiſſe convivia. Talia fuere in Siellandia: Convivium *S. Petri* in *Giöſtorp* (hod. *Giödſtrup* Par. *Toxverd*), *S. Petri* in *Brandelöffwæ* (in Par. *Neſtelſöe*), *S. Petri* in *Skwderlöſe* (pagus Par. *Teſirup*), *S. Andreæ* in *Ladby* (Par. *Herlufsholm*), *Vor Frues Höring* (ɔ: Hvirfing) in *Gwndherslöffwe* (Par. *Gunnerslöv*), qvæ omnia fraternitatem cum monaſterio b. Petri Neſtvedienſis coluerunt (Supra, Tom. IV. p. 333); Con. *S. Gertrudis* de *Helleſted* (*Suhms* Saml. t. d. danske Hiſt. I. 2. p. 132); *S. Erici* in *Kalwehaw* et pl. In Fionia extitit Conv. *S. Catharinæ* in *Skiellerup* (*Suhms* Saml. I. 1. p. 3); in Scania confraternitas *Skarholti* (Territorio Froſtenſi), de qva vid. *Terpager* Ripæ cimbricæ p. 424. Inter cætera vero qvæ hucusqve haud innotuere, fuit *convivium in Yghelöſe*, cujus ſtatuta hic prodeunt. In ſuſpenſo relinqvendum eſt, qvinam ex qvinqve Siellandiæ, hac appellatione vel ſimili tam olim qvam hodie notatis pagis, hic intelligetur. Exſtat nimirum parochia *Uggelöſe* et in territorio Liunge, et in territorio Merlöſe (ol. Ugerlöſe). Hodierni vero *Uvelſe* in territorio Liunge & *Ulſöe* in territorio Faxöe, antiqvum nomen etiam fuit *Ughloſæ* (ſupra Tom. VII. p. 110. 114). Autographum hujus legis convivalis, vel qvoad formam externam ſat memorabile, immo forte unicum, jam ſervat Bibliotheca regia, cui nuper acceſſit ex Muſeo regio, ad qvod olim devenerat cum cæteris Muſei Wormiani cimeliis. In *Muſeo Wormiano*, a *Wilh. Worm* Amſtelod. 1655. in Folio edito, talis ejusdem legitur deſcriptio p. 384: "Cylindrus eſt octo unciarum longitudine, ex ligno excavato & corio obducto, rimam habens per longitudinem excurrentem, per qvam membrana, cui literæ inſcriptæ ſunt, inſeritur & eximitur. Huic includitur lignum ſeu axis, ſuis eminentibus utrinque prominentiis ſeu verticillis extra corpus cylindri, ut his circumrotari axis poſſet, qvæ membranam ſcripta tenentem altera extremitate annexam habet, ut volvendo ei obduci poſſet, revolvendo vero per rimam eximi & explicari, qvo qvæ contineat legi poſſint. Membrana ipſa duos pedes longa eſt, lata dimidium." Deſcriptioni ſubjuncta eſt aliqvalis hujus membranæ delineatio.

In nomine patris & filii et ſpiritus ſancti Amen. Hec ſunt ſtatuta & iura conuiuii in *Yghelöſe* que ſenator & alii conuiue eiusdem conuiuii vnanimiter inuenerunt & ſtatuerunt in honorem omnipotentis Dei genitricisque ſue ſancte Marie virginis & Sancti Johannis Baptiſte ac animarum ob ſalutem.

In primis ſtatutum eſt ut ipſum conuiuium ſtabit apertum bonis & malis clauſum cuilibetque diſcreto ad iuſticiam.

Item qui coniuium intrare voluerit ſit diſcretus et ydonea perſona dabitque ad introitum oram denariorum.

Item

Item mulier intrans dabit lagenam cereuiſie tali condicioue quod nunquam faciat *gerdh.* (*)

Item preparatores conuiuii ſint quatuor et quicunque illorum ſuperſederit facere *gierdh*, cum ordo faciendi ipſum ex iure tetigerit, ſoluat duas oras & in proximo faciat. Sed ſi ſecundo negauerit, dimidiam marcham exſoluat ad emendam.

Item qui articulos ſui conuive detruncauerit, aut conuiuam ſuum interfecerit, ſeu in furto publice inuentus fuerit, hiis tribus de cauſis a conuiuio remoueatur.

Item qui fratrem ſuum vulnerauerit uel haſta percuſſerit dimidiam marcham fratribus emendet.

Item qui fratri ſuo alapam dederit ſeu crines eius traxerit cum fratres ſimul biberint, dimidiam marcham ſoluat.

Item si conuiua alium & nonconuiuam, quod abſit, interfecerit, tunc quilibet frater eum iuuat cum I. ſolido dn̄ (danico?). Et ſic pro omni iuſticia ſcil. XL. marcharum quilibet fratrum ſolidum exponat.

Item ſi quis fratrum tam grauem cauſam incurrerit, quod non poteſt in agro nec in prato ſibi ipſi ſufficere, tunc ſenior omnibus fratribus hoc dicat, vt veniant inſimul ad eum cum armis ſuis in adiutorium et tot eligantur conſilio senioris quot ſibi ſufficiunt in auxilium pro inimicis ſuis & qui ſe ſubtraxerit oram denariorum ſoluat.

(Item quicunque frater emendabit exceſſum minorem XL marc. quinque den. quilibet frater cum eo exponat).**).

Item qui in legibus fratri ſuo auxilium non preſtiterit, ſi ſciuerit, duas oras denariorum emendet. Qui vero auxilium fratri ſuo domi agenti in legibus non fecerit, XL. denarios exoluat.

Item quicunqve fratri ſuo in neceſſitate poſito ſuccurrere poterit et ei auxilium non contulit, II. oras ſoluat.

Item conuiua qvi tam grauem caſum incurrerit ſeu caſum quod in domo propria ſecure ſtare non poterit ſi occaſionem abeundi habuerit et auxilium pecierit, fratres eum ſeqventur ad mare et tam diu in littore expectent, donec remus videri non poſſit, ſeu ad ſiluam per vnum miliare. Et qui non fecerit ſi certum nuncium habuerit, dimidiam marcam exoluat.

Item ſi conuiua alium fratrem ſuum eciam conuiuam ad leges condempnauerit terciam partem de omni debito ſuo cum eo reddat.

Item ſi frater alium ad placitum ſeu potentes ſine licencia ſenatoris citauerit, dimidiam marcam ſoluat.

Item qui fratrem ſuum coram Dominis potentibus occulte accuſauerit, tunc incauſatus legibus ejusdem conuiuii ſe defendat, aut fratribus dimidiam marcam ſoluat.

Item qui fratri ſuo cauſam imponit antea depoſitam et emendatam, oram denariorum ſoluat.

(Item ſi quis diffamat fratrem ſuum malis verbis II. oras ſoluat, ſeniore et ſcriba in duplo puniendis.)***).

Item

*) Scil. Apparatus cibi & potus, quem qvilibet ſodalis, ſecundum ambitum, facere tenebatur.

**) Hæc in autographo deleta ſunt.

***) Hæc in autographo deleta ſunt.

Item quicunque fratrum incendium patitur, quilibet eum iuuet cum VI denariis, qui vero non fecit ſolidum emendet.

Item qui perloqui attemptaverit ſine licentia ſenatoris ſolidum ſoluat.

Item frater ueniens in paupertatem et conuiuii iura in omnibus adimpleuerit, libere bibat et ſubſidium fraternitatis et viuus et mortuus optinebit.

Item qvicunqve fratrum homicidium incurrerit et qui requiſitus in auxilium eum non ſeqvitur ad placitum pro pace ſibi reſtituenda, dimidiam marcham ſoluat.

Item ſi quis fratrum captus fuit, ſeu ſuper ſe vel rebus ſuis violenciam patitur, qui eum non adiuuerit II. oras ſoluat.

Item ſi moritur alicuius fratris iumentum dictum *ökanöt**) a medio Aprili vsque ſeminatum fuerit, quilibet fratrum iuuat eum vno die cum vno *ökanöt*, vel quinque denariis. Aliter faciens ſolidum ſoluat.

Item ſi infirmatur aliquis fratrum per quindenam a feſto beati Olaui vſque ad feſtum Sancti Michaelis, qvilibet eum cum tribus denariis vel iuuamine vnius diei metendo adiuuet.

Item quando conuiua moritur fratres ſuper eum vigilent & ſeqventur ad ſepulturam, aliter faciens ſoluat XV denarios, exceptis legitimis impedimentis. Legitima impedimenta ſunt iſta, infirmitas, inqviſitio ſuorum pecorum**), & citatio iudicis vel potentis.

Item vigilias ſuperſedens V denarios ſoluat.

Item qui non venerit, priusquam feretrum eleuetur, X. denarios ſoluat.

Item qui non venerit antequam ſepulchrum claudatur, ſoluat XV. denarios.

Item miſſa celebretur die depoſitionis de conuiuio pro defuncto et pſalteria legantur ex parte omnium fratrum intra ſeptem dies; aliter faciens ſolidum emendet.

Item notandum quod tria ſunt colloquia generalia, videlicet die ſancti Martini et quarta die paſche, et non veniens ſolidum ſoluat.

Item in craſtino ſancti Johannis baptiſte miſſa celebretur et qui ſe ab illa abſentauerit, eodem die, ſolidum ſoluat.

Item ſi alicuius preparatoris ſcabellum, dum conuiuium bibitur, ... ſeu frangitur, oram ſoluat et ſcabellum reedificet.

Item qui fratrem vel ſororem a ſede ſua remouet vel expellit oram den. ſoluat.

Item miniſter negligens in officio ſuo quocunque ſolidum ſoluat.

Item qui vomitum fecerit, ſeu aliquod aliud abhominabile in domo conuiuii oram det.

Item qui cornu cum potu effuderit V. denarios det & pro effuſione bicarii potus denarium det.

Item qui conuiuam ſuum ſupplantauerit in ſua habitacione, duobus fratribus atteſtantibus, dimidiam marcham den. fratribus emendet & indempnem reddat quem ſipplantauit.

(*Alia manu*) Notandum quod quilibet frater exponat ſeu offerat die depoſicionis alicuius conuiue vnum denarium et ad pſalteria legenda II. denarios.

Item

*) Isl. *akneyti* ɔ: bos jugalis.

**) ſupra lineam adſcriptum eſt: *i fieth epter fœæ ſit.*

Item circa feſtum beati Johannis baptiſte quando colloquium conuiuarum quod dicitur *ſtephnæ* tenetur, quilibet conuiua exponat quatuor denarios pro miſſis & pſalteriis legendis pro omnibus conuiuis defunctis, qui vero non expoſuerit II oras ſoluat.

Anno Domini MDXXXVII.

Item hoo ſom Gildbrodher er oc ey tül berer oc ſöger ey mett ſynn madt, bööde 1 *Thunne Ööl medt alle Brödre.*

Item XD. *ſielletördtt* (?) altera die Johannis baptiſte dum *ſtephne* habetur.

CCXLV.

Statuta Calendarum ſacerdotum in territorio Ramsöenſi et Bieverſkovienſi, una cum nominibus congildarum defunctorum; 1485.

Præter convivia ſecularia exſtitere qvoqve eccleſiaſtica ſive convivia ſacerdotum, vulgo calendæ dicta. In nonnullis horum & clerici & laici utriusqve ſexus admittebantur; aliis vero ſolum ſacerdotes adſcripti erant, in iisdem de negotiis eccleſiaſticis conſultaturi & hæc qvidem A. demum 1618 lege abrogata ſunt (*Pontoppidani* Annales III. p. 47. *K. Ankers* juridiſke Skrifter III. p. 145. 208). Ad primam claſſem referendum eſt *convivium minus ſacerdotum Randruſiis*, cujus ſtatuta A. 1484 inſerta ſunt Diario: *Viborg Samler* 1773, No. 23. 25; *Convivium Sacerdotum Ripenſium* & *Gilda Vicariorum in eadem Urbe* (*Terpager* Ripæ cimbricæ p. 445. 453); *Calendæ S. Mariæ in Peliworm* cujus legem exhibent *Pontoppidani* Annales II. p. 695; *convivium corporis Chriſti in Lollandia* (cujus ſtatuta habentur apud *Pontoppidanum* l. c. p. 232) & ejusmodi alia. — His qvoqve accedunt *Calendæ ſacerdotum* territoriorum Ramſöenſis & Bieverſkovienſis in oppido Kögenſi, qvorum ſtatuta hic prodeunt, deſcripta ex codice Bibliothecæ regiæ membranaceo, 15 folia in forma qvarta minori continente. Horum foliorum nonnulla collectas exhibent; nonnulla pura relicta ſunt. Recenſus ſodalium haud ultra ſacrorum reformationem continuatus eſſe videtur. Ipſius codicis prima pagina inſcribitur: *Liber Kalendarum Kögis* & infra *Libellus conuiui alis.*

Incipiunt ſtatuta fratrum ſororum omniumque congildarum in kalendis ſacerdotum in *Ramsöherith* et *Bicæſſwerſkowsherith*, que animarum ſaluti expediunt, renouata et approbata ex vnanimi conſenſu eorundem, Anno Domini MCDLXXXV.

In nomine patris et filii et ſpiritus ſancti Amen. Quum malicia hominum indies augmentatur, igitur pro innocencia conſeruanda ſtatutum eſt; primo de viſitatione capituli que fieri ſolet tribus temporibus anni: prima, feria ſecunda ante penthecoſten; ſecunda in ſecunda feria poſt feſtum corporis Chriſti; Et tercia feria ſecunda altera poſt feſtum ſancti Michaëlis, videlicet poſt ſynodum hiemalem. Et hiis tribus temporibus omnes fratres in opido *køgenſi* obligati sunt intereſſe vigiliis nouem locorum. Qui nec per ſe nec per alium interfuerit ſoluat vnum ſolidum. Sacerdotes vero et miniſtri extra opidum commorantes, ſi legitime prepediti fuerint, propter longitudinem itineris aut alia de cauſa legant vigilias in via vel antea in domibus ſuis ſub preſtitucione juramenti. Similiter hiis tribus diebus predictis

omnes

omnes presbiteri celebrare teneantur pro defunctis et omnes tam laici quam clerici interfint processioni misse et commendacionibus, quicunque non venerit soluat denarium quem offerre deberet et soluat album pro emenda. Ad missam eciam vnusquisque proprium denarium offerre non omittat.

Item quicunque tunc post missam ad capitulum non venerit, nisi legittime prepeditus fuerit, soluat vnum grossum. legittima autem impedimenta sunt hec: infirmitas, funus, puer baptizandus, visitacio infirmorum, celebracio nupciarum, citacio peremptoria; hec omnia sub prestitucione juramenti excusationem permittunt. Qui vero in periurio compertus fuerit in quatuor solidos puniatur et vtrum maneat vel recedat de conuiuio, sit sub arbitrio fratrum.

Item quilibet frater habeat secum vnum hospitem si placet.

Item quilibet intrans dabit duas marcas cerei et faciat quando eum ordo tetigerit vnam petanciam*) et vnam kalendam cum quatuor dapibus lardo et carnibus salsis.

Item nullus fratrum confratrem suum coram judicio ecclesiastico vel seculari accuset priusquam Priori suo est conquestus sub pena sex solidorum.

Item si quis legittime requisitus fuerit vel amonitus ad faciendum suum *gerd***) et non fecerit debito tempore sibi prenotato emendet in duplo.

Item aliquo fratre defuncto omnes conuiue presentes conueniant ad processionem pro funere ad ecclesiam et ibidem maneant vsque ad sepulturam sui. Et si quis requisitus hoc non fecerit legittimo impedimento non obstante solvat tres solidos.

Item nullus eciam adducatur hospes qui fuerit indignus vel infamis sub pena VIII solidorum. Et inuitans respondeat pro forefactis sui hospitis.

Item si frater fratri vel frater hospiti verba contumeliosa in curia vel in domo conuiuii dixerit et per duos fratres conuictus fuerit, soluat quatuor solidos. Si autem frater fratri verba contumeliosa que denigrant famam suam dederit, soluat fratribus lagenam *cereuisie danice* et lesum faciat indempnem juxta consilium prioris et quatuor fratrum seniorum.

Similiter eciam si aliquis vulneratus vel percussus fuerit faciendum est, sed emenda quam fra . . (*deest hic unum saltem folium*).

Nomina defunctorum recitanda, primo presbiterorum.

Dominus Nicolaus de Jeneslöffuæ***).
Dom. Jacobus de köghe.
Dom. Jacobus de ölsiæ****).
Dom. Johannes de biæffuerskow.
Dom. Johannes de giödherslöff†).
Dom. Johannes de horlöffuæ.
Dom. Tyco de herföglæ.
Dom. Johannes Tunne de horløffuæ.
Dom. Nicolaus de wolderslöff.
Dom. Nicolaus de herføglæ.

Dom.

*) o: portionem monasticam in esculentis; vid. *Ducangii Glossarium* in v. *Pictantia*.

**) vid. supra pag. 530.

***) Hodie Parochia Enderslöv, territorio Bieverskov.

****) Sine dubio hic intelligitur vel Ølsemagle vel Ølselille, vel Höve-Ölsie, qvæ omnia infra occurrunt.

†) Hodie Giorsløv.

Dom. Helmerus de wallöffuæ*).
Dom. Andreas de horlöffuæ.
Dom. Hemmingus de Biæffuerſkow.
Frater Nicolaus Lalæ.
Dom. Henricus løwæ de herföglæ.
Dom. Johannes Steræ Prior.
Dom. Johannes benedicti.
Dom. Trugillus Hwidh.
Dom. Jacobus Magni præpoſitus ottonienſis.
Dom. Barquardus de horlöffuæ.
Dom. Andreas de Dalby.
Dom. Nicolaus de Egby.
Dom. Petrus Alberti.
Dom. Andreas in Wolderslöff.
Dom. Mathias Johannis de wallöffuæ.
Dom. Magnus Johannis de Dalby qui dedit partem de curia ſua in köge ad conſortium Kalendæ.
Dom. Jacobus Winter de hyllingæ**) qui dedit braxatorium conſortio Kalendæ.
Dom. Petrus Øwæ.
Dom. Mathias Johannis de herföglæ.
Dom. Johannis Ebbonis.
Dom. Gotscalcus.
Dom. Marcus.
Dom. Petrus kanuti allæ godhæ Kompnæ (Kompanæ?)
Dom. Hermannus de lælingæ.
Dom. Petrus Johannis.
Dom. Nicolaus Jone Prior.
Dom. Henricus Johannis.
Dom. Laurencius Judhæ.
Dom. Johannes Lydekesſon.
Dom. Johannes Erici.
Magiſter Olauus petri prior.
Dom. Andreas Thome de Egby prior.
Dom. Petrus Swenonis.
Dom. Mathias Wat de Herföglæ.
Dom. Johannes Jacobi de Jennitlloffuæ***) qui legauit conuiuio ſummam pecunie.
Frater Petrus Andree.
Dom. Johannes Olaui prior.
Hr. Awæ Perſſen aff Ljuderſlöff.
Dom. Johannes Nicolai. Dom. Andreas Kogge prior.
Dom. Conradus Magni de horlöffuæ.
Dom. Martinus de lælinge.

Dom.

---

*) Hodie Vallöebye.
**) Sine dubio Hyllinge, territorio Öſter-Flakkeberg.
***) Hodie Endeslöv, territorio Bieverſkovenſi.

Dom. Magnus de Dalby.
Hr. Hans Jepſſen aff Höueölſſie*).
Hr. Hans Germidſſön aff köge.
Hr. Per Albrectſſön aff Lelingghe.
Hr. Lauriſſ Mortenſſön aff köge.
Hr. Per Arildſſön aff Lidemarke.
Hr. Lauriſſ Jenſſen aff vollerslöff.
Hr. Jep Nielſſön qui dicitur minor.
Hr. Oluff Lynneſſön ſom gaff ſind Jord hidh ſom liggher paa bieriæ**).
Hr. Jenſſ Perſſön. Hr. Pedher Henrickſſön lille heddinge***).
Hr. Henric aff jerſſie****)
Hr. Eyler Boo.
Hr. Oluſſ Jerickſſön.
Hr. Laurencius Nicolai canonicus ſancte Annæ †).
Dom. Benedictus Jacobi.
Dom. Jacobus Laurencii ſom gaff 1 *böſta Kædil* ††) til Kalentæ.
Dom. Michael de jænitzſlæff ſom gaff 1 *ſölff ſkedh* til kalenthen.
Dom. Jacobus Koggæ de Vallöffuæ.
Dom. Trögetus Mws †††).
Dom. Laurencius Olaui de Ölſighe magle ††††).
Dom. Paulus Nicolai de Egby.
Dom. Nicolaus Johannis altariſta ſancti Olaui.
Dom. Olaus Hennecini altariſta ſancti Criſpini †††††).
Dom. Nicolaus köge plebanus qui legauit kalendæ unam *ſiopam* ††††††). argenteam in valore XX. vnciarum.
Dom. Sigerus Michaelis de Höffueölſighæ.
Dom. Sveno de Boerop.
Dom. Jacobus Mvſæ de Herſöglæ.
Dom. Johannes Henningi de lælinge.
Dom. Laggo de Dalby.
Dom. Johannes Nicolai de Callriſſe †††††††).
Dom. Petrus Mathie de Horlöffæ.
Dom. Egardus plebanus kyöghe.

Hr.

---

*) *Höueöllſie* ɔ: Höie Ölſie, inde *Höielſe*, qvo nomine pagus hodie appellatur in territorio Ramſöenſi, ob ſitum excelſum ita dictus; vid. *Danſke Atlas* VI. p. 109. Eſt ſine dubio idem pagus *Ölſie*, in qvo b. Margareta' cognata Archepiſcopi Abſalonis a marito A. 1176 necata fuit (ſupra Tom. I. p. 163. 242. II. p. 523. 619. V. p. 302-3); qvi etiam in Chron. Sial. ſupra Tom. II. p. 623 *Ölishöue* nuncupatur.

**) Sine dubio platæa vulgo *Bierget* in urbe *Kögenſi*.

***) Territorio Stevnenſi.

****) Jerſie, territorio Thunenſi.

†) Olim extitit Capella S. Annæ in æde Kögenſi; *Danſke Atlas* II. p. 361.

††) Lebes in qvo perna (*Böſte*, *Fleſkeböſte*) coquitur: cfr. *Videnſkabernes Selſkabs Ordbog* I. p. 434, in v. *Böſtekiedel*.

†††) e gente nobili?

††††) Ölſemagle, territorio Ramſöe.

†††††) Hoc altare æqve ac Altare S. Olavi nuper commemoratum ſine dubio in æde Kögenſi extitit

††††††) ɔ: Poculum, dan. *Stob*.

†††††††) Olim etiam *Kalweriis* (ſupra Tom. VII. p. 113): hodie Kariſe, territorio Faxenſi.

Hr. Hans Olffön quondam prior.
Dom. Trugillus cum arcu. Vallup ſagdi Truells me Bwen (med Buen)?

Nomina fratrum miniſtrorum defunctorum.

Petrus Diegn de herföylæ.
Petrus Diegn de ölfielille*).
Petrus Diegn de dalby.
Petrus Diegn de wallöffuæ.
Johannes Diegn de ölfielillæ.
Hemmingus Diegn de Doſtorp.
Clemens Diegn de Jennitslöffuæ.
Johannes Nicolai de köghe.
Tidericus Diegn de Horlöffuæ.
Johannes Esberni de Woldherslöff.
Petrus Diegn de biæffuerſkow.
Johannes Trugilli de herföylæ.
Saxæ Diegn de Egby.
Esbernus Diegn de Herföylæ.
Johannes Tiderici de horlöffuæ.
Per cuſæ aff Jærſſiæ.
Twræ Deghn aff Höveölfighæ.
Knwth Deghn aff Jænitzleff.
Georgius Deghn aff biæffuerſkow.
Gregorius Deghn cum upore me....
Morthin Deghn aff herföylle.
Andhers Degn aff Egby.
(*Hic unum prope folium purum relictum eſt*).
Jep Jenſſön pa beriæ.
Ingeborgh Per Jenſſön. Gertrud guldſmedz.
Per knutſſön bagere oc hans Huſtru Citzſe.
Jep Boſſön aff herföylæ.
Anders Perſſön aff oſöwæ**).
Laſſæ *grydeſtöbære* cum uxore Margaretæ.
Meinekæ Hanſſön cum uxore Elföft.
Karinæ Jes Hanſſes.
Meſter Henicke legauit lauacrum ereum.
Skipper Jens Pædherſſon.
Telſe Clawesſe.
Michell Boſſön radhman cum uxore criſtina.
Pedher knwtzſſön ſkredher.
Karine bondens.
Per Skoningh.
Ditrec Mattis.

Hr.

---

*) *Ölfyœ litlæ*, territorio Ramſöenſi, commemoratur in *Regiſtro reddituum ad Epiſc. Roſkildenſium pertinentium* ſupra Tom. VII. p. 113; ubi dicitur partem eſſe Par. Olſemagle. Plures vero rationes ſvadent Ölfielille & Höve-ölfie (Höielfe) diverſas eſſe appellationes unius ejusdemqve pagi.

**) Forſan pagus *Aasöie*, parochia Herfölge.

Hr. Beynd Bille aff Söholm*) cum uxore ſua ffrwæ Ermegard.
Nis Iepſſen byfoged.
Jep Saxſſen.
Effuerth Grubbæ cum uxore ffruæ gertrudh.
Olaff Michilſſen a Lælingghe.
Anders ..... Gwnderup **) ſom gaff en ſölsked hidh.
Oluff Boſſen af Köge.
Brodher Perſſen aff Lelingæ.
Karine Peer Micelſſen.
Albrecht Hanſen Burgemeſter i Köge ſom gaff en Bryggerkiedel til Kalænthet.
Kriſtinæ Clemets aff Köge.
Gretæ Viſindröpd aff Köge.
Mattis Oddo.
Mattis Beyndſſon ſom var burmeſter i Köghe.
Beretæ kogghe.
Gertrud Dineſſæ.
Per Remisſnidher.
Doretis Krabeſs Dotther.
Lauris Saxen cum uxore Hustru chriſtinæ ſom gaffwe oſſ en Bolſg i Brusſtredhe***)
Appollonia botmand.
Peer Jenſſen hoſſ Torffueth ****) cum uxore Edlæ.
Peer Jenſſen i veſtre ſtrede †).
Clemit Peerſſen cum uxore Ingeborg.
Anders ſkaningh.
Jon Myræ Elnæ hwidz uxor eius.
Benthe Rodhes.
Per Jenſſen burgemeſter wor cum uxore Criſtine Perſſd.
Esben Nielſſen.
Peer Hogenſen ſom gaff III march.
Hermynd Beckman.
Dioniſius ſkriffuer.
Morthen gwlſmeth.
Ingeborg Saxes.
Sitzæ Oluff Boſſen.
Pædher Matſſen de Tornby.
Kriſtina Peer Katz.
Anne Peer owerſkierers.
Dom. Bero miles aff walby ††)
Laurencius Olaui proconſul cum uxore karina.
Karine ſtickers dotther ſom gaff 1 ſkön dwgh.
Veliom ſkotthe cum uxore Lucia.
Karine Peer Höghm. Dotter.

Chriſtina

*) Prædium in Parochia Maglebye, territorio Stevnenſi.
**) Prædium hujus nominis extat in parochia Herfölge.
***) Platæa hodie *Broe-Gade*, in urbe Kögenſi.
****) Scil. in urbe Kögenſi.
†) Hodie *Veſtergade* in urbe Kögenſi.
††) Sine dubio prædium Valdbygaard, hodie Juellinge, in territorio Stevnenſi.

Chriſtina Viliem Öruinges Husffruæ.

Orandum est pro *Nicolao Martini* ſcriptore Vallöffue pie memorie, post cuius obitum conuiuium kalendarum presencium sub admissione et deposicione Nobilium videlicet Domini *Nicolai Erici* militis*) ac conthoralis sue dilecte Domine *Birgitte* pro solucione presentis Curie in memoriam et refrigerium anime antedicti Nicolai Martini centum ac viginti marcas ſubleuauit.

Cuius anima in pace requiescat. amen.

(*Intus in tegumento*)

Hr. Hans Germenſſön haffwer i gott ny Kædel aff Kalenten for 1 marc wox om Aaret.

CCXLVI.

Obituarium eccleſiæ b. Virginis Hafniæ.

Hujus Operis Tomo VIto ſub No. 175 Pag. 373-74 publici juris facta ſunt nonnulla hujus Obituarii excerpta, ex codice membranaceo ante incendium Hafniense 1728 in bibliotheca Univerſitatis aſſervato. Latuit tum Editorem, ejusdem Obituarii aliud autographum membranaceum, 24 foliis forma maxima exaratum, adhuc inter Manuſcripta *Thottiana* (ſub No. 805. Folio) reperiri; ex qvo, b. *Nyerupius* recenſioni ſuæ in Diario: *Lærde Efterretninger* 1787, No. 1. ſpecimina nonnulla inſeruit. In obituario qvod hic demum integrum prodit, ex iſto codice deſcribendo, nobis ad manus fuit Apographum *Chr. Brandtii*, qvi ante annos circiter ſexaginta, complura loca legere potuit, qvæ nunc viſum fere fugiunt. Initium ſumſiſſe videtur, hoce Obituarium ineunte Seculo 13tio; ultimum exhibet annum 1421. Per iſtud, duorum ſeculorum ſpatium, haud pauca memorabilia, cæteroqvin ignota, ad ſtatum urbis & eccleſiæ, immo ad hiſtoriam patriæ politicam illuſtrandam, ſuppeditat.

Calendarium.

III. A. Januarius.

Kal. Jan. Circumciſio Domini. Anno Domini MCCCXXXV obiit Dominus *Kactillus***) ſacerdos, huius eccleſiæ canonicus qui habet anniuerſarium pro curia juxta fratres.

B. IIII. Non. Octava Sancti Stephani. Obiit *Chriſtina Öthgeri Lang* relicta que habet anniuerſarium quod tenetur facere *Botildis* relicta *Walteri*.

IX. C. III. Non. Octava Sancti Johannis. Anno Domini M. CCC. LXX qvarto obiit *Botilda* relicta *Hermanni Krusæ****) que habet per tutores hujus eccleſiæ anniuerſarium annuatim faciendum, racione unius fundi et taberne in eadem conſtructe, qui quidem fundus jacet in *platea fabrorum*****) in latere et parte boreali contra *forum* †)

XVI.

---

*) Sine dubio Dom. *Nicolaus Erici (Roſenkrantz)* de Biörnholm Senator & Aulæ Magiſter Daniæ + 1515 cujus uxor erat *Birgitta Thott* filia Olavi Axelſen de Wallöe.

**) Ketillus?

***) forſan idem *Hermand Cruſe* (e gente nobili?) cujus mentio facta eſt ſupra Tom. VII. p101.

****) Al. Smediegade; *Pontoppidan* Orig. hafn. p. 200.

†) Scil. Gammel Torv.

XVI. A. VI. idus. Luciani martyris. Obiit Dominus *Henricus* v. *Laurencius* hujus eccleſiæ decanus quartus*)

V. B. V. idus. Fortunati epiſcopi. Obiit Dominus *Jacobus Petri* hujus eccleſiæ canonicus et dominus *Jo. Pe.* qui habet anniuerſarium pro curia auſtraliter ſita juxta curiam *Andree Sterkees***) quam pronunc inhabitat quidam nomine *Daſkmaan.*

II. E. II. idus. Benedicti episcopi. Obiit Dominus *Nicolaus Euerhardi****) presbyter canonicus hafnienſis. Habet anniuerſarium per tutores eccleſiæ faciendum de duobus ſolidis groſſorum pro curia in qua reſidet *Johannes Petrus Fowetſiven.*

X. G. XIX. Kal. Febr. Felicis Confeſſoris. Anno Domini MCCC quinquageſimo obiit *Sueno Dyækn* cujus anniuerſarium procuratores fabricæ tenentur facere pro curia in vico beati *Petri* ad orientem ſita.

D. XV. Kal. Prisce uirginis. Obiit Anno Domini milleſimo CCC nonageſimo quinto Dominus *Nicholaus*****) felicis recordationis quondam episcopus *Roſkildenſis*, qui habet anniuerſarium pro bonis et ſpecialibus muneribus quibus reſpexit hanc eccleſiam ob laudem et honorem virginis glorioſæ et remedium animarum ſui et ſuorum progenitorum, cujus anima in perpetua pace requiescat.

XII. A. XI. Kal. Vincentii martyris. Obiit *Jacobus Jenſſon* de *Huſumme*†). Habet anniverſarium per tutores eccleſiæ faciendum de duobus ſolidis groſſorum pro curia ſita in *platea fabrorum* juxta *Petrum Andree* advocatum††) in parochia ſancti *Clementis*, in qua reſidet *Petrus* dictus *Maan.*

E. VII. Kl. Policarpi presbiteri. Obiit *Nicholaus Ödgerſön* Anno MCCCLXXX octauo cujus anniverſarium tutores eccleſiæ habent facere annuatim de I. ſol. groſſorum.

III. C. II. Kl. Julii confeſſoris. Obiit Dominus *Laurencius* frater archiepiscopi *Andree* et episcopi *Petri* qui contulit huic eccleſiæ *Langſyobierg*†††) et *Kaldecote*††††) cum ſuis attinentiis et *Niumulne*†††††).

XIX. E. III. Non. Blaſii episcopi et martyris Ansgarii episcopi. Obiit *Ebbo Bay* qui habet anniuerſarium per capitulum ratione fundi, in quo *Hannes Wat*††††††) juxta mare.

XVIII. B. VIII. Jd. Vedaſti et Amandi episcoporum. Anno Domini MCCXCIX promulgatum fuit generale interdictum in Dacia propter captivitatem *Johan-*

---

*) Hæc in ipſo Codice prorſus deleta ſuppeditat Apographum *Chr. Brandtii.*

**) cfr. ſupra Tom. VII. p. 72. 79.

***) Vixit circa A. 1389. Dipl

****) Nicolaus f. Jacobi obiit d. 18vo Januarii 1395. vid. *Suhmii* Hiſt. Dan. XIII. p. 353.

†) Pagus *Huſum* in Parochia *Brönshöi*, in qvo prædium *Husumgaard*; *Pontoppidan* Danſke Atlas II. p. 231. VI. p. 5.

††) Petrus Andreæ, Advocatus civilis (*Byefoged*) urbis Hafniæ ad A. 1400-1; *Origines Hafnienſes* p. 179.

†††) Supra Tom. VII. p. 57 commemoratur molendinum *Lanxebyerghs*, ex conjectura Editorum hodiernum *Fuglevad* inter pagos Lyngbye et Brede.

††††) *Kollekolle*, Paroch. *Kirke-Værlöſe.*

†††††) *Nyemölle*, Paroch. *Lundtofte?*

††††††) De qvodam *Hannes Wat* Conſul Hafnienſis Sec. XVto; vid. *Pontoppidan Origines Hafnienſes* p. 176. af. ſupra Tom. VII. p. 85.

Johannis Grand archiepiscopi Lundensis quod duravit usqve ad annum MCCCIII. II. Non. April. scil. in cæna Domini.

V. C. VII. Jd. Angulii episcopii. Obiit Dominus *Johannes Christine**) hujus ecclesiæ canonicus anno Domini MCCC..... qvi habet anniversarium, qvod tenetur facere *Botildis* relicta.....

III. Jd. Desiderii episcopi. Obiit *Petrus Pœthersson* qui habet anniversarium pro curia in *Wongwethe***) inpignerata fabricæ istius ecclesie per eundem *Petrum* pro duodecim marchis puri argenti, quam ipse habuit in pignere de quodam *Jacobo Karlsson* pro summa memorata***).

A. XI. Kl. Eucharii martyris. Obiit *Henricus Martini* hujus ecclesiæ canonicus anno Domini MCCC tricesimo nono qui habet anniversarium pro curia quam legavit ad fabricam ecclesie.

VI. A. IIII. Kl. Fortunati. Obiit Dominus *Ascerus* sacerdos *Gallæ*****) hujus ecclesiæ canonicus, qui legavit ad fabricam eiusdem curiam in *Scoghærluund*†) cum dimidio manso terrarum.

XIIII. C. II. Kl. obiit *Hillæ Grauensiens*††) cujus anniversarium tutores ecclesiæ tenentur facere cum duobus sol. grossorum ratione unius taberne in qva habitat pro nunc *Swarthæ Claws*.

Martius.

III. D. VI. Non. Basilei. Martiris. Obiit Dominus *Marquardus* presbyter†††) qui habet anniversarium per ecclesiam ratione fundi retro curiam ecclesiæ.

XIX. A. III. Non. Foce Episc. et Martiris. Obiit Dominus *Thordo* sacerdos archidyaconus roskildensis prius canonicus Hafnienſis, qui large respexit ecclesiam et canonicos pro anniversario suo, obiit anno M. CCC....††††)

F. VI. Jd. Marine virginis. Obiit episcopus *Olaus* anno Domini MCCCXX, qui habet anniversarium de bonis in *Øsiæthæ*†††††),

B. III. Jd. Macedonii presbiteri. Obiit *Knut Sudere*, qui habet anniversarium per ecclesiam de uno *caldario braxatorio* quod habet *Petrus Jacobi* juxta mare pro II solidis grossorum.

X. C. II. Jd. Petri Diaconi:..... Eodem die obiit Dominus *Snono* (?) ††††††) sacerdos huius ecclesiæ canonicus, qui contulit huic ecclesiæ unam curiam in *Gloopsiorp* pro anniversario suo.

D. Idus Leonis Pape. Obiit *Philippus* stabularius qui contulit huic ecclesiæ V oras terre in *Kalfslund*†††††††) et unam curiam *Hafnis* juxta *Balsiath*.

C. XII. Kl. Benedicti Abbatis. Obiit *Jacobus Petri* dictus *Holbec*†††††††) canonicus ecclesiæ hafnensis qui habebit anniversarium annuatim per tutores ecclesiæ pro una curia sita in platea dicta *Thydjeskæmannegade*

---

*) *Johannes Christinesson*? supra Tom. VII. p. p. 83.

**) *Vangede*, Par. *Gjentofte*.

***) Hæc manu antiqua in ipso codice deleta sunt.

****) De familia generosa *Galle* cfr. *Danske Adelslexicon*.

†) *Skovlunde* Paroch. *Ballerup*.

††) Cfr. supra Tom. VII. p. 76. 79. 80.

†††) Occurrit forsan supra Tom. VII. p. 75.

††††) Juxta Annales Bartholinianos ob. 1312.

†††††) *Ousted*, Parochia & Pagus.

††††††) Anne *Sveno*? Gloopstorp o: *Glostrup*, Par. & Pagus.

†††††††) Hodiernum *Karlslunde* Parochia & Pagus.

††††††††) *Jacobus Holbec* Presbyter, Canonicus Hafnienſis, sine dubio familia nobili oriundus (cfr. *Adelslexikon* I. p. 243) vixit circa A. 1389. Dipl. Dominus *Jacobus Holbec* Hafniæ; supra Tom. VII p. 80. 103.

*de**) juxta *lapideam domum* ecclesiæ beate virginis ad occidens contigue sita ex opposito *macellorum*, qvam ecclesiæ in remedium sue anime legavit virginis gloriose.

XII. D. XI. Kal. Pauli Episcopi. Obiit *Botilda Martini* quæ contulit ad fabricam ecclesiæ curiam unam, pro qua tutores ecclesiæ canonicis qui anniversario ejus interfuerint tenentur XII. oras annuatim; quæ obiit anno Domini M. CCC. VII.

F. IX. Kal. Petri. Obiit Dominus *Jacobus Acconis* qui contulit ad fabricam ecclesie unum fundum in parochia beati Petri situm pro anniuersario suo.

Nota. De anniuersario Domini *Henrici Johannis* de *Lethöfwæ***) militis postea canonici roskyldensis, quod tenetur facere possessor altaris quod fundavit in ecclesia beatæ virginis de duobus solidis grossorum.

III. B. II. Kal. Anno Domini M. CCC. LX primo. Obiit Domina *Margareta Wernekes* que habet anniversarium per tutores ecclesiæ beatæ virginis hafnensis; cujus anima in pace requiescat.

Aprilis.

XIX. C. II Non. Ambrosii Episcopi.
Anno Domini M. CCC. III. relaxatum fuit interdictum in Dacia in concilio habito in Fyonia in *Nyburgh*.

VIII. D. Nonas. Obiit *Hast.... Skyftæræ* qui dedit unam curiam pro anniuersario suo et tutores dabunt canonicis qui interfuerint . . . . marchas. . . . .

XVI. e. VIII. Jdus Sixti Pape. Anno Domini M. CCC. tricesimo sexto obiit Magister *Petrus Herba* Archydiaconus Roskyldensis felicis memorie***), qui legavit ecclesiæ beate Virginis Hafnis tres oras terrarum in censu sitas in *Herstathæ westræ*****), in quibus seminari potest dimidia marca annone, quarum reddituum medietas cedat ad fabricam ecclesie; de reliqua vero medietate suum fiat anniversarium singulis annis.

C. III. Jd. Leonis Pape. Obiit *Othgerus Lang* †) qui habet anniversarium quod tenetur facere *Botildis* relicta *Walteri* ††).

IX. A. IX. Kal. *Georgii Martyris*..
Obiit venerabilis memorie Dominus *Ingvarus* Episcopus Roskildensis.†††).

C. V. Kal. Anastasii Pape. Anno Domini M. CCC. XXXI. quinta feria pasce obiit *Jacobus* felicis memorie decanus hafnensis septimus qui contulit ad fabricam ecclesiæ unam curiam in *Hælghæthorp* ††††) pro qua tutores dabunt canonicis qui ejus anniversario interfuerint duas marcas denariorum.

A. II. Kal. Quirini Episcopi. Anno Domini MCCC. XLIX. obiit Dominus *Boëcius* dictus *sacrista* canonicus hujus ecclesiæ, qui contulit ad fabricam ejusdem unam curiam pro anniversario suo.

Majus.

---

*) cfr. *Pontoppidan*, Origines Hafnienses pag. 192.

**) *Ledöye* parochia &. pagus.

***) cfr. supra Tom III. pag. 271.

****) *Herstad-Vester* parochia & pagus.

†) forsan e gente nobili; cfr. *Dansk Adelslexicon* I. p. 315.

††) Cfr. supra ad 4. Non. Jan.

†††) Obiit A. 1289.

††††) Non *Helleströup* in parochia *Flinterup* (ut placuit Editoribus supra Tom. VI. p. 373.), verum potius *Hellerup* in par. *Gjentofte*.

Maius.

C VI. Non. Athanasii episcopi. Anno Domini M. CCC. LX. octavo Allemannici hafnenſem villam funditus deſolabant*).

XIX. D. V. Non. Inventio s. crucis. Obiit *Jacobus Clementis* decanus hafnensis quartodecimus**) anno Domini millesimo CDXIIII. cujus anniuersarium faciat poſſeſſor altaris ſancti Theobaldi cum II solidis groſſorum, racione cujusdem taberne in *ſaltbother****) ſitæ contigue antique *domui lapidee.*

VIII. C. IV. Non. Floriani Martyris. Obiit *Ebbo Jonæſſön* qui habet anniverſarium pro quadrante terrarum in *Aworthœ ydræ*****).

F. III. Non. Hylarii Epiſcopi. Obiit *Abſalon* huius ecclesie decanus primus†).

V. A. Nonas. Juuenalis Martyris. Obiit Magiſter *Yeſſe* canonicus qui multa (bona?) ſcripsit gratis et anniverſarium habet per tutores eccleſie.

XIII. C. VII. Id. Gregorii Epiſcopi. Anno Domini M. CCC. XIX. Obiit *Lucia Martini* que habet anniversarium pro curia ſua.

X. F. IIII. Idus Nerei Achillei et Pancratii. Obiit *Tuuo* Decanus hafnensis ſextus qui contulit curiam pro anniuersario, canonicis III. marcas, campanario oram de illis tribus marchis.

VII. B. Idus. Yſidori Martyris. Anno Domini M. CCC. ſexageſimo obiit Dominus *Johannes Petri*, ſacerdos bone memorie qui habet anniuerſarium racione curie in qua reſedit in parochia *ſancti Nicholai* ſite, per tutores eccleſie faciendum. Cujus Anima in pace perpetua requieſcat. Amen.

IIII. E. XV. Kal. Potentiane virginis. Obiit roſkildenſis epiſcopus *Petrus junior* ††).

F. XIIII. Kal. Baſilii Martyris. Anno Domini M. CCC. CVII. obiit *Nicholaus Pœtherſon* pro quo tutores ecclesie qui pro tempore fuerint dabunt canonicis qui ejus anniversario ſive vigiliis et miſſe interſuerint, annuatim duas marcas denariorum.

CIX. . Kal. Datini Martyris. Anno Domini M. CCC. ſexageſimo obiit *Katerina* relicta *Jacobi Lales*†††), que habet anniverſarium per tutores eccleſie, racione duarum tabernarum, quas contulit eidem ecclesie.

VI. F. VII. Kal. Regnulphi Martyris. Obiit Dominus *Laurentius Boſſon* canonicus haſnenſis qui habebit anniuerſarium pro quadam terrula in fundo parochie *ſancti Clementis.*

III. Kal. Petronille virginis. Obiit *Kanutus* dictus *Porſſœ*††††).

Iunius.

XIX. F. III. Non. Marcellini et Petri martyrum. Anno Domini M. CCC. LIX. Obiit Dominus *Johannes Jacobi* canonicus Aruſienſis cujus anniversarium faciant tutores eccleſie racione curie ſite ex parte orientali a curia in qua reſidet quidam dictus *Haſſe.*

XVI. A. II. Non. Patrocii epiſcopi.

Anno

---

*) vid. *Suhmii* Hiſt. Dan. XIII. p. 613.

**) cfr. de eo infra ad 3. Id. Juli; nec non *Pontoppidani* Annales eccl. Dan. II. p. 512.

***) cf. *Pontoppidan* Origines hafnienſes. p. 198.

****) Extitit olim & *Aworthœ öfræ* & A. *ydræ* (ſupra Tom. VII. p. 65); hodie vero non, prout credidere Editores l. c. *Avedöre*, ſed potius *Rödovre & Hvidovre.* vid. *Gliemanns* Beſkrivelſe over Kiöbenhavs Amt. p. 214. cf. ſupra T. VII. p. 97.

†) Vixit circa A. 1209.

††) Sine dubio *Petrus Jacobi* f. qvi obiit 1225; vid *Suhmii* Hiſt. Dan. IX. p. 503.

†††) forſan e gente nobili; vid. *Danſk Adelslexicon* I. p. 313.

††††) Obiit A. 1330. cf. *Suhmii* Hiſt. Dan. XII. p. 205.

Anno Domini M. CDXIX. feria quarta ante feſtum Pentecoſtes dedit et legavit in teſtamento ſuo eccleſie beate Marie virginis hafnensis, ubi elegit ſepulturam, tabernam ſuam quam habuit *Draghör* in *Skalkesnæs**) ex oppoſito taberne *Petri Suſi* dictam *hjörnèbod* cum omnibus ſuis pertinentiis jure perpetuo poſſidendam, ita tamen quod anniuerſarium ſuum in eccleſia predicta ſemel celebrabitur omni anno.

F.V. Idus Primi et Feliciani Martyrum.

Obiit Dominus *Johannes Grüs* presbyter qui habet anniversarium pro ſe et parentibus ſuis de II. ſolidis groſſorum pro curia aciali **) juxta *lathbroſtrœde****).

A. III. Idus. Barnabe apoſtoli.

Anno Domini Milleſimo CCC. quinquageſimo quarto obiit felicis memorie Dominus *Boëcius* hujus ecclesie Decanus nonus qui habet anniversarium per tutores eccleſie faciendum, cujus anima in pace requieſcat.

XV. E. XVII. Kal. Viti et Modeſti. Obiit *Gerthrudis* uxor *Papœ Storm* que legavit unam curiam in parochia *ſancti Nicholai* ſitam ad fabricam eccleſie beate Marie pro ſuo anniuerſario.

G. XV. Kal. Botulphi Abbatis. Anno Domini M. CCC. LXX. tertio obiit *Hermannus Cruſœ*****) qui contulit ad fabricam ecclesie beate virginis Hafnis unum fundum ſitum iuxta *Smethiægadhe* a parte orientali pro quo tutores eccleſie antedicte faciant anniuerſarium ſuum annuatim. Cuius anima in pace requieſcat.

XII. A. XIIII. Kl. Marci et Marcelliani martyrum. Obiit Dominus *Eſkillus* ſacerdos qui contulit huic eccleſie duos manſos terre in *Tumethorp* †) in anniuerſarium.

C. XII. Kl. Regine uirginis. Obiit Domina *Cecilia* uxor quondam *Petri Gœarſſön* que habet anniuerſarium per tutores faciendum.

XVII. F. IX. Kal. Etheldrute Uirginis. Eodem die obiit beate memorie *Petrus* filius *Skalm Bang* ep...††).

XIIII. B. Kal. Sanctorum Johannis et Pauli Martyrum. Anno Domini M. CCCXL. ſecundo fuit bellum iuxta *blithebro* inter Holſatos et Dacos.....†††)

Obiit *Henricus Knob* cuius anniuerſarium tenetur poſſeſſor altaris trium magorum, cuius anima in pace requieſcat.

F. II. Kal Commemoratio ſancti Pauli.

Boëcius decanus hafnenſis tenetur habere anniuerſſarium per canonicos faciendum pro curia ſita inter curias *Thordonis Bugghe* ††††) *et Mathe Staphen-*

---

*) Locus Amagriæ hodie ignotus.

**) *Occidentali*; ex conjectura *Chr. Brandtii.*

***) De hac platea vid. *Pontoppidan* origines hafnienſes p. 195.

****) cfr. ſupra ad 3. Non. Jan.

†) Sine dubio *Tommerup* Par. *Taarnbye* in Amagria.

††) Scil. *Petrus Bang* Epiſcopus Roſkildenſis ab A. 1254. ad 1277, qvo anno obiit. Eundem diem ejus emortualem (22 Juni?) annotavit *Liber dat. Roſkildenſis*, ſupra Tom. III. p. 268 Habemus hic nomen patris, de qvo dubitavit *Suhmius* Hiſt. Dan. X. p. 255.

†††) Locus cæteroqvin ignotus prælii juxta Hafniam inter Mareſcallum R. Waldemari *Fridericum a Löchen & Marqvardum a Schöne* Holſatorum Ducem A. 1342. commiſſi, de qvo vide *Hvitfeldium* I. p. 480. & *Suhmii* Hiſt. Dan. XIII. p. 50.

††††) e gente nobili?

Staphenſon quam contulit et ſcotavit canonicis memoratis pro dicto anniuerſario faciendo. Item in eodem anniuerſario tenentur procuratores eccleſie, qui pro tempore fuerint, aminiſtrare canonicis et vicariis qvi vigiliis et miſſe interſuerint lagenam bone cereviſie cum bona veſte de bonis altaris ſancti Laurencii quod dictus *Böecius* decanus in ipſa eccleſia de propriis expenſis..... fundavit et donavit.

Iulius.

XIX. G. Kal. Iul. Octava ſancti Iohannis. Obiit *Petrus Jenſen* et uxor ſua *Mærdhe* ſoror *Laurencii Werner*, habent anniuerſarium de duobus ſolidis groſſorum pro curia in *nörregathe*.

VIII. A. VI. Id. Proceſſi et Martiniani martyrum. viſitatio ſancte Marie virginis. Anno Domini M. CCC. LXXX. ſexto videl. in ſecunda feria die Proceſſi et Martiniani eccleſia *ſancti Petri Hafnis* cum duabus ſuis campanis et cum quatuor optimis campanis beate virginis Marie ibidem et cum una parte villæ per incendium eſt combuſta *).

E. II. Id. Octava apoſtolorum.

Katrina uxor *Nicolaj Wider***) habet anniuerſarium de II. ſolidis groſſorum per poſſeſſorem altaris trium regum.

VIII. Id. Kiliani. Notum quod procuratores fabrice qui pro tempore fuerint habent de bonis dicti altaris... ita videlicet quod dabunt ſacerdoti dictum altare de conſilio capituli officiati duodecim.... turonenſis annuatim, in quattuor terminis perſolvendos.

Et dominis canonicis et eorundem vicariis lagenam... cum refectione... ſupradicti... cæteri vero redditus dictorum bonorum cedant fabrice memorate.

X. B. VI. Id. Kanuti regis.

Obiit *Eſkillus Petri* decanus eccleſie hafnenſis tredecimus anno Domini M. CCC. LXX. tertio qui habet anniuerſarium annuatim per tutores eccleſie racione unius curie apud *hyſekebro****) ſite, a parte occidentali curie cuiusdam *Matthei futoris*, de qua dabunt canonicis duos ſolidos groſſorum, qui miſſe et uigiliis eius interfuerint.

VII. E. III. Id. Cuthberti Epiſcopi.

Anno Domini M. CDXII. obiit *Chriſtina* quondam uxor *Clementis Aweſſön de Nyköbing* in *Otzheret*, quorum anniuerſarium faciat annuatim poſſeſſor altaris Theobaldi de duobus ſolidis groſſorum, ſimul racione curie quam habuit *Iacobus Clementis* decanus hafnenſis filius eorum*****) de quodam *Hans Syke*†) in carnificio in *biörnæbrogadhe*††) et contulit poſtmodum ad dictum altare ſancti Theobaldi, in remedium animarum ipſorum, quorum animabus propicietur omnipotens Deus; item ſciendum eſt, quod *Jacobus Clementis* decanus hafnenſis præſcriptus habebit anniuerſarium ſuum per poſſeſſorem dicti altaris die obitus ſui ubicunque & quandocunqve obierit, racione taberne inter *ſaltbothær* ſite de duobus ſolidis

*) De iſto incendio nil alibi occurrit.

**) *Nicolaus Wider* Proconſul Hafnienſis, ad A. 1403; *Orig. Hafnienſes* p. 174; Conſul Hafnienſis 1406; l. c. p. 176.

***) Forte pons ad introitum ad initium plateæ *Hyſkenſtræde* ſitus, unde conjicit Editor ſupra Tom. VI. p. 374. mare, qvo arx circumdata fuit, tunc ſeſe extendiſſe uſqve ad hanc plateam.

****) De eo vide ſupra pag. 542.

†) Hoc nomen occurrit ſupra Tom. VII. p. 73; *Hannes vame Sike* p. 104.

††) Platea ex tabernis Carnificum poſtea dicta *Kiödmangergade*, hodie *Kiöbmagergade*; *Pontoppidan* origines hafnienſes p. 194.

Anno Domini M. CCC. XIIII. in nocte ſancte Chriſtine deuaſtata ſuit eccleſia ſancte marie hafnis per incendium *)

XIIII. D. VII. Kal. Jacincti Martyris (?).

Obiit *Margareta* (?) uxor *Laur. wynnere* **) et *Lucia* uxor eiusdem *Laur.*

IIII. E. VI. Kal. Septem dormientium. Obiit *Chriſtina Haſtæns* anno Domini M. CCC. XX. VIII. que habet anniuerſſarium.

F. V. Kal. Pantaleonis Martyris.

Obiit *Olaus* hujus eccleſie decanus ſecundus.

B. II. Kal. Germani epiſcopi. Anno Domini M. CCC. nonageſimo obiit *Andreas Syundeſſen* armiger pie memorie fundator altaris ſancti Andree, qui habebit anniuerſſarium annuatim per tutores eccleſie, pro ſpecialibus donis que in remedium anime ſue eccleſie virginis Marie hafnis contulit et legauit.

Auguſtus.

V. E. III. N. Inuentio Sancti Stephani. Obiit Domina *Margareta Gerikes* que legavit eccleſie fundum duarum tabernarum pro anniuerſſario ſuo ſimul et mariti ſui predicti, canonicis vero dabuntur due marche.

VI. C. XI. Kal. Oct. Sancte Marie. Obiit Dominus *Iohannes Suenſon* fundator altaris beate Katerine, cuius poſſeſſor tenetur facere anniuerſſarium ſuum.

D. X. Kal. Tymothei et Apollinaris Vigilia. Anno Dei M. CCC.L. obiit *Holricus* qui habet anniverſſarium pro tabernis quas contulit fabrice, in quibus reſidet quidam *Petrus* dictus *Wes.*

III. F. VIII. Kal. Lucii pape et martyris. *Claus thyeſk* cum uxore habent anniuerſſarium de II. ſol. groſſorum pro curia in qua *Jacobus Brand.*

C. IIII. Kal. Decollatio Sti Johannis.

Obiit *Nicholaus* huius eccleſie decanus tercius qui contulit curiam ſuam ad reſidenciam decani.

September.

X. E. VII. Id. Regine virginis. Obiit *Hemminggus Peterſſon* qui habet anniuerſarium ſuum et ſue uxoris annuatim pro curia ſua, quam inhabitauit juxta *laadbro* ***) orientalem, quam eccleſie beate virginis in remedium anime ſue contulit et legauit.

6. VI. Idus. Natiuitas Sancte Marie.

Pro dicto *öfræth* dicende ſunt due miſſe cum anniuerſſario.

BIII. Id. Prothi et Iacincti. Obiit Dominus *Stigotus* Epiſcopus Roſkildenſis ****).

XV. C. II. Id. Iuuenalis confeſſoris. Anno Domini milleſimo. CCC. XL ſexto obiit *Godikinus de Vnna*, cuius anniuerſarium habet facere poſſeſſor altaris quod idem *Godikinus* et ſua uxor Domina *Katerina* fundauerunt, videlicet ſanctorum apoſtolorum.

IIII. D. Idus. Philippi epiſcopi. Anno Domini M. CDXIIII. die exaltationis ſancte crucis obiit *Jacobus Clementis* †) decanus huius eccleſie, qui habet anniuerſarium

---

*) cfr. *Pontoppidan* Orig. hafn. p. 72.

**) Fuit Conſul Hafnienſis circa 1398 & 1428; *Orig. hafn.* p. 176. 195.

***) Supra p. 543. *Læthbro* cf. *Pontoppidan orig.* hafn. p. 195.

****) Obiit A. 1280.

†) De iſto vide ſupra p. 542. 544.

uerſarium faciendum per poſſeſſorem altaris ſancti Theobaldi.

XII. F. XVI. Kal. Nichomedis martyris. Octava Sancte Marie. Anno Domini MCCCXCIII. obiit *Andreas Petri* dictus *Holbek* *) qui habet anniuerſarium ſuum et ſue uxoris *Criſtine*, pro una taberna in vlteriori auſtrali angulo *pannicidarum***) ſita, quam inter viuos in capitulo hafnenſi conſtitutus pro XIIII. marcis puri argenti eccleſie beate virginis cum omni iure impignerauit et poſtmodum in exſtremis legauit, taliter quod ſi predicta taberna reſoluta fuerit, predicte XIIII. marce argenti in uſum cedant eccleſie, quam quidem tabernam pro nunc inhabitat quidam *Willelmus* dictus *ſiödere* (ſcödere?)

XVII. D. XII. Kal. Fauſte uirginis. Uigilia. Anno Domini M. CCC. L. obiit *katerina* uxor *Holrici* bone memorie, cuius anniuerſarium facere tenentur tutores eccleſie qui pro tempore fuerint, propter tabernas quas dedit eccleſie in quibus reſedit *Petrus* dictus *Wes****).

III. A. VIII. Kal. Tecle virginis.
Ob. Dominus *Jacobus* ſacerdos Dictus *Bakæ* (?) canonicus Hafn.
October.

II. D. IIII. Non. Marci et Marciani. Franciſci confeſſoris. Obiit Dominus *Johannes Vlffiorp* canonicus roſkildenſis qui contulit fabrice eccleſie unam curiam in *Nybola* ****), in cuius anniuerſario tutores qui pro tempore fuerint dabunt ..... denſis et pauperibus ſcolaribus unam marcam D....

IX. C. XVI. Kal. Florentii epiſcopi. Obiit Dominus *Sweno Øthensſon*†) (qvi) habet anniuerſarium per tutores eccleſie faciendum, pro fundo ſito apud *Nicholaum Grue* ad auſtrum in vico *laadhbroſtræde* de duobus ſolidis groſſorum.

D. XV. Kal. Luce euangeliſte. Anno Domini M. CCCC. obiit ſelicis memorie hujus eccleſie canonicus Dominus *Hannes Nicholai*, qui legavit altari ſancti Jacobi unam curiam in parochia ſancti Petri juxta pretorium ad partem aquilonarem, vna curia intermedia, ſitam, cuius anniuerſarium faciet Rector altaris predicti de duobus ſolidis groſſorum. Orate pro eo. De viuentium libro deleatur qui iſtud de hoc libro delere conatur.

XVII. E. XIIII. Kal. Januarii epiſcopi. Anno Domini M. CD. IX. craſtino ſancti Luce ewangeliſte obiit *Andreas Petri* inmediatus ſucceſſor preſcripti *Hans Nicolai* in prebenda, cuius anniuerſarium faciat poſſeſſor altaris ſancti Theobaldi de vno ſolido groſſi racione cuiusdem fundi in *latbroſtræde* quam emit *Jacobus Clementis* decanus hafnenſis, de quodam *Mathia Niælſſon* in *Halsnæs* ††) et poſtmodum contulit ad dictum altare, in remedium dicti *Andree* conſobrini ſui, cuius anime propicietur omnipotens Deus; qui quidem *Andreas* dedit capitulo hafnenſi notabiles et ſolempnes libros in iure canonico ſcilicet decretum, decretales, ſpeculum iudiciale et diſtinciones *bolyk* (?) in duobus voluminibus qui conſtabant

---

*) Forſan frater *Jacobi Petri* dicti *Holbek*, de qvo ſupra p. 540. Quidam *Andreas Holbek* fuit proconſul hafnienſis annis 1392-96; *Orig. Hafnienſes* p. 174.

**) Platea *Klæthæbodæ*; *Pontoppidan* Orig. Hafn. p. 193.

***) cf. ſupra p. 545.

****) Hodie *Nybölle* Par. *Smörum*.

†) Ejus mentio fit ſupra Tom. VII. p. 72.

††) Sine dubio peninſula hodie *Halsnes* dicta, in territorio Ströenſi, inter ſinum codanum et ſinum roſkildenſem ſita, parochias Melbye & Thorup complectens. Cfr. *Hals juxta Yſör*, in Libro cenſus Waldem. II. ſupra Tom VII. p. 530.

ſtabant *Andree Perſſon*, magnam ſummam pecunie ſub condicione et modo quod capitulum hafnenſe, omni anno die obitus ſui deberet facere anniuerſarium ſuum de quo eciam cogitet capitulum propter Deum, quia benefactoribus tenemur ad antidotum.

CIX. Kal. Columbani abbatis. Anno milleno triceno ſeptuageno *Woldmar* diceſſit..... quinto profeſto Criſpini*)

XIX. E. VII. Kal. Uedaſti et Amandi. *Johannæ* uxor *Morſeels* habet anniuerſarium per capitulum faciendum, pro fundo ſito in platea *Thyeskeemanegade* in quo reſidet *Wolder baaghere.*

A. IIII. Kal. Germani confeſſoris. Obiit uenerabilis memorie epiſcopus *Petrus* iſtius eccleſie fundator et canonicorum in eadem Deo et beate Uirgini ſeruientium pius inſtitutor. **)

XVI. B. III. Kal. Leonis pape. Anno Domini M. CCC. L. nono obiit felicis memorie Dominus *Willelmus* dictus *paruus* huius eccleſie canonicus, qui habet anniuerſarium per tutores eccleſie faciendum, racione curie ad partem orientalem a placito ſite, cuius anima in perpetua pace requieſcat.

V. C. II. Kal. Quintini Martyris. Uigilia. Anno Domini M. CCC. XXVIII. obiit *Martinus Nybagherœ*, qui contulit ad fabricam eccleſie unam curiam pro anniuerſario ſuo et dillecte uxoris ſue *Lucie.*

November habet dies. XXX. luna XXVIII.

II. F. III. non. Firmini epiſcopi. Commemoracio canonicorum|defunctorum *Hafnis* et cum eis fraternitatem habencium.

G. II. Non. Dunſtani epiſcopi. Obiit *Gertrudis* uxor quondam *Petri Eſkildſon*, que habet anniuerſarium per tutores eccleſie faciendum***).

B. VIII. Id. Uuinnoci abbatis.

Anno Domini M. CD. XVI. obiit Dominus *Johannes Drwcken*****) presbyter, qui habet anniuerſarium de curia ſita apud ſanctum Nicolaum et II. miſſas ad altare ſancte Margarete de eadem curia.

E. V. Id. Theodori martyris. Anno Domini M. CCC. LX. primo obiit felicis memorie Dominus *Abſalon* canonicus iſtius eccleſie, cuius anniuerſarium faciant tutores eccleſie cum tribus ſolidis groſſorum quorum duo ſolidi inter canonicos, ſex groſſi inter vicarios et reliqui ſex groſſi inter pauperes diuidantur racione bonorum in *Lugnetofte* †), nec non unius domus lapidee Hafnis a tabernis carnificum a parte aquilonari ſite, cuius precor anima ſit in numero ſaluandarum.

IIII. G. III. Id. Martini epiſcopi. Anno Domini M. CCC. LXX. quarto obiit felicis memorie Dominus *Nicholaus Jonſſen* canonicus huius eccleſie, cuius anniuerſarium agant tutores eccleſie predicte, racione unius curie, parte ab auſtrali platee *fabrorum* ſite, cuius anima in perpetua(pace?) requieſcat.

XVII. G. XIIII. Kl. Octaua ſancti Martini. Anno Dei M. CCC. XCII. obiit *Johanna Hennekes* que legavit eccleſie beate virginis domos conſtitutas in fundo in quo reſidebat apud plateam communem cimeterii ſancti Petri, pro quibus habetur anniuerſarium.

III.

*) Sine dubio *Waldemarus Chriſtophori filius* Rex Daniæ cfr. ſupra Tom. I p. 192. *Suhmii* Hiſt. Dan. XIV. p. 750. Is tamen non A. 1370 ſed A. 1375. diem obiit ſupremum.

**) Ex mente Langebekii *Petrus Sunonis*, qvi obiit A. 1214; vid. ſupra Tom. VI. p. 374; *Pontoppidan* orig. hafn. p. 39.

***) cfr. infra p. 549.

****) Plures, hujus nominis, gentes nobiles exſtitere; vid. *Danſk Adelslexicon* I. p. 124.

†) Lundtofte, Parochia Lyngbye.

III. D. X. Kal. Cecilie uirginis. Anno Domini M. CCC. XII. obiit ..... qui contulit ad fabricam ecclefie unam curiam pro qua tutores ecclefie *dabunt eis* qui anniuerfario ejus interfuerint vnam oram Den. annuatim.

XI. F. VIII. Kal. Crifogoni martyris. Obiit *Petrus Jenffen* de Ymm*ere* *) armiger, qui habet anniuerfarium pro una curia in parochia beate uirginis ..... curiam in qua *Tydemannus Lytkenborgh* quondam ciuis habitauit, fita. Quam predictam curiam cum litteris inde confectis idem *Petrus Jenffen* ecclefie uirginis... in remedium anime contulit et legauit, et remedium fue uxoris *Criftine*, quorum anime in pace requiefcant.

XIX. B. VII. Kal. Katerine uirginis. *Henricus Baghere* et uxor fua *Katherina* habent anniuerfarium pro curia fita ad orientem a fundo capituli hafnenfis, in qua refidet *Olaus Tulæffon* **) in parochia fancti Nicolai, quam curiam filius eorum Dominus *Gerardus* canonicus rofkildenfis contulit ecclefie hafnenfi.

VIII. B. V. Kal. Agricole uirginis. Obiit *Nicholaus* dictus *Herodes*..... vna cum uxore fua *Lucia*..... ecclefie..... contulit .....

— — — — — — — — — — — — — — — —

XVI. D. III. Kal. Saturnini martyris Uigilia. Anno Domini M. CCC. quinquagefimo primo obiit Dominus *Nicholaus Sygheri* canonicus hafnenfis pie memorie, qui contulit fabrice ecclefie curiam fuam fcolis contiguam, cuius anniuerfarium procurator fabrice habet facere annuatim de uno folido groffórum.

V. E. II. Kal. Andree Apoftoli. Obiit Dominus *Nicholaus* de *Brak* ***) decanus huius ecclefie, qui habet anniuerfarium per tutores ecclefie ex parte cuiusdam fundi prope *fkipare laur.* (*Laurentium*?) prope *magnum pontem* ****). December habet dies XXXI. Luna XXIX.

F. Kal. Decembris. Crifanti et Darie.

Anno Domini M. CDXX primo obiit *Katherina Wædekes* que habet anniuerfarium de duobus folidis groffórum per tutores annuatim faciendum, racione cuiusdam fundi in quo eft domus lapidea conftituta inter pannicidas ad auftrum et fiet eciam balneum animarum cum una lagena *cerevifie danice* per eosdem tutores.

C. Nonas. Palmarii martyris.

Obiit Dominus *Laurencius Hinrici* presbiter, altaris beate Cecilie quondam poffeffor, cuius anniuerfarium annuatim agant tutores ecclefie beate virginis, racione cuiusdam fundi quo quidam *Benedictus Wrahrad* dudum inhabitauit.

XV. G. V. Id. Eulalie uirginis. Obiit *Henricus* facerdos dictus *Baggæ* †), qui contulit huic ecclefie unam tabernam hafnis fitam pro anniuerfario fuo, ad cuius anniuerfarium dantur II marche per tutores ecclefie, canonicis duodecim ore, vicariis II. ore, pauperibus fcolaribus II. ore.

IX.

*) Legendum forfan *Ymmark* vel *Ymmathorp*; cfr. *Emdrup* in parochia Brönshöi.

**) *Olavus Tuleſön* Advocatus civilis Hafnienfis (*Byfoged*) ad. A. 1403, 1406; *Orig. Hafnienſes* p. 179.

***) Occurrit gens nobilis *de Brake* in *Danſk Adelslexicon* I. p. 76.

****) Forte *fummum pontem* o: Höybroe. cfr. *Origines Hafnienſis* p. 202.

†) Forfan ex gente nobili jam extincta, de qva vide *Danſk Adelslexicon* I. p. 23.

I. D. Idus Luciæ Virginis.

Nota: qvod ſub Anno Domini M. CCC. 1mo *Andreas Petri* dictus *Hollebech* coram Decano et cæteris Canonicis in Capitulo Hafnenſi conſtitutus, impigneravit eccleſiæ beatæ virginis ibidem unam tabernam in ultimo auſtrali angulo pannicidarum ſitam, pro XIIII. marchis puri cum omni jure qvod ſuper eandem tabernam habuit, nichil excepto, tali condicione, qvod tutores eccleſiæ jam moderni et ſucceſſores ſui unum anniverſarium ipſo *Andrea* et uxore ſua *Chriſtina* viventibus, pro duobus ſolidis groſſorum annuatim faciant celebrari inſuper in eodem die qvo ullus eorum moritur. Anniverſarium annuatim celebretur cum uno ſolido groſſ. hoc addito, ſi dicta taberna pro eadem ſumma pecuniæ fuerit reſoluta; extunc dictæ XIIII. marchæ in uſum eccleſiæ reſtituantur. (*Hæc in ipſo codice deleta ſunt*).

X. F. X. VIII. Kal. Aureliani epiſcopi.

Obiit *Petrus Eſkilſſen* qui pro anniverſariis, ſuo videlicet et uxoris ſue *Gertrudis*, contulit ad fabricam huius eccleſie vnam curiam a loco placiti ad auſtrum ſitam *)

G. XVII. Kal. Ualentini martyris.

Obiit Dominus *Esbernus* decanus **) qui habet anniverſarium pro fundo in *vico* beati *petri* ad occidentem ab eccleſia, quam tenet Dominus *Nicolaus Luberti* ***).

XIIII. D. XIII. Kal. Zenonis martyris. Uigiliæ.

Obiit Domina *Hildegund Gerez*, que habet anniverſarium pro taberna inter....

XI. G. X. Kal. Victorie uirginis.

Obiit *Gunild* uxor *Petri Bla*, que contulit huic eccleſie manſionem in *Herleue* †) et unam curiam hic in hafn.

---

*) cfr. ſupra p. 547.

**) *Eſbernus Jacobi*, e proſapia nobili, Decanus Hafnienſis inter A. 1380 & 1400. cfr. ſupra Tom. VII. p. 84.

***) Forſan *Nicolaus Lyberſeen*, Canonicus Hafnienſis, cujus mentio ſit in diplomate, 5to Nov. 1416.

†) *Herlöv*, parochia ejusdem nominis.

CCXLVII.

Faſti Necrologici Islandici.

Præfatio Johannis Finnæi.

Cum 1772 Holmiæ Svecorum in Regio Antiquitatum Archivo deprehendi *Necrologium Islando-Norvegicum*, qvod in *F. Johannæi Hiſt. Eccles. Islandiæ* Tom. I. p. 595 et in hac Collectione Tom. II. p. 502 ſqq prodiit, unicum illud, qvod in patria ſcriptum fuiſſet, ſupereſſe credidi; ſed fauſto omine hoc augurium fefellit, nam benevolentia harum rerum æſtimatoris peritiſſimi et eruditiſſimi, qviqve mihi idem eſt amiciſſimus, *Magni Ketelis filii* Regii Toparchæ Ditionis Dalenſis nactus ſum *Faſtos Islandicos Necrologicos* pergamenos, in qvibus hinc inde notantur dies emortuales celeberrimarum perſonarum, qvæ in Islandia ſeculo decimo tertio exeunte, et ſeqventis initio, deceſſerunt. Literarum forma aliiqve characteres diplomatici a manu *prima* et *ſecunda* ſcriptionem loqvuntur ſeculi decimi qvarti ineuntis, et materia ipſa evincit *Faſtos* hoſce, etiam qvoad illa, qvæ *manu ſecunda* ſcripta habentur, exaratos eſſe ſtatim poſt annum 1320 aut certe ante 1330, nam nullius poſt hunc annum defuncti, tam a *prima* qvam recentiore ſive *ſecunda* manu nomen commemoratur. Dictos qvinimo *Faſtos* primo ſcriptos eſſe ante 1274 probabile reddit omiſſio feſti *Coronæ ſpineæ Salvatoris* 5 id. Novembr. ad qvem diem in hiſce *Faſtis* legitur nomen *Theodori martyris*. Jam vero ex *Arna Biſkups Saga* et lectionario dicti feſti apud *Torfæum Hist. Norveg.* Part 4. p. 359 notum eſt eodem anno, partem, ut putabatur ſpineæ coronæ Chriſti in Norvegiam eſſe allatam, eiqve feſtum aſſignatum, qvod ſi *Faſti* recentiores fuiſſent tempore, qvo illud in leges relatum fuit, certe non omiſiſſent. Hinc et manus ſat antiqva, ſed prima recentior poſtea diei adſcripſit: *Feſtum Salvatoris*. Ut autem omiſſio hujus feſti tempus ſubmonet, ante qvod *Faſti prima* manu ſcripti elevari poſſunt, ita et omiſſio aliorum tempus monſtrat, infra qvod ſcriptio *manus ſecundæ* non eſt ſupprimenda, nam duo feſta Mariæ Virginis, qvæ Deipara Eccleſiaſticis ſcriptoribus audit, ſeqvioribus temporibus ſumma religione obſervata, hic deſiderantur, *Conceptionis* qvippe 6 *Id.* Decembris, qvod anno 1364 in dioeceſi Skalholtenſi, ſed 1375 ſuam in Holenſi ſolennitatem legibus ſtabilitam tandem nactum eſt, (*F. Johannæi Hiſtor. Eccl. Isl.* Tom. II. p. 116, 205, 212,) et *Viſitationis*, qvod ab Urbano VI. Pontifice Maximo ante annum 1389 inſtitutum, a Bonifacio autem IX. 1390 confirmatum, ſed tandem a Svenone Epiſcopo Skalholtenſi 1472 in Islandia celebrandum introducebatur; loc. cit. p. 486. Nec tamen ante annum 1314 *manu ſecunda* ſcripti ſunt ſæpe dicti *Faſti*, hoc enim anno feſtum Gudmundi Holenſis Epiſcopi ſolenniter celebrandum præcepit Audinus rufus Epiſcopus Holenſis loc. cit. Tom. I p. 360. Notari tamen meretur ſolius hujuſce Sancti nomen, addito etiam patris nomine, Islandico idiomate ſcribi, qvod arguit, vel ſcriptum eſſe anteqvam ſanctitas hujus divi publica authoritate recepta fuerit, aut certe a prima manu non eſſe exaratum, ſed poſtea a ſecunda manu additum, cum et notum ſit Gudmundi ſanctitatem tandem 1316, reliqvorum autem Thorlaci et Johannis ſeculo adhuc duodecimo publice cultam fuiſſe. Qvin et hi *Faſti* anno 1320 a *manu ſecunda* recentiores ſunt, cum in iisdem commemoretur feſtum translationis Johannis Epiſcopi Holenſis V. *Non.* Martii, qvod dicto anno idem Epiſcopus Audinus inter ſanctiſſima feſta retulit

tulit; loc. cit. p. 327. Ultimus defunctorum, qvi *ſecunda manu* in hiſce *Faſtis* adnotantur, eſt Arnius ſecundus Epiſcopus Skalholtenſis, qvi 21 Januarii 1320 deceſſit, unde ætas ſcriptionis, qvæ ſupra annotata eſt, evincitur. *Langebekius* ſupra Tom. II. pag. 503 miratus eſt in *Necrologio* iſto *Islando-Norvegico* non occurrere dies emortuales Sanctorum, qvibus patria erat Islandia, *Johannis* qvippe et *Gudmundi* Epiſcoporum Holenſium ac *Thorlaci* Skalholtenſis. Sed in cauſa videtur fuiſſe, qvod hi divi, propriis honorati feſtis, ad ſiniſtram inter ſanctos ſuo loco gauderent, cæteri autem defuncti ad tantum cæleſtis dignitatis gradum non evecti dextro faſtorum lateri adlinuntur; certe id in noſtris *Faſtis* ita obtinet, in ſanctorum enim ſerie heic recenſentur feſta 5. Non. Martii et IX. Calend. Maji *Johannis Epiſcopi* et *Confeſſoris*; XVII. Kal. Aprilis *Gudmundr Biſkup Arnaſon;* VI. Non. Julii *Ordinatio beati Thorlaci*; XIII. Kal. Auguſti et Non. Kal. Januar. *Thorlaci Epiſcopi Confeſſoris.* Qvæ feſta nos prudenter omiſimus. Faſti, qvos loqvimur, Necrologici continentur ſeptem foliis pergamenis, formæ maximæ, concinne ſcriptis, qvorum menſes ſinguli unicam paginam occupant; ſeptimum autem folium tabulam pro inveniendo feſto paſcali iſlandice *Talbyrding*, ſed in pagina averſa ſignum Chriſti crucifixi non inepte depictum exhibet. Nomina perſonarum *manu tertia* ſive *recentiſſima* adſcripta, ſeptem tantum occurrunt, a ſeqvioris ſeculi poſeſſoribus horum faſtorum adjecta ſunt; qvorum ultimum eſt anni 1433. Perſonæ autem omnes fere in his *Faſtis* recenſitæ maxime ſunt ex gente celebri Selardalenſi, qvæ in ramos, Hagenſem Bardaſtrandenſium et Eyrenſem Arnarfiördenſium, pluresque diffunditur; cum autem Selardalenſis illa familiam Oddenſem et Sturlungorum cognatione attingat, hæ qvoqve gentes ſimul ex *Faſtis* hiſce illuſtrantur, ut ex adjecta tabula genealogica patet, qvæ eos præſertim exhibet, qvi heic laudantur, cæteris, etſi viris ſat inclytis ob anguſtiam paginæ omiſſis. Hinc etiam patet *Faſtos* noſtros in qvadrante inſulæ occidentali, vernacula *á Veſtfiördum*, eſſe conſcriptos. Præter Faſtos ipſos et celebrium virorum dies emortuales, etiam hic inſerta eſt *manu qvarta* ad d. 13 Martii, haud omnino vulgaris obſervatio qvædam coæva meteorologica *), et præterea hinc inde occurrunt regulæ computi chronologici ſive Calendarii perpetui iſlandici, marginibus inprimis libri ſeculo jam proxime præterlapſo, *manu qvinta* adſcriptæ.

---

*) Anno Domini MDXXXVI þridia idus Marcii mánadar ſáuzu ſoddan teikn á himnenum ſem her epter ſtendr ſkrifat: "at einn hringr var i kringum all loptid, oc i honum voru ſio teikn ſitt i "hverre áttenne; en þar uppi yfir voru tveir hringar, oc enn þridi um Solina, oc voru aller med "þeirre mynd ſem regnbogi þá hann er ſem ſkæraztr; horfdu ſaman bugernir, enn oddarnar til "nordrs oc ſudrs, oc var altt loptid med mikille birte; oll teiknin voro ſuo til at ſiá ſem ulfr "edr gill edr enn meire birte, enn þau voru þriu edr fiögur ſem afbáru eitt i auſtri ſem Andres- "kroſs, oc þau II. er næſt voru ſólenni" etc. i. e. *Anno Domini* 1536 3. *idus Martii portenta, qvæ jam deſcribentur, in cœlo viſa ſunt. Totum cœlum circulus qvidam cingebat, in qvo ſeptem portenta in ſingulis mundi plagis ſingula apparuere, ſupra qvem circulum duo alii erant, tertius vero circa ſolem, qvi omnes eadem ſpecie erant ac iris, ubi qvam maxime lucida eſt. Curvitates ſibi invicem erant oppoſitæ, cornua autem ſeptentrionem et auſtrum ſpectabant; totum cœlum magno candore fulgebat, et omnia hæc portenta viſu erant ſimilia, aut etiam fulgentiora parheliis veſpertino tempore, ſolem uno præcedente, altero ſeqvente. Erant autem illa portenta reliqvis exſtantiora tria aut qvatuor, unum eorum in oriente figura crucis Andreæ, et duo qvæ ſoli erant proxima &c.*

Januarius.

Kal. Þordís Gellisdótter. 1. *Thordiſa Gelleris filia.* *)
IV. *Id.* Eyulfr pr. Hallzſon. 10. *Ejulfus ſacerdos Halli fil.* **)
II. *Id.* Gizur jarl Þoruallzſon. 12. *Comes Giſſur Thorvaldi f.* ***)
XIX. *Kal.* Febr. Oddr Þorarinſſon. 14. *Oddus Thorarini filius.* ****)

XII.

---

*) Viri nobiliſſimi Sturlæ Hvammenſis ex filia Vigdiſa neptis, ſed uxor Gislii Marci filii de Raudaſando, cujus anniverſaria infra ad 15 Junii notantur. vid. *Sturlungaſaga* edr Islendinga Saga hin mikla (Hafniæ 1817–20, 4to), Tom. III. p. 9) cui Chronico omnia in his annotationibus debentur, qvæ ex nullo alio fonte laudato deſumta ſunt.

**) Hujus pater Hallus filius Rafni, nepos Ulfhedinis Nomophylacis, pronepos Gunnaris etiam Nomophylacis, prædium inclytum Greniadarſtadas inhabitavit; Abbas poſtea Thveraaenſis; *F. Johannæi Hiſtor. Eccleſ. Island.* Tom. IV. p. 42. Noſtri Ejulfi multa in iſtorum temporum hiſtoriis mentio fit. In matrimonio habuit Gudrunam Olai filiam, viri proſapiæ ſplendore et ſui temporis honoratiſſimi Thorſteini Ranglati ex filio neptim. Tanti nominis erat Ejulfus, ut Gudmundus Electus Epiſcopus Holenſis, 1201 cum officium Epiſcopale detrectaret, aut detrectare videri vellet, hunc, ut oneri parem, ad dignitatem iſtam acceptandam ſollicitaverit.

***) Hujus vita ſi ſcribenda foret juſti voluminis materia præſto eſt. Reges Norvegiæ conſangvinitate tangebat, et familiæ Haukadalenſi in Iſlandia et nobiliſſimæ & potentiſſimæ originem debuit, Jonæ præterea Lopti filii Oddenſis (cujus infra mentio ad Kal. Novembr.) ex filia pronepos. Natus 1208, 1224 uxorem duxit, ſed omine non fauſto, Ingebiörgam filiam viri inclytiſſimi Snorronis Sturlæi. 1229 in Norvegiam transfretavit, dapiferi dignitate ibidem ornatus; 1242 iterum in Norvegiam profectus eſt, poſt biennium redux. Tertia vice 1246, Norvegiam petiit, ubi uni et alteræ provinciæ gubernandæ ſatrapa præficiebatur, ſed ſua conditione non contentus, et ægre ferens æmulum ſuum Thordum Kakale, (cujus anniverſaria infra ad diem 11 Octobr. notantur), ſumma rerum in Iſlandia potiri, Romam iter religioſum ſuſcepit. 1251 ex Norvegia in Iſlandiam iter facturus ſolvit, ſed ventorum vi repulſus naufragium paſſus, in Norvegia hyemavit. Anno ſeqventi in Iſlandiam venit, ditionem qvam antea jure abſoluto et hæreditario tenuerat, jam feudi nomine ſibi a Rege collatam gubernandam aſſumſit. 1254 in Norvegiam tranſiit, ubi qvadriennium hac vice hæſit, et 1258 ſolennibus ceremoniis Comitis encomio et dignitate ornatus, Iſlandiæ primus ſatrapa a Rege crearetur; unde paulo poſt ſolvens, ad Hebudes delatus, ibidem hyemavit, et 1259 in Iſlandiam pervenit. 1267 monaſticæ vitæ nomen dedit, et Cænobium Videyenſe ingreſſus, ibidem 1268 vitam cum morte commutavit, vir ſimulandi & diſſimulandi peritiſſimus. Ejus in patria actis heic recenſendis ſuperſedere brevitatis ſtudium monet.

****) Vide *Necrologium Iſlando-Norvegicum* ſupra Tom. II p. 504. Jonæ Sigmundini, viri ſuo ætatis inclytiſſimi (vid. infra ad d. 14 Julii) ex filio nepos, prædium Valthiofſtadenſe hæreditate ſibi relictum tenuit. 1251 unacum fratre Thorvardo et pluribus exilii reus peragitur, eoqvod cum Sæmundo et Gudmundo Ormi Svinafellenſis filiis (vid. infra ad 4 Octobr.) ſuis vero patruelibus, de terminis provinciarum contenderant, Oddus vero Gudmundum captivum duxerat, qvæ tamen exilii poena poſtea laudo ejusdem Sæmundi abolita fuit. 1254 poſt incendium Flugumyrenſe (infra d. 22 Octobr.), cum frater Thorvardus partes incendiariorum ſeqveretur, noſter Giſſuri Thorvaldi filio mox laudato adhæſit eiqve operam ſuam ita probavit, ut Giſſur hoc eodem anno, Norvegiam petens, Oddo provinciam Skagfiördenſem, litesqve, qvibus erat implicatus,

I.

Genealogia *Selardalenſium,*

qvatenus inſervit illustrationi *Faſtorum Necrologicorum Iſlandicorum.*



ad Pag. 552.

II.

Genealogia *Familiæ Floſenſis,*

qvatenus inſervit illuſtrationi *Faſtorum Necrologicorum Iſlandicorum.*



ad Pag. 552.


KOLBEINN.
GUDRUNA
SÆMUNDUS POLYHISTOR.
LOPTUS
THORA filia Regis MAGNI
NUDIPEDIS d. 24 Auguſti.
JONAS ſive JOHANNES,
1 Novembris.
ux.
SOLVEIGA,
Mar. GUDMUNDUS GRIS.
THORLACUS.
THORA.
THORA.
VALGERDA,
Mar. OLAUS.
HELGA.
Mar. KOLBEINN
juvenis (UNGI),
d. 22 Julii.
ERLENDUS robuſtus.
HAUKUS Nomophylax.
THORA
Mar. THORVALDUS.
GISSUR Comes,
d. 12 Januari.
ux. GROA ALFIF.
d. 22 Octobr.
HALLUS &c.
d. 22 Octobr.
ARNAS Epiſcopus
Scalholtenſis,
d. 17 April.
ODDUS,
d. 14 Januar.
ux. RANDALINA
d. 12 Novembr.



III.

Genealogia *Sturlidarum*,

qvatenus inſervit *Faſtis Necrologicis Iſlandicis* illuſtrandis.



XII. *Kal.* Febr. Arne Biſcup Helgaſon. 21. *Arnas Epiſcopus Helgii filius.* *)
IX. *Kal.* Febr. Börkr Grims ſon. 24. *Börkus Grimi filius.* **)
V. - - Solveig Kráksdótter. 28. *Solveiga Kraki filia.* ***)

Februarius.

Kal. Magnus Brandzſon. 1. *Magnus Brandi filius.* ****)
O. Jörundr Biſcup Þorſteinsſon. *Obiit Jörundus Epiſcopus Thorſteinis filius* †)
VII. *id.* Herdis Snorradótter. 7. *Herdiſa Snorrii filia* ††)
XV. *Kal. Marcii.* O. Hr. Gudmundr lögmadr. 15. *Obiit Dominus Gudmundus Nomophylax.* †††)

VII.

---

tus, ad finem perducendas, concrederet. Hoc titulo bona Thorſteinis Jonæ Hvammenſis, qvem Giſſur exilii poena muletaverat, Oddus publicavit, cui cauſæ Henricus Epiſcopus ſe ingerens, noſtrum, ac ſi raptor eſſet, excommunicavit. Oddus vero abſolutionem fruſtra ſollicitans Epiſcopum captivum abduxit (*Sturlungaſaga*, cfr. *Johannæi Hiſtor. Eccleſ. Iſland.* Tom. I p. 365 ſq.) unde Oddus et alteram eamqve iteratam excommunicationis ſententiam incucurrit, anno vero ſeqventi 1255 ab Ejulfo dicti Thorſteinis filio & Rafne Oddi filio (infra 22 Novembr.) Geldingaholti unacum 7 aſſeclis occiditur; *Annales Regii* ſupra Tom. III. p. 100; *Annales Reſeniani* MSS. et *Flateyenſes* MSS. ut et *Skalholtenſes* tam *antiqviores* MSS. qvam ſic dicti *Breviores* MSS. Corpus extincti, duplici qvippe excommunicatione innodati profano loco ſepeliebatur, ſed cum Svarthöfdius Dugfuſis filius, vir primis ſuæ ætatis adnumerandus, (vide infra 13 Decembr.) morienti præſens teſtis eſſet, Oddum moribundum abſolutionem poſtulaſſe, Epiſcopi Jörundus Holenſis et Arnas Skalholtenſis, oſſa ejus 1279 abſolverunt, qva de re prolixe *Arna Biſkupsſaga* (*Sturlunga* IV. p. 34-40); *Annales Skalholtenſes*, *Flateyenſes* et *Regii* ſupra Tom. III. p. 116. Genealogiam noſtri exhibet *Sturlungaſaga* Tom. I. p. 51. In matrimonio habuit Randalinam Philippi filiam, de qva infra ad 12 Novembr.

*) Nomen in exemplari ſcriptum *manu recentiori.* Hic epiſcopus Skalholtenſis ſedit ab anno 1303 ad 1320, qvo obiit. Ejus vitam videſis *F. Johannæi Hiſtor. Eccleſ. Iſland.* Tom. II. p. 55 ſqq.

**) Noſtri Genealogiam pertexuit ejusdem Proavi *Thorgilſis Orrabeinis privigni vita* MSS. & *Landnámabók* Edit. Havn. libr. IV. Cap. 1 p. 277 libr. V. Cap. 9 p. 355, Cap. 13 p. 375, ut et Append. p. 384, conf. et *Arna Biſkupsſaga* (*Sturlunga* IV. p. 43). Filiam habuit Ragnhildam, cujus anniverſaria infra ad diem 11 Novembr. Börkus obiit 1222 teſtantibus id *Annalibus Skalholtinis*, *Flateyenſibus* et *Regiis* ſupra Tom. III. p. 84.

***) Cujusnam Kraki filia fuerit, non liqvet; interim conferantur qvæ ad diem 13. Junii infra dicentur.

****) *Manu recentiore.* Fuit hic filius Brandi, cujus mentio injicitur infra ad diem 24 Maji et ſeculo decimo qvarto floruit; *Torfæi Hiſtor. Norveg.* Part IV. p. 480. Ex hoc celebris Svalbardenſium familia deſcendit, ſed Brandi majorum ſeries, qvæ ad finem *Annalium Biörnonis* de Skardſá Tom. II. p. 275 exſtat certe manca eſt.

†) Epiſcopus Holenſis ab anno 1267 ad annum 1313 qvo obiit. Ejus vita habetur in *F. Johannæi Hiſtor. Eccleſ. Iſland.* Tom. II. p. 141 ſqq. In die qvoqve emortuali conſentiunt *Annal. Vetuſtiſſ.* ſupra Tom II. p. 199.

††) In exemplari prior vox *Herdis* manu recentiori ſive *ſecunda*, poſterior autem *Snorradótter* recentiſſima ſive *manu tertia* exarata legitur.

†††) Manu recentiori, ſed a cæteris omnibus diverſa. Annales hunc Sigurdi filium appellant et 1302, qvo anno ex Norvegia in Iſlandiam transfretavit, officium

VII. Gudmundr Þorſteinſon. 23. *Gudmundus Thorſteinis filius.*
II. Gisle Einarſon. 28. *Giſlius Einaris filius.*

Martius.

VI. *Non.* Kriſtin Philippusdótter. 2. *Chriſtina Philippi filia.* *)
IV. *id.* Gudmundr Steinmódarſon. 12. *Gudmundus Steinmodi filius.* **)
XIV. Kal. April. Kriſtoforus Vilhialmsſon. 19. *Chriſtophorus Vilhelmi filius.* ***)
X. Halla Floſadótter. 23. *Halla Floſii filia.* ****)
V. Eindriþi Sveinbiarnarſon. 28. *Indridius Sveinbiörnis filius.* †)

Aprilis.

Kal. Þóra Ormsdótter. 1. *Thora Ormi filia* ††)

Non.

Nomophylacis geſſiſſe; vid. *Annales Holenſes, Flateyenſes, Skalholtinos antiqviores* et *Breviores* et *Regios* ſupra Tom. III. p. 125. Ejus ſententia judicialis de terminis litoralibus inter Hornafiördum et Hiörleifshöfdum adhuc exſtat, unde apparet illum qvartæ orientalis jurisdictionem ſupremam geſſiſſe. Anno 1321 iterum Nomophylacis munere fungebatur. Videtur fuiſſe filius Sigurdi de Hlíd, cujus in *Laurentii Biſkupsſaga* MSS. et *Arna Biſkupsſaga* mentio fit haud incelebris; Nam *Annales Flateyenſes* anno 1316 reditum Domini Gudmundi de Hlida recenſent. Hoc etiam anno noſter Eqvitis dignitate a Rege Haqvino Magni filio ornatus eſt. Filium habuit Thordum, qvi circa annum 1313 in Cænobio Thingeyrenſi, Laurentii poſtmodum Epiſcopi Holenſis, diſcipulus fuit, et cujus in *Laurentii Biſkupsſaga* crebra fit mentio.

*) Qvod hæc fuerit ſoror Ingigerdæ infra ad d. 8 Aug. commemorandæ vero ſimile eſt, nam credere eam fuiſſe Chriſtinam illam Philippi filiam, cujus nuptias freqventiſſimas frater Giſlius Hagæ Bardaſtrandenſium anno 1330 maxima pompa et apparatu celebravit, manus Faſtorum noſtrorum antiqva diſſvadet; vid. *Annales Flateyenſes.*

**) Suſpicor hunc eſſe eundem ac Thorvaldum Steinmodi filium, qvem *Annales Vetuſtiſſimi* ſupra Tom. II. p. 195 anno 1285 Non. Febr. cum ſociis ſubmerſum fuiſſe teſtantur. Si enim pro Thorvaldo Gudmundum, pro nonis *idus* ſubſtituas, cætera conſentiunt.

***) Ratio temporis non obſtat, qvin ſtatuatur fuiſſe filius Vilhelmi filii Sæmundi Oddenſis (d. 7 Novembr.) denati 1273 (*Arna Biſkupsſaga, Sturlunga* IV. p. 21); cum vero de iſtius Vilhelmi liberis in ſcriptis coævis altum ſit ſilentium, videtur noſter paternum genus e Norvegia traxiſſe, ſed maternum prolixe recenſet *Landnamabók* Edit. Havn. pagg. 277, 346. 355. 375. 384. Anno 1292 e Norvegia in Islandiam advenit, nobilium titulo ornatus, ſimulqve mandata regia de præbendis laicis cedendis attulit, qvod novum erat hujus prolixæ litis claſſicum; *Annal: Flateyenſes, Regii* ſupra Tom: III p. 120. 1295 iterum in Norvegiam trajecit loc cit: pag. 121. Anno 1312 obiit; vide *Annales Skalholtinos* & *Flateyenſes, Annales Vetuſtiſſimos* ſupra Tom. II. p. 199 ut et *Regios* ſupra Tom. III pag. 129. Mater illi erat Halla Floſii filia mox commemoranda, et filia Halla ad d. 12. Julii nominanda. Videtur etiam Sigismundus Chriſtophori filius, qvi 1336 ſubmerſus periiſſe legitur hujus filius fuiſſe; *Fragment. Annal.* inter Bibliothecæ A. Magnæanæ Mſſta in qvarto No. 423.

****) Mater mox nominati Chriſtophori, ſed filia Floſii ſacerdotis Biarnii filii, cujus anniverſaria d. 9 Octobr. occurrunt.

†) Certe ad familiam Rafnſeyrenſem referendus, in qva nomen virorum *Sveinbiörn* fuit freqventiſſimum; *Rafnsſaga Sveinbiarnarſonar* MSS. Vid. Genealog. I.

††) Filia Ormi Svinafellenſis (filii Jonæ Sigmundini), ſed mariti Alfeidæ Nialis filiæ infra ad diem 14 Julii et 4 Octobr. commemorandorum. Thora hæc uxor erat

Non. Andres Ingimundarſon.
VI. *id.* Þordis Sveinbiarnardótter.
III. Olafr Magnusſon.
XVIII. *Kal.* Maji. Halldor Bondi Önundarſon.
XV. *Kal.* Maji. Arne Biſkup Þorláksſon. Gudmundr Kráksſon.
IV. *Kal.* Maji. Snorri Ingimundarſon. Snörtr Thomasſon.
5. *Andreas Ingemundi filius* *)
8. *Thordiſa Sveinbiörnis filia* **)
11. *Olaus Magni filius.* ***)
14. *Halthor vir magni nominis Anundi filius.* ****)
17. *Arnas Epiſcopus Thorlaci filius.* †) *Gudmundus Kraki filius.* ††)
28. *Snorrius Ingemundi filius.* †††) *Snörtus Thomæ filius.* ††††)

Majus.

Non. Thomas Preſtr Þorarinsſon.
7. *Thomas Sacerdos Thorarinis filius* †††††).

VIII.

erat Kraki Thomæ filii, cujus Anniverſaria infra ad d. 13 Junii notabitur; conf. *Sturlungaſaga* Tom. I. p. 51.

*) Frater forſan Snorrii, cujus infra ad d. 28 Aprilis mentio fiet.

**) Ex filio neptis Bardi nigri, qvi conditor erat familiæ celebris Selardalenſium, ſoror Rafnis Sveinbiörnidæ, qvi anno 1213 a Thorvaldo Vatnsfiordenſi perfidioſe occiſus fuit, de qvo prolixa ſatis hiſtoria *Rafns Sveinbiarnarſonarſaga* luculenter ſcripta exſtat. Thordiſa hæc uxor erat Brandi, qvorum filia Margretha anno 1242 nupſit magni nominis fortiqve viro Thordo Biarnii filio.

***) Sturlæ Thordæi, dicti Hvammenſis ex filia Vigdiſa, adeoqve et Snorronis Sturlæi ex ſorore nepos. Videtur unus idemqve eſſe ac Olaus ſacerdos Magni filius, qvem Hamundus, Narfius et Skumus (aliud exemplar habet; Hamundus et Sturla) anno 1284 præbenda Gardenſi expulerunt; *Arna Biſkupsſaga* p. 64, et cujus obitum anno ſeqventi eadem hiſtoria refert, p. 84.

****) *Manu recentiſſima.* Niſi me memoria fallit, ejus nomen in diplomatibus ſeculi decimi qvinti in qvarta Occidentali exaratis, plus una vici legi.

†) Communiter dictus *Stada-Arne* a prolixa de jure præbendarum lite ſic cognominatus, filius Thorlaci Gudmundi filii, cujus nomen d. 11 Julii occurrit. Noſter erat Epiſcopus Skalholtenſis ab anno 1269 ad 1298, qvo obiit. Vita ejus islandice ſcripta coæva exſtat, cujus tamen pars poſterior ætatem non tulit. Latino autem idiomate luculenter exarata habetur in *F. Johannæi Hiſtor. Eccleſ. Island.* Tom. 11 pag. 1 *ſqq* conf. & *Necrologium Islando-Norvegic.* ſupra Tom. 11 pag. 512, ubi forſan intelligendus Arnas munificus Olai filius, qvi anno 1428 obiiſſe videtur.

††) Kraki Thomæi, infra d. 13 Junii commemorandi filius. Fide *Annalium Skalholtenſium* obiit anno 1310. In exemplari nomen ejus ſcriptum habetur manu recentiori ſive ſecunda.

†††) Anno 1284 unacum Paulo et Lopto Ketilli filiis præbendam Hytardal occupavit, jure qvippe hæreditatis prædium ſuam poſſeſſionem eſſe dictitabant (*Arna Biſkupsſaga*, pag. 64,); qvare ſacerdos Jonas Hott eodem anno Snorrium in comitiis univerſalibns, qvod unacum Ketele Ketelis filio, armenta et multas pecudes ſibi ademiſſet, inſimulavit; ibid. Cap. 42. Anno 1296 Tiörfium Sacerdotem, et 1297 Thorſteinem filium Sigurdi Blot ſpoliari fecit; loc. cit. 1299 iterum in Norvegiam trajecit; *Annales Flateyenſes.* Sed anno 1301 obiit, fide *Annalium Flateyenſium*, *Vetuſtiſſimorum* ſupra Tom. 11 pag. 197. et *Regiorum* Tom. III. pag. 124.

††††) Filius Thomæ Thorarinis filii mox commemorandi. Genealogiam pertexit *Sturlungaſaga* Tom. I. pag. 51. III. p.27, hujusqve patrui ejusdem nominis Snörti Thorarinis filii mentionem facit libr. VIII. Cap. 12 (juxta apographum *Joh. Finnæi*; in editione hafnienſi non exſtat).

†††††) Bardi nigri, qvem antea laudavimus, abnepos, adeoqve Rafnis Sveinbiornidæ cognatus et fidus Achates. Mater Thomæ noſtri erat Ragneida filia Aro-

VIII. *id.* Hakon Konungr Magnusſon.
VII. - Magnus Rex Hakonarſon.
VII. - Þorarin diacn Sueinsſon.
IV. - Þordur Narſaſon.

8. *Haqvinus Rex Magni filius.* *)
9. *Magnus Rex Haqvini filius.* **)
10. *Thorarin Diaconus Sveinis filius.* ***)
12. *Thordus Narfii filius.* ****)

XVI.

---

nis, tanti nominis virago, ut filii, cætera inclytiſſimi, in hiſtoriis iſtius ævi communiter *Ragneidarſyner*, et a prædio, qvod mater incoluit, *Seldœler* ſive *Selardalenſes* audiant. Prima noſtri mentio, qvæ jam mentem ſubit, eſt 1202, cum comes Rafnis Sveinbiörnidæ Gudmundum Electum Holenſem in Norvegiam deduceret, qvin et ex hujus Thomæ relatione hiſtoria ea narrat, qvæ de iſto itinere nota ſunt; *Rafnsſaga Sveinbiarnarſonar* MSS. Circa 1208 cum idem Rafn Gardis in dictione Dyrafiördenſi per dispoſitos ab utroqve latere armatos Thorvaldum Vatnsfiördenſem accedere, et hujus arbitrio ſe committere, cogeretur, noſter ei comes aderat; loc. cit. et *Sturlungaſaga* Tom. II. p. 23. Altera vice 1210, cum idem Thorvaldus prædium Rafnis Eyram armatis cinxerat, et in eo eſſet, ut illud unacum incolis flammis daret, noſter accerſitus auxilia mature adduxit; locc. citt. 1211 cum Thorvaldus Rafnem adhuc impeteret, hic et Thomas munimentum qvod Rafn exſtruxerat, pridie feſti Jacobi Apoſtoli defenderunt. Et 1213 inſtante incendio Eyrenſi et cæde Rafnis, noſter per ſomnum bis ſibi videre viſus eſt martyriſationem S. Andreæ Apoſtoli, qvem ſcilicet Rafn diligentiſſime coluerat. 1242 Thordum Sighvati filium (vid. infra 11 Octobr.) benigne excepit, habuit enim in matrimonio dicti Thordi amitam Hallam Thordi Sturlæi filiam; *Sturlungaſaga* I. p. 52, ubi author noſtrum appellat virum *bonum* et *nobilem*. Ex multis ejus liberis *Faſti* noſtri nominant Audunem d. 20. Julii, Krakum 13. Juni, Snörtum 18. April, et Gudrunam 28. Novembr; conf. *Sturlungaſaga*.

*) Regis Magni mox nominandi filius coævis *Hâleggr*, ſeqviori ſeculo *Sanctus* appellatus. Natus 1270, Rex Norvegiæ factus 1299, denatus 1319; vide *Torfæi Hiſt. Norv. Part* IV. Libr 8. p. 450; *Suhmii Hiſt. Dan.* XI. p. 450.

**) Regis Haqvini communiter dicti *Grandævi* filius, natus 1238, Rex coronatus 1261, ſed 1263 regnare cæpit, denatus 1280. Vid. *Necrologium Islando-Norvegicum* ſupra Tom. II. p. 510. *Torfæi Hiſt. Norv. Part* IV. Libr V. p. 367. *Suhmii Hiſt. Dan.* X. p. 813.

***) *Manu ſecunda.* Rafnis Sveinbiörnidæ, qvem plus ſimplici vice laudavimus, ex filia Thurida nepos. Hic anno 1224 unacum Helgio fratre et avunculis filiis Rafnis inter aſſeclas Thordi Sturlæi comitiis univerſalibus interfuit (*Sturlungaſaga* Tom. II. p. 82.) poſtea unacum Rafnidis tutelæ Sturlæ Sighvati filii, (vid. infra ad d. 21. Aug.) ſe commiſit, qvocum noſter anno 1238 in prælio Örlygſtadenſi Sturlæ fatali, hujus lateris individuſus comes acriter pugnavit. Finito prælio, Giſur Thorvaldi filius, (de qvo ſupra ad diem 12 Januarii) victor, noſtro, utpote uxoris Groæ conſangvineo, vitam et incolumitatem addixit. Thorarinn exinde amici ſui Sturlæ, hujusque patris Sighvati in prælio cæſorum corpora abluit, et pannis curatiſſime inſuit, loc. cit. Tom. II. p. 222. Anno ſeqventi ejusdem Sturlæ filium Jonam in Norvegiam deduxit, l. c. p. 234. Ex hoc tempore familiæ amici defuncti fidiſſimus adhæſit, unde et 1257 poſtqvam Thorgils Skardius in gratiam patrui Sturlæ Thordæi Rafnem Oddi, et Asgrimum Thorſteinis Saudafello dispulerat, noſter mediatoris partes in ſe ſuſcepit, ac arbiter cauſæ ab utraqve parte electus, pacem et concordiam reſtituit; l. c. Tom. III. p. 225–26.

****) *Manu ſecunda.* Ex celeberrimis Skardenſi et Kolbeinſtadenſi familiis oriundus. 1293 cum fratre Thorlaco poſtea Nomophylace peregre profectum teſtantur *Annales Plateyenſes*, obiiſſe autem anno 1308; qvibuscum faciunt *Annales Vetuſtiſſimi* ſupra Tom. II. p. 199, qvi tamen noſtrum 4 idus *Martii* deceſſiſſe ſtatuunt; ubi tamen ſine dubio Maji legendum eſt.

XVI. *Kal. Junii.* O. SigurdrSighvatzſon.
XI. - - Einar Hallzſon.
IX. - - O. Brandr bóndi Eiriksſon.
VIII. *Kal. Junii.* Þorſteinn Þorþarſon.
VII. - - BrandrBiſkupJonsſon.
Magnus Preſtr Halldorsſon.
Grímr Vikarsſon.
III. *Kal. Jun.* Þordr Rafnsſon.
Biörn Ranaſon cum ſ.

17. *Obüt Sigurdus Sighvati filius.* *)
22. *Einar Halli filius.* **)
24. *Obüt Brandus vir magni nominis, Erici filius.* ***)
25. *Thorſteinn Thordi filius.*
26. *Brandus Epiſcopus Jonæ filius.* ****)
— *Magnus ſacerdos, Haltoris filius.*
— *Grímus Vikaris filius.* †)
30. *Thordus Rafnis filius.* ††)
Biörn filius Ranii cum ſociis. †††)

Junius.

Idib. Grimr Gudmundarſon.
Krákr Thomaſon.

13. *Grimus Gudmundi filius.*
Krakus Thomæ filius. ††††)

XVII.

---

*) Prior vox *manu antiqviſſima*, poſterior *recentiori* et ſupra lineam exarata eſt. Biarnii ſacerdotis filii Biarnii (de qvo infra ad d. 29. Junii), ex filia Helga Nepos. Genealogiam exhibent *Brodd-Helgaſaga* MSS. alias dicta *Vopnfirdingaſaga* et *Landnámabók* Part IV. Cap. I. p. 277, ubi tamen loco poſteriore, per mendum omnibus exemplaribus commune, appellatur *Sigrida* Sighvati *filia.*

**) Num hic ſit ille Einar Halli filius, vir magni nominis Kolbeinis Arnoris filii (vide infra d. 22. Julii) fidiſſimus aſſecla, qvi 1243 prædium Gilia inhabitavit, et cui aſſeclæ Thordi Kakalii, (de qvo infra ad diem 21. Octobr.) manum amputavere, dubitatur. *Sturl. S.* III. p. 38-40.

***) *Manu recentiſſima* ſive *tertia.* Vide qvæ de hujus filio Magno ſupra ad Cal. Februarii notata ſunt.

****) Jonæ Sigmundini (de qvo infra ad diem 14. Julii) filius, cænobii Verenſis ab anno 1247 ad 1263 Abbas, exinde Epiſcopus Holenſis, obiit 1264. Vitam ejus vide in *F. Johannæi Hiſtor. Eccleſ. Iſland.* Tom. I. p. 368. Tom. IV. p. 58.

†) Rafnis Sveinbiörnidæ ex filia nepos; *Rafnſaga Sveinbiarnarſonar.* MSS. Patris Vikaris ad annum 1235 mentionem injicit *Sturlungaſaga* Tom. II. p. 166.

††) Vide *Necrologium Iſlando-Norvegicum* ſupra Tom. II. pag. 510. *Annales Flateyenſes* et *Vetuſtiſſimi* ſupra Tom. II. pag. 194 in anno 1277 conſentiunt, qvo noſter ſubmerſus perierit; illi id IV. Cal. Junii cum decem comitibus, hi III. Cal. Junii cum undecim comitibus accidiſſe ſtatuunt.

†††) Videtur fuiſſe viri fortiſſimi Ranii Kodranis, ſivi Conradi, qvi 1254 Grimſeyæ occubuit, filius. Noſter anno 1264 in familia Comitis Giſſuris Thorvaldini (de qvo ſupra ad d. 12. Jan.) degebat, ejusqve inter primos aſſeclas, numerandus, expeditioni interfuit, qva Thordum Andreæ infra d. 27. Auguſti commemorandum, e medio ſuſtulit; *Sturlungaſaga* III. p. 313. 318.

††††) *Manu ſecunda;* Thomæ Thorarinis, qvem ſupra ad diem 7. Maji laudavimus, filius in matrimonio habuit Thoram Ormi Svinafellenſis filiam, cujus anniverſaria dies Calend. April. ſupra notata eſt; *Sturlungaſaga* I. p. 51. III. p. 27. Fide *Annalium Flateyenſium* Noſter obiit anno 1303. Hujus liberi Thomas d. 25. Octobris, Gudmundus die 17. April. et Solveiga 28. Jan. in hocce *Necrologio* laudantur. Notari præterea hic merentur: 1) hujus patruus Krakus Thorarinis filius, qvi teſte *Rafnſaga Sveinbiarnarſonar* interfuit conventui pacificatorio, in qvo Rafn Sveinbiornides Haukabergi de cæde Marci Gislii filii Raudaſandenſis 1198 egit. 2) Krakus laudati Rafnis Sveinbiörnidæ filius, qvi

1238

XVII. *Kal. Jul.* Þordís Floſadótter. 15. *Thordiſa Floſii filia* *)
Gisle Marcuſſon. *Giſlius Marci filius.* **)

XIII.

1238 in prælio Örlygſtadenſi cecidit loc. cit. et *Sturlungaſaga* II. p. 225 3) Krakus Sveinbiörnis Sudvikenſis filius, Erici Vatnsfiördenſis Eqvitis frater; *Rafnsſaga Sveinbiarnarſonar.* Hujus Kraki filius Sigmundus Anno 1339 menſæ aſſidens, inter prandium, cultro ictus cecidit; *Fragment. Annal.* in Bibliotheca Arna-Magnæana No. 423, in qvarto.

*) Filia Floſii ſacerdotis, cujus nomen infra ad d. 9. Octobr. legitur, ſed uxor Philippi Sæmundini, cujus obitus ad diem 25. Septembr. notabitur. Horum filiarum Ingigerdæ dies anniverſarii 8. Auguſti, et Randalinæ d. 12. Novembr. occurrent.

**) Viro inter Veſtfiördenſes magni nominis Marco Giſlii filio Raudaſandenſi natus. Marci cædes ad annum 1196 ab *Annalibus Skalholtenſibus, Regiis* ſupra Tom. III. p. 71, *Sturlungaſaga* I. p. 197 et pluribus refertur, qvo e medio ſublato, Noſter ſub tutela fratris natu majoris Lopti vixit. Loptus iſte vir erat turbulenti ingenii, violentus, et injuriarum haud parcus, unde inter fratres magnæ ſimultates, qvas, ut et horum fratrum contra Thorvaldum Vatnsfiörnenſem inſidias fuſe narrant *Rafnsſaga Sveinbiarnarſonar* et *Sturlungaſaga*, II. p. 21. et alibi. Noſtri contra virum fortiſſimum Ejulfum Karis filium paulo poſt 1217 prælia et velitationes multis perſeqvitur *Sturlungaſaga* II. p. 42-44. 1233 poſtqvam Sturla Sighvati filius (vide ad diem 21. Aug.) religioſum iter Romam ſuſceperat, Præfectorum nemo in Veſtfiördis remanſerat, Magnatum autem tunc temporis, facile ibidem principes erant Noſter et Oddus Alii filius, (pater Rafnis, vide d. 22. Novembr.) uterqve Sturlæ amicus integerrimus. Hinc et Noſter Sturlam armatus ſtipabat, cum ille Roma redux patruum Snorrium Sturlæum 1237 prædio Reikholto et provincia expulerat, et prælio ad Bæ commiſſo, in qvo ab adverſariorum parte plusqvam triginta ceciderunt, multi magna vulnera retulerunt, totam Borgfiördenſem provinciam in ſuam redegit poteſtatem, et anno ſeqventi cum Borgfiördenſes vindictam meditarentur, Sturla Giſlium iterum in partes vocavit. Aſt fortuna vela contrahente, poſtqvam Sturla in prælio Örlygſtadenſi 1238 occubuerat, Snorrius autem et Thorleifus, qvi prælio Bæenſi inferior diſceſſerat, Norvegia reduces 1239 rerum potiti erant, omnes ſuos adverſarios, tanqvam perduellionis reos in jus vocabant, et ſupplices mulcta erogata ſalutem et incolumitatem redimere coegerunt, Noſter autem nec promiſſis nec minis, ut cederet, adduci potuit, qvare illum, nam unus omnium impunitatem oblatam redimere reſpuebat, 1240 proſcripſerunt; qvæ ſententia ne exſecutioni daretur, in cauſa fuiſſe videtur paulo poſt interveniens Snorrii ipſius cædes. Expeditionibus deinde Urækiæ Snorronis, noſter interfuit, et in prælio Skalholtenſi circa initia anni 1242. commiſſo, adverſarios omnes ſenex decrepitus in ſui admirationem rapuit, erat qvippe et tunc omnium conſilio promtiſſimus, manu maxime ſtrenuus, animo invictus, corpore et ſtatura eximius. Ex qvo Kolbeinn juvenis Urækiam generum ſupplantaverat, et omnia ei victori ubiqve ceſſerant, noſter omnium ſolus ſe ſubmittere anno 1242 aperte recuſavit, et tum omnium Occidentalium a meridie Arnarfiördi potentiſſimus appellatur. 1244 Thordum Kakalium prælio navali Floënſi cedere coactum et fere ad incitas redactum, ipſe & Rafnus Oddi filius 90 armatis properanter collectis ſuffulſit. 1254 ad Henricum Epiſcopum captivum liberandum, noſter filios ablegavit. Anno ſeqventi ipſe cum filiis exilii reus peractus eſt, cauſa cadens contra Selardalenſes de captura avium in Bardsgnypa, qvam tamem litem Thorgils Skardius compoſuit. Habuit in matrimonio Thordiſam Gelleris filiam, cujus dies emortualis ſupra Calend. Januar. reperiunda. Ex plurimis qvos reliqvit liberis infra occurret Loptus ad d. 7. Octobris. Obiit noſter 1258 teſtibus, *Annal. Skalholtinis, Flateyenſibus* & *Regiis* ſupra Tom. III. p. 101.

XIII. *Kal. Jul.* Loptr Halfdanarſon. 19. *Loptus Halfdanis filius.* *)
XII. - - Bergliot Loptsdótter. 20. *Bergliota Lopti filia.* **)
III. - - Biarni preſtr Biarnaſon. 29. *Biarnius Sacerdos Biarnii filius.* ***)

Julius.

IV. *Non.* Giſli Loptzſon. 4. *Giſlius Lopti filius.* ****)
VIII. *id.* Bauduar Þorþarſon. 8. *Bödvar Thordi filius.* †)

V.

---

*) Ex Halfdane nepos Sæmundi Jonæ, vide infra 7. Novembr; mater autem Noſtro erat Steinvora Sighvati filia, cujus mentio etiam fiet d. 18mo Octobris. Defuncto 1256 Thordo Sighvati filio, Rex Haqvinus omnia ejus bona et præfecturas, prædium inprimis Grund et Ejafiordenſem provinciam ſibi vindicans, ea feudi inſtar Thorgilſo Bödvaris, cognominato Skardio, contulit; ſoror autem defuncti Steinvöra hæreditatis jure ad ſe devoluta eſſe contendebat, cumqve de iis contra vires regias retinendis deſperaret, in generum Thorvardum Thorarini ſuum jus tranſtulit, qvi Eyafiordenſibus exoſus pedem ſedesve ibi figere non potuit; unde Steinvöra filium Loptum 1258 Grundam miſit, qvi ibidem villicationem qvidem inſtituit, ſed diu ſubſiſtere neqvivit. 1260 in conventu Thingſkalenſi unacum patruo Biörne Sæmundi filio Rangaenſibus præfuit, cum comes Giſſur Thorvaldi, (vide d. 12. Januar) eos ad homagium Regi Haqvino et ſibi præſtandum adigeret; *Annales Skalholtini, Flateyenſes* et *Sturlungaſaga* III. p. 319. 1271 lites de præbendis, laicorum dominio extorqvendis, fervebant. Arnas Epiſcopus Skalholtenſis, ſi nobiliſſimum Oddenſe, et pauca alia maximi nominis prædia clericis vindicare contingeret, rem actam eſſe auguratus, litem ſententiæ judiciali Regis et Archiepiſcopi Norvegiæ commiſit, ſed prædium Odde tum poſſedebant fratres Loptus et Sturla Halfdanis filii, qvi illud a fratre Sighvato, hic a matre Steinvöra, illa autem magno pretio a Biörne Sæmundi filio et Sæmundo Haraldi filio coemerant (*Arna Biſkupsſaga* pag 12); Sed Loptus 1272 cauſa cadens, prædium ſibi abdicandi neceſſe habuit. 1284 et 1285 iteratis vicibus idem prædium vi occupavit. 1289 tertia vice illud clericis emancipavit, fulmine excommunicationis alias feriendus (Hæc omnia ex *Arna Biſkupsſaga*; *Laurentii Biſkupsſaga* Cap. 29). *Annales Skalholtini, Flateyenſes, Vetuſtiſſimi* ſupra Tom. II. pag. 199, et *Regii* Tom. III. p. 129. teſtantur illum anno 1312 obiiſſe.

**) Num hæc fuerit mox laudati, an vero Lopti Giſlidæ ad d. 7. Octobr. commemorandi filia, neſcio, qvamvis pro poſterioris filia plures rationes militent. Si noſtræ Bergliotæ nomen *manu tertia*, qvod tamen non eſt, scriptum legeretur, eam Lopti Thordi filiam, qvi fide *annalium Flateyenſium* anno 1355 ſenex obiit, ſtatuere non hæſitaſſem, nam certum eſt alteri hujus Lopti filiarum nomen fuiſſe Bergliotam.

***) Hujus genealogiam pertexunt *Landnámabók Edit. Havn.* paſſim, et *Broddhelga* ſive *Vopnfirdingaſaga*. In matrimonio habuit Hallam Jörundi filiam, Thorſteinis Ranglati, viri ſuæ ætatis celeberrimi ex filia Gudruna neptim, cujusqve majores et poſteros *Landnámabók* & *Sturlungaſaga* multis recenſent. Obiit anno 1181; *Annales Flateyenſes* et *Regii* ſupra Tom. III. p. 65. Filium reliqvit Floſium infra d. 9. Octobr. commemorandum.

****) Fuit filius Lopti Giſlidæ, cujus mentio fiet ad diem 7. Octobris.

†) Tres hujus nominis viri inclyti ex gente eadem omnes oriundi occurrunt: 1) Bodvar Thordi, pater Gudnyæ Bodvaris filiæ infra ad d. 29. Novembris laudandæ, obiit 1187 (*Annal. Regii* ſupra Tom. III. pag. 6); 2) Ejusdem Bodvaris ex filio nepos, communiter Bæenſis dictus; 3) Bödvar mox nominatæ Gudnyæ ex filio Thordo nepos, Stadenſis cognominatus. Qvinam horum hic intelligatur non liqvet, et ſi in mox nominatum proniſſimus ſim, hinc et eorum geſta et fata ſat alioqvin celebria, recenſere ſuperſedeo.

V. *id.* Thorlákr Gudmundarſon.
IV. *id.* Halla Kriſtoforusdotter oc Snælaug dótter Harallz.
III. Eirikr Kongr Magnusſon.
II. *id.* Jon Sigmundarſon.
XIII. *Kal Aug.* Audun Thomasſon cum ſ.
XI. *Kal. Aug.* Kolbein ungi Arnorsſon.
11. *Thorlacus Gudmundi filius.* *)
12. *Halla Chriſtophori filia* **). *et Snælauga filia Haraldi.* ***)
13. *Ericus Rex Magni filius.* ****)
14. *Jonas Sigmundi filius.* †)
20. *Audun Thomæ filius cum ſocüs.* ††)
22. *Kolbeinn junior Arnoris filius.* †††)

III.

---

*) Gudmundi Gris ex Solveiga Jonæ Loptidæ (infra calend. Novembr.) filia natus, cujus mentionem faciunt *Arna Biſkupsſaga* multis pag. 1-3 et *Sturlungaſaga* I. p. 183. Obiit noſter 1281; *Annal. Skalholtini.* Inter ejus liberos eminent Arnas Epiſcopus Skalholtenſis (vid. ſupra d. 17. Aprilis), et Asbiörga mater et Árnæ ſecundi Epiſcopi Skalholtenſis d. 21. Januarii et Gudnyæ d. 22. Novembr.

**) Hujus Chriſtophori anniverſaria ſupra notabatur ad d. 19. Martii.

***) Videtur fuiſſe Sæmundi Jonæ, cujus mentio fit infra d. 7. Novembr. ex filio Haraldo neptis; vid. infra d. 25. Auguſti.

****) Rex Norvegiæ patri Magno Lagabæter (d. 9. Maji) 1280 ſucceſſit; obiit 1299. Vide *Necrologium Iſlando-Norvegicum* ſupra Tom. II. pag. 512; *Torfæi Hiſtor. Norveg.* Part IV. libr. 7.

†) Sigmundi Ormi filii, qvi ſuæ ætatis in orientali Iſlandia potentiſſimus exſtitit (*Rafnsſaga Sveinbiarnarſonar*), filius. Genealogiam recenſent *Saga af Þorſteine Sidu Hallsſyne* et *Sturlungaſaga* I. p. 51. Noſter vir ſuæ ætatis celeberrimus in matrimonio habuit Thoram filiam Gudmundi Grís, Jonæ Loptidæ (Calend. Novembr.) ex filia neptim, *Sturlungaſaga* I. p. 206-8, ex qva Ormum Svínfellenſem (infra d. 4. Octobr.), Solveigam matrem Thorſteinis Skeggii (infra 26. Octobr.), et plures liberos ſuſtulit. Secundis nuptiis Haldoram Arnoris filiam ſibi aſſociavit, ex qva Brandum Epiſcopum Holenſem (ſupra d. 26. Maji) genuit. Filius Noſtri nothus erat Thorarinn, inter ſuæ ætatis viros principes numerandus, pater Oddi de qvo ſupra 14. Januarii plura habentur. Hicce noſter peregre in Norvegiam 1211 abierat (*Annal. Flateyenſes* et *Regii* ſupra Tom. III. p. 77). Obiit autem 1212, teſtantibus *Sturlungaſaga* libr. V. Cap. 8, *Annalibus Skalholtenſibus* et *Regiis* loc. cit. pag. 78. Ab hoc diverſus eſt Jonas Sigmundinus, qvi fide *Annalium Flateyenſium* et *Regiorum* loc. cit. pag. 57. 61, anno 1153 peregre profectus eſt, ſed 1164 obiit.

††) Thomæ Thorarinis, qvem ſupra ad d. 7. Maji laudavimus, filius. Hic cum fratribus, ſtatim ut Henricum Epiſcopum Holenſem captivum abductum eſſe 1254 audiverat, ad illum liberandum advolabat, et anno ſeqventi prælio Geldingaholtenſi (vide ſupra d. 14. Jan.) interfuit, tumqve e medio ſuſtulit Thorbiörnem Sælendingum, qvi fratrem noſtri Thorarinem in prælio Hauksneſenſi interfecerat. Eodem vere 1255 Noſter cauſam contra Giſlium Raudaſandenſem (ſupra d. 15. Junii) obtinuit. Eodem anno non tantum prælio Thveraenſi interfuit, ſed et Rafnis Oddi filii (infra d. 22. Novembr.) latus tegebat, exercitui verba præibat, et poſt pugnam fortiſſime pugnatam absqve vulneribus occubuit; qvod *Sturlungaſaga* III. p. 249-50 prolixe referens, ſtatuit accediſſe pridie Sti Thorlaci ſive XIV. Kal. Aug.

†††) Natus 1210 patre Arnore Tummii filio Præfecto Skagfiordenſi, qvi in Norvegiam 1222 profectus, hunc filium unicum ſecum deduxit, ſed patre ibidem fatis functo, noſter in Islandiam unacum matre et ſorore 1225 reverſus, unum apud Sighvatum Sturlæum (vid. d. 21. Aug.) annum commoratus, præfecturam avitam Skagfiordenſem ſuſcepit. 1227 uxorem infauſto omine duxit Halberam Snorrii Sturlæi filiam, qva anno 1230 fatis functa, odia inter eum et ſocerum in apertum bellum eruperunt, cum Snorrius in comitiis univerſalibus 1231

præter

III. *Kal. Aug.* Sturla ÞórÞarſon. 30. *Sturla Thordi filius.* *)

Auguſtus.

VI. *id.* Ingigerdr Philippusdótter. 8. *Ingigerda Philippi filia.* **)

Idus. Egill Sölmundarſon. 13. *Egillus Sölmundi filius.* ***)

XVIII.

---

præter proprios ſuos 960 aſſeclas, a fratribus collecta auxilia præſto haberet, Kolbeinn autem 720 armatis ſtipatus, Thorarinis Jonæ aliorumqve principum copiis præterea ſuffultus ſe fiſteret, ſed ſimultates illæ citra prælium intercidebant, cum Snorrius præturas illas, de qvibus contentio erat, Kolbeini utendas fruendas concederet; Kolbeinn autem Urækiæ filio Snorrii adulterino ſororem ſuam germanam Arnbiörgam nuptum daret, eo pacto, ut hic a patre præfecturam Midfiördenſem, prædium Mel, et valorem 880, ſive mille imperialium acciperet, qvibus conditionibus Snorrius poſtea non ſtetit. Acceſſit et nova odiorum cauſa, Jonas qvidam ſacerdos Marci filius, qvem Kolbeinn neci deſtinaverat, Snorrius vero ſub ſuam tutelam receperat, unde in comitiis anni 1234 iterum ad arma concurrerunt, ſed ſedatiorum conſiliis pugnatum non fuit. Simultates noſtrum inter et Gudmundum Epiſcopum Holenſem enucleate recenſentur in *F. Johannæi Hiſtor. Eccleſ. Iſl.* Tom. I. p. 356. *ſqq.* Nostri et Sighvati Sturlæi, Snorrii fratris internecina odia infra ad diem 21 Aug. breviter exponemus; cumqve Snorrius fratris cædem ulturus crederetur, noſter, inita cum Giſſure Thorvaldi filio ſocietate, magna Snorrii necis cauſa habebatur, qvare et tantum abfuit, ut affinem Urækiam, qvi patris occiſores 1241 perſeqvebatur, adjuvaret, ut eum potius ſæpe deluderet, accepta ab hoſtibus pecunia proderet, et in perpetuum exilium devehi curaret. His æmulis ita ſemotis, duas fere inſulæ qvadrantes, ſeptentionalem ſcilicet et occidentalem ſibi ſubjecit, et omnes adverſarios in ſua verba jurare adegit, ita ut pacatam vitam agere licuerit, ni Sighvati filius Thordus Kakalius, (vid. d. 11. Octobr.) anno 1242 ex Norvegia redux, vindictam tentaviſſet, contra qvem Kolbeinn armatos ſæpe educere neceſſum habuit, qvin et ad perfidiam et dolos, qvod huic ſeculo non erat inſolitum, deſcendit. Celeberrimum eſt prælium navale unicum ſui generis in Iſlandia 1244. commiſſum, et ab omnibus noſtris Annalibus decantatum, in qvo 90 circiter hominum ceciderunt, noſter autem victoria potitus, hoſtes perſecutus eſt. Vir maximis corporis et animi dotibus ornatus, ex diuturna valetudine, qvam ex ludicro ſaltu exercitii cauſa ſuſcepto contraxerat, obiit 1245; uxore vidua relicta Helga filia Sæmundi Jonæi, de qvo infra ad d. 7 Novembr. vide *Necrologium Iſlando-Norvegicum* ſupra Tom. II. p. 513.

*) Snorrii Sturlæi ex fratre nepos, eidemqve dilectiſſimus, ita ut plus ſimplici vice in ejus familia, et ſub hujuſce ſui patrui inſtitutione degeret. Viri eruditiſſimi varia fata et acta *Sturlungaſaga* inde a libro VI usqve ad finem libri XI. (Tom. II–III.) multis recenſet; vid. et *F. Johannæi Hiſtor. Eccleſ. Iſland.* Tom. I. p. 210.

**) Patre nata Philippo Sæmundi filio; vid. 25 Auguſti. Thorſteini Haltoris filio nupſit (*Sturlungaſaga* I. p. 7.), qvi fervente lite de præbendis, qvanti prædium Odde venire deberet, 1271 arbiter lectus fuit; *Arna Biſkupsſaga* pag. 12. Filias reliqvit Gudrunam, primo uxorem Benedicti, poſt Kolbeini Audkulenſis, et Hallberam Abbatiſſam cænobii Reineſtadenſis, qvæ 1329 obiit; *F. Johannæi Hiſtor. Eccleſ. Iſland.* Tom. IV. p. 106. Utriusqve ſororis mentionem multo encomio junctam injicit *Laurentius Biſkupsſaga.*

***) Sölmundo natione Norvego et Helga Sturlæa, Snorronis Sturlæi ſorore natus, unde et noſter cum avunculo 1237 in Norvegiam trajecit, et biennio poſt in Iſlandiam reverſus eſt. Hinc Snorrio 1241. occiſo, Giſſur Thorvaldi Sölmundum et Helgam Rejkholtum advocavit, iisqve perſvaderi curavit hæreditatem a Snorrio inteſtato relictam ſibi cederent, redhoſtimenti autem loco filius Egillus

XVIII. *Kal. Sept.* Jon Preſtr Ormsſon. 15. *Jonas Sacerdos Ormi fil.* *)
XII. *Kal. Sept.* Sighvatr Sturloſon. 21. *Sighvatus Sturlæ fil.* **)

XII.

2400 imperialium valorem, filia autem Gyda honeſtæ conditionis dotem acceptarent. Aſt Sölmundus et Helga eandem hæreditatem Sturlæ filio Sveinis, Snorrii ex fratre nepoti antea condixerant. Paulopoſt Uræ̈kia Snorrii filius adulterinus Rejkholtum invaſit, cum Sölmundus et Helga illi eandem hæreditatem, iisdem fere conditionibus emancipabant. Qvotqvot autem dominos iſta hæreditas ſucceſſive nacta eſt, Egillus tamen prædium Rejkholtum conſtanter retinuit. Anno 1243 noſter expeditioni Thordi Kakalii in Qvartam borealem interfuit. Anno 1244 ex prælio navali Floenſi tot tantaqve vulnera reportavit, ut pedes ire neqviverit. Anno 1252 cum Rex Norvegiæ Haqvinus omnia a Snorrio relicta bona fiſco ſuo adjudicaſſet, Thorgilſem Bödvaris filium in Iſlandiam miſit, qvi illa repeteret. Hic in conventu Hofdaholenſi literas regias hac de re publicari fecit, qvibus Egillus primo oblocutus, poſtea tamen contra omnium ſpem et exſpectationem bonis illis in gratiam Thorgilſis ceſſit. A. 1253 conventui, qvem Epiſcopus Henricus fruſtra habuit, interfuit et Epiſcopum vitæ periculo eripuit. Gliſcente inter noſtrum et Thorgilſem diſcordia, hic Rejkholto diſceſſerat, poſtea autem 1255 prædium illud armatorum manu ſtipatus occupavit, ubi Egillus certam necem vix effugit, ſed pax inter illos tum ſanciebatur. A. 1259 legatus Haqvini Regis in Iſlandiam, qvi illi inſulam ſubjiceret, Hallvardus Gullſkör, Rejkholti apud noſtrum commoratus eſt, qvi et legatum ad comitia univerſalia deduxit. A. 1273 Arnas Epiſcopus Skalholtenſis Rejkholti a noſtro convivio excipiebatur, ſed cum hic ordine Subdiaconus matremfamilias et concubinam Thorunnam filiam Einaris Gardenſis, ex conſangvineorum tamen conſenſu, uxoris loco haberet, Epiſcopus ut hanc dimitteret, minis illum adegit (*Arna Biſkupsſaga* Cap. 12. pag. 21-22) Obiit Egillus anno 1297; (*Annal. Skalholt.*) Liberorum ejus celebriores fuerunt: 1) Thorarinn Kagge, magni nominis ſacerdos qvi a. 1254 Henricum Epiſcopum in captivitatem ductum, ſecutus eſt et 1255 ablegatus eſt, ut juſſu ejusdem Epiſcopi literas excommunicationis eidem Thorgilſi legeret. Ille qvoqve Laurentium poſtmodum Epiſcopum Holenſem, ſuum ex filia nepotem educavit (*Laurentius Biſkupsſaga*); 2) Thordus, poſtea plus ſimplici vice in patria legiferi munere functus.

*) Vix induci poſſum ut credam hunc alium eſſe, qvam celebrem illum ſub Arna Thorlaci filio florentem Jonam Ormi filium, qvamvis *Annales Vetuſtiſſimi* ſupra Tom. II. pag. 198 iſti diem emortualem aſſignent idibus Martii. Jonas autem Ormi filius Sacerdos a. 1288 literas Jörundi Archipoſtulati Nidroſienſis datas pridie Vitalis, et alias plures, Skälholtum attulit (*Arna Biſkupsſaga* Cap. 67 pag. 106); deinde Arnas Epiſcopus illum, ut unicornu ceti expoſtularet, ad ſacerdotem Thorvaldum Vatnsfiördenſem miſit (ibid. Cap. 68 pag. 108-9); præterea et noſter eidem Epiſcopo tunc peregre abeunti comes adhæſit, (C. 69 p. 109), et anno ſeqventi cum Arnas Epiſcopus veniam in Iſlandiam revertendi non impetraret, hunc noſtrum ad ſuum in Iſlandia Vicarium Abbatem Runolphum, ſuas et Archi-Epiſcopi literas perferentem ablegavit (loc. cit. Cap. 70. pag. 112). Obiit noſter anno 1303; *Annales Skalholtini*, *Flateyenſes*, *Vetuſtiſſimi* ſupra Tom. II. pag. 198 et *Regii*, Tom. III. pag. 125.

**) Natus a. 1170 patre Sturla Hvammenſi et matre Gudnya Bödvaris filia; vid. infra ad d. 29. Novembr. A. 1197 villicationem Hiardarholti inſtituit, ſimulqve Haldoram Tummii filiam, Arnoris, qvi cum Epiſcopo Gudmundo acerrimam litem diu exercuit, ſororem, Sigurdi vero Ormi Svinfellenſis filii privignam, uxorem duxit, qvo factum eſt, ut et parti Gudmundo adverſæ adhæreret, unde et unus octo principum fuit, qvi a. 1209 exercitum contra Epiſcopum movebant, et filius noſtri Tummius a Sigurdo Ormi educatus præturas Eyafiördenſem et plures a nutritore improli dono acciperet, qvas pater Sighvatus gubernaturus, anno

1213.

XII. *Kal. Sept.* Sturla Sighuatzſon cum ſ. 21. *Sturla Sighvati filius cum ſociis.**)
IX. - - Magnus Kóngr Berfættr. 24. *Magnus Rex Nudipes.***)
VII. - - Þordr Hallzſon. 25. *Thordus Halli filius.****)

Sep-

1213 lares ex qvarta occidentali in borealem transtulerat. Hic vi et dolis jam hos ſibi devinciendo, illos ſupplantando, tantum opum et potentiæ corraſit, ut de tota tandem Iſlandia ſibi et filiis ſubjuganda, omnium in patria primus non tantum cogitaret, ſed et opus aggreſſus fuerit; qvod cum ſtrenue moliretur, Giſſurus Thorvaldi a filio noſtri Sturla nuper inſidioſe captus (vid. 12. Januar) et Kolbeinn juvenis (vid. d. 22. Julii) cum pluribus principibus icto fœdere, conjunctis viribus noſtro obviam iverunt, et Örlygſtadis in Skagafiordo 1238 commiſſo prælio hunc et qvatuor ejusdem filios interfecerunt, ex qvo tempore ſuperſtitibus his iſtorum cum ampliſſimis familiis conſangvinitatis aut affinitatis jure conjunctorum virorum cædem ulciſcentibus, illis autem ſe ſuosqve defendentibus, utrisqve autem imperium in patriam vi et armis acqvirere conantibus, perpetuæ rapinæ, bella, cædes ſubſecutæ ſunt, usqve qvo inſula ſe Regis Norvegiæ imperio ſubjecerit, qvorum omnium motuum noſter, ejusqve filii fax et tuba exſtitere. Plurima viri acta, qvi ne qvidem a bellis aut dolis contra fratres ſuos germanos abſtinuit, recenſere, ſcopus hujus ſcriptionis non permittit. Liberorum autem ejus celeberrimi erant filii: Sturla, de qvo mox, Thordus Kakali, de qvo infra ad diem 11. Octobris, et filia Steinvöra cujus etiam mentio infra d. 18. Octobr.

*) Sturla hujus Sighvati filius, natus a. 1199, apud Thorlacum Ketelis Hytardalenſem, virum ſuæ ætatis celebrem, educatus eſt (*Aronsſaga Hiörleifsſonar*, MSS), a qvo et amorem literarum imbibiſſe videtur; aliqvando enim noſter apud patruum Snorrium Sturlæum ſtudiorum cauſa commoratus eſt, qvibus maxime delectabatur, et Snorrii opera hiſtorica in ſui gratiam exſcribi curavit. Omnibus fere patris tumultibus et expeditionibus interfuit, et alias multas ſine eo ſuſcepit, omnia enim miſcere, ut ſolus tandem rerum potiretur, ſategit, ipſosqve patruos Thordum et Snorrium Sturlæos, armatis ſtipatus invaſit, et hunc qvidem omnibus ſpoliatum extorrem et profugum exulare coegit. Noſter Roma a. 1235 redux, omnia turbare, et totam inſulam ſibi ſubjicere conatus, tandem a. 1238 Apavatni Giſſurem Thorvaldi (12. Januar.) captivum fecit, ſed paulopoſt ab eo et Kolbeine juveni (d. 22. Julii) unacum patre Sighvato in prælio Örlygſtadis habito occiſus fuit. In matrimonio habuit Solveigam filiam Sæmundi Oddenſis (d. 7. Novemb.), ex qva inter plures liberos Thuridam genuit, qvæ Raſni Oddi filio (d. 22. Novembr.) poſtmodum nupſit; Vide ſupra *Necrologium Iſlando-Norvegicum* Tom. II. pag. 514.

**) Regnare capit 1093, in Hibernia occubuit 1103. Vide *Necrologium Iſlando-Norvegicum* ſupra Tom. II. p- 514. Ejus filiam Thoram in matrimonio habuit Loptus Sæmundi Polyhiſtoris filius, ex qva genuit Jonam, de qvo infra ad Kalendas Novembris; *Torfæi Hiſtor. Norvegic.* Part III. libr. 7. pag. 446.

***) Patre natus Hallo, communiter dicto Mödruvallenſi, qvi 1242 in exercitu Kolbeinis juvenis inter primos nominatur, cujusqve curæ Urækia Snorrii filius captivus Rejkholti concredebatur. A. 1246 in familiam Giſſuris Thorvaldidæ Baræ degebat. A. 1255 inter Epiſcopum Holenſem Henricum et Thorgilſem Skardium mediatorem et interceſſorem egit. Noſtri Thordi mentio primum a. 1274 facta invenitur cum Gunnlaugum Tannidam in gratiam Arnæ Epiſcopi Skalholtenſis reduxit (*Arna Biſkupsſaga* Cap. 13. p. 22-23). Anno ſeqventi nuptias cum ejusdem Epiſcopi ex ſorore nepti Gudnya Helgii filia celebravit; loc. cit. Cap. 16. p. 26. A. 1288 unacum Jona Nomophylace. in lite de præbendis, fidem ſuam pro Raſne Oddii (22. Novembr.) ſponſor interponebat, bona ſua decimata 2500 imperialium profeſſus, tuncqve *Domini* nomine inſignitur, qvod hoc tempore virum officio vel titulo apud Regem honoratiorem loqvitur; loc. cit.

September.

VII. *Kal. Octobr.* Haralldr Kóngr Sigurdarſon.

VII. *Kal. Octobr.* Philippus oc Haralldr Sæmundarſyner.

V. *Kal. Octobr.* Þórdr Andresſon.

25. *Haraldus Rex Sigurdi filius.* *)

— *Philippus et Haraldus filii Sæmundi.* **)

27. *Thordus Andreæ filius.* ***)

IV.

---

cit. Cap. 65, p. 102. A. 1292 e Norvegia literas regias adferebat, qvæ laicis præcipiebant, ut bona et prædia templorum, qvæ olim jure patronatus tenuerant, reſumerent (*Annales Skalholtini* utriqve, *Flateyenſes* et *Regii* ſupra Tom. III. pag. 120); unde et Sigurdus Hlidenſis prædium Mödruvallenſe, qvod noſter Jörundo Epiſcopo Holenſi anno 1280 emancipaverat, poſtliminio jus hæreditarium gentilitium prætendens, retractavit (*Laurentius Biſkupsſaga*). Krók-Alfum incolas Qvartæ borealis a. 1305 temerarie laceſſentem, et ab his pæne peſſundatum noſter in tutelam ſuam recepit; ibid. Cap. 16. et Laurentium 1307 Viſitatorem ab Archi-Epiſcopo Nidroſienſi in Iſlandiam ablegatum, Epiſcopo autem Holenſi inviſum, hoſpitio excepit et laute habuit; loc. cit. Freqventer in Norvegiam tranſiit, unde etiam a. 1303, et ſæpius in patriam reverſus fertur (*Annal. Flat.*) Obiit a. 1312, vir inter ſuæ ætatis primarios laudandus; *Annales Skalholtini, Flateyenſes, Vetuſtiſſimi* ſupra Tom. II. pag. 199. *Regii* ſupra Tom. III. p. 129. et *Laurentius Biſkupsſaga* Cap. 29.

*) Regnare in Norvegia cæpit 1047. in Anglia 1066 occubuit vid. *Necrol. Islando-Norvegicum* ſupra Tom. II. pag. 515, *Torfæi Hiſtor. Norveg.* Pars III. libr. 4 & 5. Tanto Iſlandi hunc amore proſeqvebantur, ut a. 1244 plus ſesqvi poſt ejus obitum ſeculo, in celebri inter eos prælio navali Floenſi, inferias per ſolidum annum duraturas ejus memoriæ voverint; *Sturlungaſaga* Tom. III. p. 62.

**) Sæmundi Jonæ Oddenſis, (de qvo infra 7. Novembr.) filii, qvos Thordus Kakalius (infra ad d. 11. Octobr. laudandus) a. 1249 Regem Norvegiæ Haqvinum Grandævum adire coegit, qvi et præfecturas ſuas illi ceſſere, ſed mox feudi nomine ab eo collatas recepere, et e Norvegia a. 1251 ſolverunt, qvo in itinere inter Veſtmanneyas et Iſlandiæ continentem naufragium paſſi, cum omnibus ſociis, præter ſeptem, qvi in Selvogum tabula deferebantur, periere; *Hákonar Konungsſaga ens Gamla* (*Heimskr.* Tom. V. p. 300), *Sturlungaſaga* III. p. 106, *Annales Skalholtini* utriqve, *Flateyenſes, Reſeniani, Regii* ſupra Tom. III. pag. 98. ſq. Philippus in matrimonio habuit Thordiſam Floſii filiam; vide ſupra ad d. 15. Junii, ubi de illorum poſteris plura. Haraldi filius erat Sæmundus, cujus in lite præbenda Oddenſi freqvens mentio. Snælaugam Haraldi filiam videſis ad d. 12 Julii.

***) Sæmundi Oddenſis (de qvo infra 7. Novembr.) ex filio nepos. Noſter et pater Andreas ad intimum ſuum amicum et cognatum Giſſurem Thorvaldinum (vid. ſupra 12. Januar.) a. 1253 ſtatim poſt incendium Flugumyrenſe (vide infra 22. Octobr.) auxilia adducentes convolarunt; ſed amicitia illa exinde haud parum frigeſcebat, nam ſtatim a. 1254, Rafn Oddi (vid. 22. Novembr.) alter incendiariorum primipilus, Skardi apud Andream hyemem tranſegit et author *Sturlungaſagæ* expreſſe dicit (Tom. III. p. 309. ſq.) inter Thordum Andreæ et Comitem Giſſurem annis 1258 & 1259 fidem fuiſſe ſuſpectam qvam maxime, præſertim cum ille in comitiis univerſalibus anni poſterioris, magna armatorum cohorte ſtipatus comparuerit, qvo etiam anno cognatos ſuos Kalſum et Thorgeirem Brandi filios noſter per literas inducere tentavit, ut Giſſurem de medio tollerent (ibid. Cap. 5); qvas inſidias hic reſciſcens, ſexcentis armatorum ſtipatus ditionem Thordi ejusqve cognatorum Rangarvallenſem invaſit; et plus mille bobus mactatis et direptis depopulatus eſt, pax tamen poſtea tum inter illos ſancita fuit; cfr. *Annales Skalholtinos antiqviores* multis. Anno 1260 Giſſur alteram in ditionem Rangarvallenſem expeditionem ſuſcepit, in qva om-

October.

IV. *Non.* Alfeidr Niálsdotter.
Non. Loptur Giſſaſon.
VII. *Idus.* Floſi preſtr Biarnaſon.
Arnþrudar Ayiolbs dóttur.
V. *id.* Þordr Sighvatsſon.
XV. *Kal. Novembr.* Steinuör Sighuatsd.

4. *Alfeida Nialis filia* *)
7. *Loptus Giſlii filius.* **)
9. *Floſius ſacerdos Biarnii filius.* ***)
— *Arnthrudæ Ejolfi filiæ.* ****)
11. *Thordus Sighvati filius.* †)
18. *Steinvöra Sighvati filia.* ††)

XI.

---

nes ejus incolas in Regis Haqvini ſuaqve verba jurare adegit, et domum reverſus Thordum, ut videtur, obſidis loco habitum ſecum duxit, qvam inſequentem hyemem Thordus, fidei qvoqve tum ſuſpectæ, apud Comitem Giſſurem transegit. Tandem a. 1264 Thordus et fratres, agmine collecto, Comitem adorti tantum non cepere, ille autem vindictam reſumens pacem et incolumitatem ſe dedentibus pollicebatur, noſtrum autem contra fidem datam occidi fecit (*Annales Reſeniani, Skalholtenſes* utriqve, *Flateyenſes, Regii* ſupra Tom. III. p. 106), Noſtri et Sigurdi Epiſcopi Skalholtenſis ſimultates recenſent *Sturlungaſaga* et *F. Johannæi Hiſt. Eccleſ. Iſland.* Tom. I. p. 316. conf. *Necrologium Iſlando-Norvegicum* ſupra Tom. II. p. 515.

*) Ex celebri Skogenſium familia, uxor Ormi Svinfellenſis, qvi anno 1241 obiit, filii Jonæ Sigmundini, cujus mentio ſupra ad d. 14. Julii facta eſt. Laudatur Præprimis hæc noſtra, qva pietate filiorum et eorum affinium ſimultates pro viribus reprimere ſtuduerit. Ejus filiæ Thoræ anniverſaria occurrit ſupra calend. April.

**) Filius Giſlii, cujus mentio facta eſt d. 15. Junii, pater Giſlii d. 4. Julii, et forte etiam Bergliotæ d. 19. Junii commemoratorum. A. 1263 cum Raſn Oddi filius (d. 22. Novembr.) Sturlam Thordi, hujusqve filium Snorrium invaſurus erat, hic Raudaſandenſis appellatur. Fide *Annalium Flateyenſium* obiit anno 1303; ſed *Annales Vetuſtiſſimi* ſupra Tom. II. pag. 198 annum ei aſſignant fatalem 1302.

***) Filius Biarnii, nepos viri ejusdem nominis de qvo plura videſis ad d. 29 Junii, ubi et loca indicavimus, in qvibus noſtri Genealogia texitur. In matrimonio habuit Ragnhildam Börki filiam ad d. 11. Novembr. laudandam, ex qva Thordiſam (d. 15. Junii), Biarnium (d. 26. Decembr.) et Hallam (d. 23. Martii) in his *Faſtis* obvios et plures liberos ſuſtulit. Monachum eum appellat *Sturlungaſaga* II. p. 188, ſed *Annales Flateyenſes* et *Regii* ſupra Tom. III. p. 91. ſacerdotis nomine, utrumqve recte, citant, omnes autem noſtrum a. 1235 obiiſſe conſentiunt.

****) Subintellige *Artid* ſive Anniverſaria. Hoc nomen *manu recentiſſima* ſive *tertia* ſcriptum exſtat. Fuit autem Arnthruda hæc, qvod ex nomine, tam proprio, qvam patris, conjicio, vel ſoror Thorſteinis Ejulfidæ plus una vice præfecti et Nomophylacis in patria, denati anno 1402, vel certe ad antiqvam gentem Svalbardicam pertinuit.

†) Cognominatus *Kakale*, Sighvati, cujus d. 21. Auguſti mentio facta eſt, filius. Tot tantæqve viri fortiſſimi res geſtæ ſunt, ut hæc pagina eas non capiat, Obiit in Norvegia, ubi Præfectus erat regius anno 1256; conf. *Necrologium Iſlando-Norvegicum* ſupra Tom. II. p. 516.

††) Mox laudati Kakalii ſoror anno 1230 nupſit Halfdani filio Sæmundi Jonæi (vid. 7. Novembr.), qvi, qvamvis ſummo inter Iſlandos loco natus, a magnis tamen rebus capeſſendis et inſano honorum deſiderio abhorrebat. A. 1242 cum Thordus Kakale peregre adveniens vindictam cædis paternæ et qvatuor fratrum moliretur, monuerunt plurimi affinem hunc Halfdanem, cognatorum potentia et propriis opibus plurimum valere, Steinvöram autem ſororem viraginem eſſe animi fortiſſimi, qvæ maritum certe incitatura foret. Nec eventus ſpem fefellit; Nam illa fratrem qvam maxime juvit, et ei tandem unacum Epi-

XI. *Kal. Novembr.* Hallr oc Isleifr oc Ketilbiörn, Gizurar ſyner oc Groa Alfsdótter cum f.

VIII. *Kal.* Magnus góde Olafsſon. Thomas Kráksſon.

VII. *Kal.* Þorſteinn Skeggiaſon.

III. - Joan preſtr Þorgilsſon.

22. *Hallus et Isleifus et Ketilbiörn Giſſuris filii et Groa Alfi filia cum ſociis.* *)

25. *Magnus Bonus Olai filius.* **) *Thomas Kraki filius.* ***)

26. *Thorſteinn Skeggii filius.* ****)

30. *Johannes ſacerdos Thorgilfis filius.* †) *Kal.*

November.

Kal. Joan Loptzſon.

1. *Johannes Lopti filius.* †)

Epiſcopo Skalholtenſi Sigurdo arbitrium cauſæ commiſſum eſt, ita tamen ut Steinvoræ ſententia prævaleret. A. 1246 Thordus peregre profectus Halfdani et Steinvöræ, dum apud exteros commoraretur, provinciam concredidit, qva hyeme Grundæ reſidebant. A. 1256 mortuo fratre prædium Grundam omnesqve a Thordo relictas præfecturas ad ſe hæreditatis jure devolutas noſtra aſſeruit; Rex autem Norvegiæ Haqvinus illas Thorgilſi Skardio contulit; loc. cit. libr. X. Cap. 43. Unde et factum, qvod Steinvöra a. 1257 villicationem Grundæ inſtituti curaverit, ſed poſtea jus ad Grundam, bonaqve et ditiones Eyafiordenſes in generum Thorvardum Thorarini filium contulerit, qvæ cauſa erat cædis Thorgilſis Skardii anno ſeqventi ſubſecutæ. Multorum noſtræ liberorum unius tantum Lopti hi *Faſti* ad d. 19. Junii mentionem injiciunt.

*) Incendium ſcilicet Flugumyrenſe, cum Ejulfus Thorſteinides, et Ranius Conradi filius ſtatim poſt peractas nuptias Halli filii Giſſuris Thorvaldidæ (vid. 12. Januar.) cum Ingibiörga filia, Sturlæ Thordini (d. 30. Julii) a. 1253 prædium Flugumyram cum omnibus id incolentibus flammis delevere. Hoc incendio tres Giſſuris hic enumerati filii et uxor Groa, præter multos utriusqve ſexus alios periere. *Hakonarſaga* (*Heimskr.* T. V. pag. 311.), *Sturlungaſaga, Annales Skalholtini* utriqve, *Reſeniani, Flateyenſes, Regii* ſupra Tom. III. pag. 100, *Necrolog. Iſlando-Norvegicum* ſupra Tom. II. p. 516. et illa qvæ ibidem pag. 513 (x) notata ſunt, hinc illuſtrari poſſunt.

**) Natus a. 1023, regnare cæpit a. 1036, denatus a. 1047, vel 1048; vid. *Necrologium Iſlando-Norveg.* ſupra Tom. II. p. 516.

***) Kraki, cujus anniverſaria ſupra 13. Junii occurrebat, filius, obiit a. 1311 fide *Annalium Skalholtinorum* et *Flateyenſium.* Thomas Knutsſon, qvem *Annales Vetuſtiſſimi* ſupra Tom. II. p. 199 obiiſſe ferunt a. 1311 VIII. Kalend. Novembris, nemo alius eſt qvam noſter, qvod non unicum eſt illorum Annalium mendum. Hinc etiam emendari poſſunt, qvæ ad *Necrologium Iſlando-Norvegicum* ſupra Tom. II. pag. 516 (r) notavimus.

****) Jonæ Sigmundini, de qvo ſupra ad d. 14. Julii, ex filia Solveiga nepos, ſed e gente celebri Skogenſi paternum genus ducens, affini ſuo Ögmundo Helgii filio a. 1251, dum hic fratres Sæmundum et Gudmundum Ormi filios occideret, adfuit; a. 1259 a conſobrino ſuo Thorvardo Thorarinis filio, ut pacem et gratiæ reconciliationem inter hunc et Sighvatum Bödvaris filium, poſt cædem hujus fratris Thorgilſis Skardii, præpararet, noſter Skalholtum ablegatus fuit, et paulopoſt cum eodem Thorvardo Laugaraſi conſtitutus, inter cæteros arbiter cauſæ delectus, laudum ſanxit. A. 1286 mediator et interpres inter laicos et Arnam Epiſcopum Skalholtenſem ſua prudentia et auctoritate flammam ſimultatum repreſſit, qvod illorum primipilus Rafn Oddi f. prolixa habita gratiarum actione publice laudavit (*Arna Biſkupsſaga* Cap. 56. p. 87.) Videtur noſter idem eſſe ac ille Thorſteinn Skeggii filius, qvi a. 1253 ex incendio Flugumyrenſi evaſit (*Sturlungaſaga* III. p. 187.) *Annales Skalholtini* aſſerunt noſtrum anno 1297 fatis eſſe functum.

†) Sæmundi Polyhiſtoris ex filio, ſed Magni Nudipedis Norvegiæ Regis, (de qvo ſupra ad d. 24. Auguſti) ex filia Thora, denata a. 1175, nepos, vir ſuæ ætatis in

VII. *Idus.* Semundr Jonsſon.
III. *id.* Ragnhildr Barkardótter.
II. – O. Randalin Philippusdótter.
IX. *Kal. Dec.* Rafn Oddzſon.
Gudny Helgadótter.
IV. – – Gudrun Thomasdótter.
III. – – Gudny Bauduarsdótter.

7. *Sæmundus Joncæ filius.* *)
11. *Ragnhilda Börki filia.* **)
12. *Obiit Randalina Philippi filia.* ***)
22. *Rafn Oddi filia.* ****)
Gudnya Helgü filius †)
28. *Gudruna Thomæ filia.* ††)
29. *Gudnya Bödvaris filia.* †††)

Decem-

---

in patria potentiſſimus, ditiſſimus, doctiſſimus, juſtiſſimus et honoratiſſimus. A. 1135 Kongahellæ in Norvegia cum patre Lopto egit (*Heimskríngla* Tom. III. pag. 307), et a. 1164 Bergæ commoratus eſt, tumqve Rex Magnus Erlingi filius, aliiqve cognati conſangvinitatem ejus agnoverunt (loc. cit. p. 434), eodemqve anno noſter in Iſlandiam reverſus eſt (*Annales Flateyenſes, Skalholtini breviores* et *Regii* ſupra Tom. III. pag. 61) et iisdem teſtibus, anno qvoqve 1171 ex Norvegia redux in patriam venit. Cætera viri fata et acta enumerare non vacat. Obiit a. 1197. Inter ejus liberos celeberrimi fuere: Paulus Epiſcopus Skalholtenſis, Ormus Breidabolſtadenſis, Solveiga uxor Gudmundi Gris, et qvi mox laudandus erit, Sæmundus Oddenſis; conf. *Necrologium Iſlando-Norvegicum* ſupra Tom. II. p. 517.

*) Patre Jona Loptide nuper laudato natus anno 1154 (notantibus id præter alios *Annalibus Flateyenſibus* et *Regiis* ſupra Tom. III. p. 58) virium et auctoritatis patriarum magna ex parte hæres. Ejus geſtorum celebratiſſimum, ſed non juſtiſſimum eſt, qvod in ultionem filii Pauli, mercatoribus Norvegis a. 1217 ſesqvi mille imperialium pretium ademerit, qvo Norvegorum animos ita exacerbavit, ut de claſſe bellica contra Iſlandiam mittenda annis 1219 et 1220 ſerio ageretur, (*Hákonarſaga ens gamla, Heimskr.* T. V. p. 44. 45. 59.) Obiit noſter a. 1222; *Annal. Skalholtini, Reſeniani, Flateyenſes* et *Regii* ſupra Tom. II. pag. 517.

**) Filia Börki Grimidæ, cujus ſupra ad d. 24. Januarii mentionem injecimus, ubi ad loca in qvibus ejusdem Genealogia habetur, lectorem ablegavimus. Uxor erat Floſii ſacerdotis ad d. 9. Octobris laudati, ad qvem et qvidam horum liberi nominantur.

***) Philippi Sæmundini (d. 25. Septembr.) filia, uxor vero Oddi filii Thorarinis (d. 14. Januarii). Hæc a. 1279 cum oſſa mariti honeſtæ ſepulturæ mandanda Skalholtum devehebantur, omnia qvæ aurea poſſidebat, oblationis nomine templo Skalholtenſi donavit; *Arna Biſkupsſaga* Cap. 23. pag. 37.

****) Hujus viri vita, ſi omnia ejus geſta fuſe et enucleate recenſerentur, haud modicum libri volumen efficeret, ille enim regiminis in Iſlandiam monarchici introductionis, et poſtmodum magnæ et longinqvæ litis de jure præbendarum pars magna fuit; tandem patriæ Prorex et ſummus Regis Norvegiæ militiæ Præfectus, tunc temporis vexillifer appellatus, in Norvegia a. 1289 occubuit; Conf. *Necrologium Iſlando-Norvegicum* ſupra Tom. II. pag. 518.

†) Arnæ Epiſcopi Skalholtenſis primi (d. 17. Aprilis) ex ſorore neptis, ſed Arnæ ſecundi (d. 21. Januarii) ſoror, nupſit a. 1275 viro celeberrimo Thordo Mödruvallenſi (d. 25. Auguſti; *Arna Biſkupsſaga* Cap. 16. pag. 26). Hæc eadem non eſt ac Gudnya Helgii filia, qvæ a. 1330 Abbatiſſa Reineſtadenſis electa, ſed a. 1332 conſecrata fuit (*Laurentius Biſkupsſaga* Cap. 58), ſed fide *Annal. Flateyenſium* a. 1339 obiit; vide *F. Johannæi Hiſtor. Eccleſ. Iſland.* Tom. IV. pag. 107.

††) Hujus patris Thomæ Thorarinis filii Anniverſaria ad d. 7. Maji occurrit, genealogiam autem *Sturlungaſaga* Tom. I. p. 50, 52, multis recenſet. Uxor erat Jonæ Thorkelis filii de Alftamyra; l. c. Tom. III. p. 11.

†††) Sturlæ Thordi filii vulgo Hvammenſis uxor, celeberrimi Hiſtorici Snorrii ejusqve fratrum Thordi et Sighvati (d. 21. Aug.) mater. Teſtibus *Annalibus Flateyen-*

December.

III. *Non.* Artid Þorbiargar Gudmundardóttur.
II. *Non.* Audr Pálsdótter.
VII. *id.* Þorkell preſtr Stefnisſon.
III. - Artid Gudina Oddzſonar.
Id. O. Ingibiörg Suarthöfdadótter.
XVIII. *Kal. Jan.* Hacon Kongr Haconarſon.
VII. *Kal. Jan.* Biarne preſtr Floſaſon.

3. *Anniverſaria Thorbiargæ Gudmundi filiæ.* *)
4. *Auda Pauli filia.*
7. *Thorkell ſacerdos Stefneris filius.*
11. *Anniverſaria Godvini Oddi filii.* **)
13. *Obiit Ingebiörga Svarthöfdi filia.* ***)
15. *Haqvinus Rex Haqvini filius.* ****)
20. *Biarnius ſacerdos Floſii filius.* †)

---

teyenſibus, Reſenianis et *Regiis* ſupra Tom. III. pag. 83 anno 1221. obiit. Videtur hæc alia eſſe qvam qvæ in *Necrologio Iſlando-Norvegico* ſupra Tom. II. d. 517. laudatur ad diem 6. Novembr.

††) *Manu tertia* ſive *recentiſſima.* Soror Rafnis Gudmundi filii, Nomophylacis qvartarum occidentalis et borealis ineunte ſeculo decimo qvinto; uxor autem Godvini Oddidæ, cujus mox mentio fiet. Obiit Thorbiörga a. 1431; maritus enim viduus teſtamentum pro anima demortuæ ſcripſit, qvod in originali adhuc exſtat, datum Ögri in Conceptione b. Virginis ſive 6. Idib. Dec. 1431.

†††) Etiam *manu recentiſſima* ſive *tertia.* Mox laudatæ Thorbiorgæ maritus, ſed Oddi Leppi ſeculo decimo qvinto ineunte florentis Nomophylacis filius, obiit a. 1433. Hoc enim anno pater noſtri adhuc ſuperſtes, datis Holi in Bolungarvika literis originalibus, qvæ adhuc exſtant, teſtatur ſe data manu ſpoſpondiſſe, filii ſui Godvini ejusqve qvondam uxoris Thorbiörgæ Gudmundinæ jam defunctorum bona relicta, hæreditate ſe nepti ſuæ Chriſtinæ Godvini filiæ ejusqve marito Jonæ Asgeiridæ numeraturum.

††††) Manu *tertia* ſive *recentiſſima.* Hinc certe non erit, filia viri ſeculo decimo tertio clariſſimi Svarthöfdii Dugfuſis filii, cujus creberrima et magna cum laude mentio fit in *Sturlungaſaga* et *Arna Biſkupsſaga*, ſed alterius cujusdam recentioris ævi.

†) Natus a. 1204, Rex Norvegiæ factus a. 1217, obiit a. 1263. Vid. *Necrologium Islando-Norvegicum* ſupra Tom. II. pag. 519. ubi dies emortualis 18. Dec. in mendo cubat.

†) Floſio, cujus mentio fit d. 9. Octobr. et Ragnhilda ad d. 11. Novembr. commemorata natus. Hujus Biarnii filius fuiſſe videtur Börkus ille, Oddi Alii filii Rafnseyræ a. 1234 occiſi comes.



